R.P.F. SAMUELIS DE LUBLINO, ORDINIS PRAEDICATORUM, PROUINCIAE...

Samuel : de Lublino




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
7 B
36



R. P. F.

SAMVELIS DE LVBLINO,


ORDINIS PRÆDICATORVM, PROVINCIAE POLONIAE, Lectore Theologo,

AC IN ALMO CRACOVIENSI studio Philoſophiæ Profeſſore Ordinario,

IN VNIVERSAM ARISTOTELIS Logicam quæſtiones ſcholaſticæ, ſecundùm viam Thomiſtarum per articulos diſtinctæ.

QVIBVS DVO INDICES SVNT ADIECTI, vnus quæſtionum, alter rerum notabilium.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud Ioannem Crithium ſub ſigno Galli.
ANNO M. DC. XX.



Admod. Reuerendo Patri

FRATRI ERASMO CONIVSSOVIO SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI, PRIORI Cracouiensi, ac Vicario Minoris Poloniæ, Ordinis Prædicatorum Patri & Patrono dignissimo

FR. SAMVEL DE LVBLINO LECTOR Theologus. S.



Iraris forsitan temeritatem meam, Pater Admodum Reuer quare cùm tot celeberrimi Philosophiæ Professores, in hac palæstra Prædicatoria, sæpenumero in certamine literario desudent, magna cum laude Ordinis ac Prouinciæ, insuper & modò nonnulli taceant, ego potißimum surrexerim, qui vix ipsa ætate vel minimo eorum sum comparandus. Nunquid mihi tanta vis doctrinæ est, vt contra recentiores quosdam exire, eorumq; rationes magna cum facilitate poßim dissoluere? Nunquid mihi ignota est authoritas Thomistarum, quam illi in pietate ministranda, in peritia literarum, & in acutißimis scriptis sæpius exhibere solēt? Ne quæso id de me existimes, Admod. R. P. si quid dextri existimare debes. Non enim aliter mihi videor affectus in hanc Religiosam iuuentutem quam meæ diligentiæ toto hoc biennio commisisti, atq; in vnicum filium pater, cui non modò substantiam impartiri solet, verumetiam eò conatus suos & consilia dirigit, vt se illi memorem gratumq; probet. Si enim nullum Mi-

nerua locum, nullas in quærenda filia latebras omisit, vt narrant Poëtarum fabulæ, putasne, Pater Admo. R. me alicui pepercisse labori, in promouenda, instituenda, augendaq; studentium tuorum corona? En adest manipulus Dialecticæ quem messui, en fructus ocij quem intra parietes huius nobilissimi Conuentus tandem apprehendi, en arma exilia, in quibus se iuuentus exercet, donec ad maturam frugem adolescat. Non eos iam prohibebo in publicum prodire, vtpote, qui plus temporis lecturam hanc prosequendo consumunt quàm ætatis, non detinebo quin fauum alijs cōmunicent; Thomisticus enim est, qui ore Aquinatis quasi è beato quodam eloquentiæ fonte manauit. Semper ego animaduerteram, hoc esse institutum huius splendidissimi cœtus, cui tu fœliciter praees, vt non à fortuna populari pendeat, non subterfugiat maiorum consilia, non æquet pulueri cœlum, non impetat ipsissimam veritatem ceu tenebras, sed in sola duntaxat rerum diuinarum cognitione spem suam collocet ac reponat. Noui eam venustatem esse in moribus, vt superfluat si quid addideris, arescat verò si quid exemeris. Quod si mihi liceret in latissimum Poëtarum ac Diuinæ Scripturæ campum exire, si inquam tuâ facultate, Pater Adm. R. liceret mihi in pratis Gentilium aliquantisper commorari, dicerem ego Conuentum hunc Cracouiensem, illum esse equum Troianum, de quo tot robustissimi prodiêre, qui etiam ipsam vniuersi molem quassare ac concutere videbantur. Dicerem pulcherrimum Salomonis lectulum, quē sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Dicerem insuper

super

per illud esse Apollinis Oraculum, vnde tot responsa petebantur, tot consilia dicebantur, tot euentus, quantumuis dubij, promulgabantur, vt ad ipsum omnis sexus, & ætas, diuinum quippiam æstimantes vndique confluerent. Qua quidem in re, tua non parum iuuit industria Pater Adm. R. tua singularis eruditio, tua insuper modestia, quâ continuò splendes velut inter stellas Luna minores. Mitto hîc incredibilem in regimine prudentiam, quâ incertorum casus sagaciter subterfugere soles, mitto eximium animi candorem, quo te singulis facilem præbes, vt singulos lucrifacias, mitto dexteritatem in consilijs, quâ sic omnia moderaris, vt te omnes mirificè colant, obseruent ac venerentur. Non quòd alienum putem ab instituto meo tuas hîc laudes breui calamo perstringere, sed quia Paternitas Tua Adm. R. eas tacitè agnoscendas, & non proclamandas publicè gloriosum arbitratur. Fateor equidem plures esse qui Tuæ Paternitati multa debeant, ego tamen oculatior testis esse possum, quantum me ad sperandum de tua humanitate adhuc à puero semper erexeris. Nũquid adolescentiam meam exemplo satis raro ad studia capessenda vehementius non incitasti? Nunquid nullis intermedijs precibus, nullis beneficijs prouocatus, sed ingenuâ animi tui bonitate adductus, in ordinem Lectorum huius nobilissimi Conuentus me non coaptasti? Nunquid in hoc opusculo imprimendo pro Tua beneuolentia quam habes erga illos, qui aliquâ eruditionis famâ commendantur, incredibilem curam non adhibuisti? Loquantur ergò alij omnia de te, porrò meum silentium mihi pulchrum, iucundum tibi fore, nemo est qui eat infi-

cias. Quocirca meritò has Enarrationes in vniuersam Aristotelis Logicam, sub auspicio Tuæ Paternitatis in lucem emitto, tuo enim nomini debentur, quia à te profectæ sunt, quas si in animum admiseris, cedent, vt spero, in maximam eorum vtilitatem, in quibus Religio singularis, Tuâ prudentiâ augetur, & conseruatur. Interim Deum rogo, vt te ad laudem sui Ordinis quàm diutissimè seruet incolumem. Datum Cracouiæ in Conuentu SS.mæ Trinitat. Ordinis Prædicatorum 2. Aprilis Anno D: 1617.

Adm. R. Paternitati Vestræ addictissimus

Fr. Samuel Lector Theologus.

PRÆFA-

PRÆFATIO AD LECTOREM BENEVOLVM.

NOn est quod me suscepti consilij pigeat, Lector humanissime, ita enim importunis flagitationibus mecum iuuentus agebat, vt nisi me authoritas quorundam Patrum euocaret, iam pridem ab incepto destitissem. Vbi velim te in primis admonere, in toto hoc volumine, nullas modernorum opiniones recẽseri, quæ cùm in dies crescant, magis ingenia iuuenum confundunt, debilitant, & in deteriorem sensum transuersos agunt, quam aliquid vtilitatis afferãt. Quid enim conducit alterius mentem explicare, loca citare, fundamenta & rationes, si quæ sunt, impugnare, nudam relinquendo veritatem, quæ potissimum in schola Angelici Doctoris claram habet verborum & sententiarum proprietatem? Vnde collige incredibilẽ me subijsse laborẽ, eam vel maximè ob causam, quod stylum huius libri summâ, quâ potui, diligẽtiâ reduxerim ad normam Articulorum, quos Sanctissimus Præceptor in sua Theologia diuino planè ingenio distinxit ac efformauit.

Deinde ne videar in eodem hærere vestigio, diuersas Scholasticorum sententias in arti-

culis explicandis imitatus sum: reperies enim multa in alijs prolixè, quæ hic breuiter & lucidè explanātur: nunquam tamen potui adduci, vt à doctrina Sanctissimi Præceptoris discederem, quin potius eam intendo pro virili inuestigare, alijs proponere, & ab opinionibus, quæ à veritate sunt alienæ, firmiter tueri.

Tandem vt tuis commodis, Lector humanissime, commodius consulerem, apposui duos indices, in quorum vno continetur numerus Questionum in toto hoc opusculo cōtentarum, in altero verò sententiæ magis notabiles proponuntur. Quem ego laborem nec laudaturus sum in præsenti, ne cui videar arrogantior: nec vituperaturus, ne parum candidus habear. Si quid tamen negligentius dictū videbitur, pareat meæ tenuitati Lector beneuolus, nullus enim Author adeò exactus est, vt alicubi non labatur. Dabo nihilominus operam, vt reliquæ partes Philosophiæ eâdem diligentiâ in lucem prodeant, si hæc tibi iucunda fore agnouero. Vale amice Lector, & me apud Deum aliquando orationibus tuis commenda.

CATA-

CATALOGVS ARTICVLORVM, QVI IN TOTO HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

ARTICVLI PROOEMIALES.

ARTICVLI EX LIBRO PORPHYRII DE quinque Vniuersalibus in communi.

CAPVT I. DE GENERE. pag. 45.

CAPVT II. DE SPECIE. pag. 68.

CAPVT III. DE DIFFERENTIA. pag. 97.

CAP. VII. DE AD ALIQVID. pag. 280.

CAPVT VIII. DE QVALITATE ET quali. pag. 311.

CAP. IX. DE ACTIONE ET PASSIONE ac cæteris Prædicamentis. pag. 344.

CAPVT X. DE OPPOSITIS. pag. 363.

CAPVT XI. ET XII. DE PRIORI ET simultate. pag. 370.

CAP. XIII. DE MOTV. pag. 376.

[E]X LIB. II. DE INTERPRETATIONE

EX LIBRO II. POSTERIORVM.

INDEX QVÆSTIONVM.

CAP. I. DE QVÆSTIONIBVS. pag. 727.

CAP. II. III. ET IV. QVOD DEFINITIO non potest demonstrari. 744.

CAP. V. VI. ET VII. QVOMODO DEFINITIO se habeat ad demonstrationem. pag. 758.

CAP. VIII. ET IX. QVOD DEMONSTRATIO fiat per omne genus causæ. pag. 775.

CAP. X. ET XI. QVO PACTO DEBEAT inuestigari definitio. 787.

CAP. XII. ET XIII. DE COGNITIONE principiorum. 789.

FINIS.

PRO IN-

PRO INTRODVCTIONE AD VNIVERSAM ARISTOtelis Logicam.

PROOEMIVM.

ANtiqui Philosophi eam imbibere sententiã de hac nobilissima facultate, vt etiam plurimi certarent, pro eius splendore, asserentes eam inprimis ante alias scientias esse addiscendam, qui- ex aduerso obiecit se Plato ille, alioquin Dius, qui adeò mordicus defensauit scientias :hematicas inprimis esse addiscendas, vt et- tradatur eum scribere fecisse præ foribus Gymnasij: Nemo huc ingrediatur Mathema- ignarus. Verùm Aristoteles sagacissimus n scrutator, satis appositè eam rem explicat ibus in locis suæ Philosophiæ, maximè ve- lib. 2. Elenchorum capite vltimo, dum Oportet nos scire, quod ea quæ ab antiquis osophis sub breui & compendiosa metho- ierunt elaborata, postmodum ab his, qui se- tur, continuò crescant: Et postea in lau- facultatis huius nobilissimæ subiungit: :ipium omnis scientię, sua mole minimũ, tate validissimum, cognitu verò difficilli- est. Pro cuius veritatis intelligentia sit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Dialectica sit Prima omnium scientiarum.

Argument. I. VIdetur quod non. *Primò.* Esse primam inter scientias præ se fert quãdam excellentiam. Sed Dialectica nullam habet. Ergò non est prima. *Minor prob.* Nobilitas omnis scientiæ vel desumitur ex obiecto, vel ex modo procedendi. Sed Dialectica non habet obiectum nobilius, quam sint obiecta aliarum scientiarum, nec etiam modus procedendi in Logica, est magis certus, quam in alijs scientijs vt patet. Ergò nullam habet excellentiam.

Argument. II. *Secundò.* Res naturales sunt nobis notissimę, vtpotè quę nostris sensibus obijciuntur. Ergò scientia Naturalis, quæ de ipsis considerat, erit prior acquisitione Logicę *Consequẽtia prob.* Quia à notioribus est incipiendum.

Argument. III. *Tertiò.* Scientia de Anima est vtilis ad omnes alias scientias, etiam ad Logicam, vt docet Aristoteles lib. primò de Anima. Ergò illa est prima omnium scientiarum, & non Logica. *Consequẽtia est manifesta.* Nam vtile habet rationem medij: medium verò recto ordine antecedit finem. Si ergò est vtilis ad Logicam, antecedit Logicam.

Articuli explicatio. Respondeo. Quod nomine Dialecticæ non tantum hic debet intelligi illa pars philosophię quæ procedit ex præmissis probabilibus cuiusmodi

odi est Topica : sed accipitur hic Dialectica
o tota Logica, quę tradit modum definiendi,
iuidendi, & discernendi, siue ex veris & imme-
tis, vt in Libris Posteriorum; siue ex præmis-
quæ sunt probabiles apud omnes, vel saltem
d sapientes, vt in Libris Topicorum: siue ex
miffis quæ videtur probabiles, sed nõ sunt,
libris Elenchorum : Et hoc modo sumpta
lectica conuertitur cum Logica, quia vtraq;
Rationalis: nisi fortè in hac re potest esse dis-
ien : quod Logica communiter sumpta de-
inatur ab omni opere rationis, nam idem
ficat quod scientia de sermone, siue ille ser-
exprimat conceptus primæ operationis in-
ctus, qualis est simplicium apprehensio: siue
ndæ operationis, qualis est compositio, &
io: siue tertiæ, qualis est discursus: cæterum
ectica denominatur ab operatione præ-
ssima nostri intellectus, scilicet à discursu,
t tertia operatio intellectus, nam Dialecti-
m significat ex Gręco, quod scientia dis-
ua. Disputatio autem consistit in discursu,
et. Hoc igitur supposito, sensus dubij prę-
est huiusmodi. Vtrum Dialectica prout
modum definiendi, diuidendi, & discur-
in qualibet materia, sit prior inter alias
as. *Pro cuius resolutione Dico:* quod scientiã
n esse primam, contingit dupliciter, vno
primitate Obiecti, & alio modo primita-
di procedendi. Illa scientia est prima pri-
sumpta ex Obiecto, quæ versatur circa
A 2 per-

Duplex acceptio Dialectica.

Scientia dicitur prima dupliciter.

perfectius, & nobilius obiectum, ſicut, verbi gratia, in practicis ædificare laudabilius eſt, quam lectum facere, quia illud, circa quod eſt ædificatio, eſt melius lecto, & in ſpeculatiuis ſcientia de anima, eſt nobilior omnibus partibus philoſophiæ Naturalis: Aſtrologia ſimiliter magis eſt perfecta, quam ſcientia perſpectiua: nam Aſtrologus conſiderat pro obiecto corpus cæleſte, quod nobilius eſt Linea viſuali, de qua agit ſciẽtia perſpectiua, & ſic de alijs. Illa autem ſcientia vocatur prima primitate modi, quæ non habet obiectum perfectius, ſed tamen meliori via ipsũ attingit, ſicut, verbi gratia, in practicis, tãto magis ædificatio eſt melior, quanto melior eſt ædificandi modus, & in ſpeculatiuis illa ſcientia eſt prima ex parte modi, quæ ex demonſtrationibus magis notis cauſatur, ſicut Mathematica, quę ad ſenſum ſuas demonſtrat concluſiones.

Logica non eſt prima ſcientia ſimpliciter.

Applicando igitur hanc diſtinctionem ad Logicam, opportet ſemper aduertere, quod Dialectica non eſt prima omnium ſcientiarum, primitate ſui obiecti, neque etiam eſt prima primitate modi: & ratio eſt, quia neque habet obiectũ perfectius, quam ſint obiecta aliarum ſcientiarum, neque etiam meliori modo ipſum obiectũ attingit, nam ens rationis eſt Ens imperfectiſſimum, & ſimiliter principia ſeu propoſitiones, quibus mediantibus cognoſcitur iſtud obiectũ, hoc eſt Ens rationis, non ſunt magis certa nec magis nota, quam principia aliarum ſcientiarum, ſi ergò Logica habet aliquam primitatem, tunc

nc illa est secundum quid, & veluti imperfe-
a, ex eo prouenienss quatenus est via ad acqui-
ndas alias scientias, propter quam rationem
let vocari à quibusdam scientiá scientiarum,
Platone doctrinarum omnium apex & finis, à
icerone autem omnium scientiarum lux nun-
patur. Ex quo *infero*. Quod scientiæ mathe-
iticæ, philosophia moralis & physica, non
ssunt esse priores, ordine doctrinæ, propter
nc causam, quia vtuntur demonstrationibus,
proinde præsupponunt cognitionem Diale-
cæ, & non sunt ipsa priores, nam quid sit de-
nstratio, & quomodo confici debeat, Diale-
ca subministrat. Specialiter autem de phi-
ophia Morali, seu Ethica probo, desumendo
umentum ex verbis ipsius Aristotelis, qui in
ro sexto Ethicorum, cap. octauo dicit hæc
ba: Prudentia quæ ad philosophiam mora-
prærequiritur nō potest haberi, nisi magna
erientia, sine qua nec principia Physicæ co-
scuntur, iuuenes enim in breui tempore ex-
entiam rerum non possunt habere, quam
poris efficit longitudo. Hæc ille, licet in a-
terminis. Ergò signum est quod ab illis
itijs non est inchoandum. De Metaphysica
m potest dici, quod ordine perfectionis &
rinæ exquisitæ, prior est absolutè inter alias
tias, nam ille qui procedit à cognitione re-
quæ traduntur in Metaphysica, ad eas res
tractantur in alijs scientijs, procedit à pri-
& vniuersalissimis principijs & causis re-

Logica est secundum quid prima.

rum ad principiata & causata, & à communioribus ad minus communia, vt patet.

Probatur. I. Conclusio. *Dialectica est prima acquisitione omnium scientiarum.* Probatur. Omne instrumẽtum debet præcedere rẽ ad quam faciẽdã adhibetur. Sed Dialectica est commune instrumẽtum, quo omnes scientiæ vtuntur ad suas definitiones & demonstrationes faciendas. Ergò priori loco est tradenda.

Prob. II. *Præterea.* Ars imitatur naturam. Ergò in tradendis artibus ille ordo seruandus est, quẽ homines obseruant seclusa arte. Sed hic ordo naturæ est præscriptus, vt primum quis loquatur, deinde vtatur ratione. Ergò post Grammaticã, ante omnes Dialectica occurrit tradenda. His sic stantibus facilè est respondere ad argumenta.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *Nego minorem.* Ad cuius probationem: *Distinguo maiorem:* Nobilitas omnis scientiæ, vel desumitur ex obiecto, vel ex modo procedendi, si est nobilitas perfecta simpliciter & absolutè, concedo maiorem: Nobilitas secundum quid, & imperfecta, nego maiorẽ, & talis est Dialectica, vt dictum est.

Resp. ad II. Ad secundũ: *Nego consequentiam.* Ad cuius probationem: *Distinguo assumptum:* A notioribus est incipiendum: A notioribus absolutè, *nego:* In determinata sciẽtia *concedo*, sed non est ad propositum. *Præterea.* A notioribus, quando illa non pẽdent in sui cognitione ex aliquo difficiliori, *concedo:* aliàs *nego:* Physica autem, licet sit facilior, dependet tamen ab instrumento scientiarum, cuiusmodi est Logica.

Ad

Ad Tertium: *Admitto authoritatem Aristotelis*, & plico illam. Scientia de Anima est vtilis, eo odo, quo aliquid non est gratia sui, sed propter ud, ad quod tanquam ad nobilius ordinatur, æ est vtilitas seruitutis Medij, & Instrumenti, gladius militi est vtilis, equus homini, & do-mino seruus, *nego*. Quia hoc modo Logica est v-s ad scientias. Est vtilis eo modo quo aliquid gratia sui, & non ordinatur, ex natura sua, ad erum, prodest tamen illi, vel regendo, vel ad-iãdo, vel firmando ipsum, quę est vtilitas pro-ctus, sicut superius & excellentius dicitur esse feriori vtile, vt dominus seruo, pater filio, *cõ-do*: nimirũ quod sciẽtia de anima est vtilis Lo-cæ, cũ hoc ipsum etiã conueniat Metaphysicę.

ARTICVLVS II.

rum subiectum adæquatum Logicæ sit Ens rationis.

VIdetur quod non. *Primò*. Illud est subiectũ adæquatum alicuius scientiæ, quod non cedit scientiam, neque etiam exceditur à sciẽ-, sicut obiectum visus est color, quia omne od videtur est coloratum. Sed ens rationis ex-dit Logicam. Ergò non est obiectum adęqua-m Logicæ. *Minor: Prob.* Grãmatica tractat de te rationis, vt puta de genere, de numero, &c. niliter etiam Rhetorica considerat exordium, nfirmationem, & alia quę non habent esse ex-intellectum. Ergò Ens rationis excedit Lo-am, siquidem aliæ scientiæ tractant de ipso. *Argum. I.*

Secundò. Dictum est in articulo præcedente, od Logica & Dialectica pro eodem acci- *Argum. II.*

piuntur. Tunc infero. Sed obiectum Dialecticæ est Argumentatio, vnde etiam Dialectica idem ſonat, quod ſcientia diſputatoria. Ergò ſimiliter obiectum Logicæ eſt Argumentatio, & propter illam omnia conſiderantur in Logica.

Argument. III. *Tertiò.* Authoritate S. Thomæ, qui docet in opuſculo 70. quæſt. 3. art. 2. ad Tertiũ, vbi apertè dicit, quod Logica dirigit actus & operationes intellectus. Hoc ipſum docet in 4. Metaph. Tex. 5. dum inquit. Logica eſt de ſecundis intentionibus, in ordine ad directionem rationis. Ergò ad mentem S. Thomæ operationes intellectus vt dirigibiles, ſunt obiectum adæquatum Logicæ.

Articuli explicatio. Reſpondeo. Quod Logica nihil aliud eſt niſi qualitas ſimplex quatenus eſt in intellectu & ipſum inclinat faciliter ad definiendum, diuidendum, & diſcurrendum in qualibet Materia, ſiue illa ſit Docens ſiue Vtens, quia iſti habitus non diſtinguuntur realiter, ſed vna & eadem res ſunt formaliſſimè, quæ ſecundum quod inclinat intellectum, ad hoc, vt poſſit iudicare de aliqua conclusione, ſi eſt falſa, ſi eſt probabilis aut necesſaria, vocatur Logica docens, quatenus verò conficit inſtrumenta ſcientifica, id eſt, definitionem, diuiſionem, & argumentationem, eſt vtẽs. Et quod ille habitus hoc vtrumque efficiat patet: nam etiam videmus, quod intellectus manẽs vnus ſimpliciter, poteſt diuerſas operationes habere: quia, vt intelligit diſcurrendo, dicitur Ratio: & in quantum apprehendit res ſine diſcurſu,

Quid ſit Logica vtens & Docens.

ursu, vocatur intellectus. De hac ergo qualita-
e Logicæ, est modo difficultas. Vtrum obiectũ
ius adæquatum, sit Ens rationis vel aliquid a-
iud. *Pro cuius rei resolutione.*

Dico Primò. Quod subiectum hoc loco nihil
liud sonat, nisi materiam circa quam versatur
liqua scientia, & ab ea sumit distinctionem,
on secundum numerum, (quia distinctio nu-
neralis scientiarum desumitur ex subiectis in
uibus sunt illæ scientiæ, ideò enim Metaphysi-
a Petri est distincta numero à Metaphysica
Francisci, quia hæc est in vno intellectu, & illa
n alio) sed secundum speciem, aut genus, vt nõ-
ullis placet. Quod vt facilè perspicias, aduer-
e, quod nihil scitur nisi Ens, quia de non Ente
on est scientia, vnde Logica nihil considerat *Requisita*
ræter Ens, nec Physicus aut Theologus: imò *ad obiectũ.*
uilibet artifex nullius rei habet notitiam, nisi
Entis. *Cæterum* non sufficit, vt aliquid sit obie-
ctum scientiæ, hoc solum quia est Ens, sed requi-
itur vlterius quod illa res habeat aliquam ratio-
em formalem, sub qua consideratur à tali, vel
ali scientia, verbi gratia, homo consideratur à
Physico & Logico, & vtrobique est Ens, non ta-
men secundum eam rationem formalem est sci-
bilis à Logico, sicut à Physico, sed scitur à Logi-
co quatenus est Ens rationis, scilicet species, & à
Physico, vt componitur ex materia & forma,
tanquam ex partibus. Sed quænam sit hæc ratio
formalis obiecti, secundum quam res aliqua sci-
tur ab vna scientia, & non ab alia, omnes philo-

A 5 phi

Quid sit ratio formalis obiecti.

phi in hoc consentiunt, quod nihil est aliud, nisi diuersa abstractio per intellectum. Quia vnumquodque scitur, quatenus est abstractum & immateriale, ac proinde, quot modis contingit aliquod obiectum abstrahi per intellectum à materia, tot sunt scientiæ de illo obiecto. Quædam ergo naturæ sunt separatæ ab omni materia & motu, tam secundum esse quam secundum definitionem, sicut Deus & Angeli, in quorum definitione nulla includitur materia, neque enim ibi est compositio ex anima & corpore ex subiecto & accidente &c. & de his entibus tractat Metaphysica, immò vero & Logica habet eandem abstractionem, in suis obiectis, genus enim, prædicatum, syllogismus nec habent materiam ex qua componuntur, nec motum, nam definiendo prædicatum dicis, Est relatio quædam rationis alicuius de aliquo; & definiendo genus, oportet dicere: Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie, vbi nulla apparet materia. Non tamen existimes, quod Entia rationis Logica ex vi abstractionis suæ per se existant sicut Entia metaphysica: nam de his aliud est iudicium, vt dicam inferius. Aliæ verò naturæ sunt in alio extremo quæ definiuntur per materiam & motum communem licet sint separatæ à materia particulari, cuiusmodi Entia considerat Physicus, nam si volumus scire in Physica, quid sit cælum vel elementũ, vel aliquid simile, nunquam poterimus definire absque hoc quod materia communis in eorum

Abstractio scientiarũ explicatur

rum definitione non continuatur. Est enim lum corpus rotundum quod mouetur circuiter, vt quodlibet elementum est subiectum otui. Postremò autem sunt quædam Entia ermedia quæ habent quidem esse abstractum materia intelligibili, non tamen sensibili, hoc secundum rem quodlibet eorum concernit ateriam: apprehenditur tamen in illa scien- absque materia, & tale est omne illud, quod ijcitur Mathematico, nam quantitas, linea, c. secundum esse naturale sunt in aliqua maria (non enim quantitates existunt separatæ corpore) attamen hæc singula quotiescunque Mathematico definiuntur, definiuntur sine ateria, vt patet in triangulo, de quo dicitur, uod est quædam Figura habens tres angulos cce abstractio per intellectum, quia non ex- icatur, an sit huiusmodi figura in statua, in armore, in mensa &c.) æquales duobus re- is.

Dico Secundò. Quod Logica etiam Vtens non ars in rigore, sed secundum metaphoram, *Logica Vtens quomodo sit ars.* uia ars propriè dicitur illa quæ docet inducere ormam in externã materiã, vt ars domifactiua, iducit formã domus in ligna, in lapides &c. ogica verò docet inducere formam syllogis- i, argumentationis & definitionis in illis en- bus, quæ habent esse in intellectu: vnde sicut demus, quod quando aliquis artifex efficit a- quod, quod ex se est instrumentũ, duplex obie- ũ seu finis illius imaginari potest, principalis vide-

videlicet,& ſecundarius. *Pono exemplum:* Ars domifactiua ordinatur ad hoc,vt per eam quis producat domum veluti inſtrumentum, qua ad habitandum homines vtuntur , & vt ſe defendant ab iniurijs vti,pluuia,vento,&c. & ita hæc ars factiua domus poteſt habere pro fine & obiecto ipſam domũ , vel etiam vt aliquis vtatur domo iam facta , habitando in illa : differenter tamen, quia finis internus & præcipuus huius artis eſt domus: finis verò ſecũdarius eſt habitatio , quoniam artifex comprehendit quidem domum per ſuam artem, & eam efficit , ſed habitatio fit ab alio , qui nimirum vtitur domo iam facta: Ita dixerim de Logica , quæ cum in ſe ſit velut quoddam inſtrumentũ, quo acquiruntur ſcientiæ,duplex obiectum poteſt habere, Attributionis & Principalitatis , intelligendo nomine obiecti Attributionis, omne illud quod adæquatè continet vniuerſa quæ traduntur in hac ſcientia,& ab alijs dicitur obiectum adęquatum, cuius conditiones recenſet S. Thomas in prologo ſententiarum articulo quarto,videlicet, vt omnia comprehendat , tanquam prædicatum vniuerſale reſpectu eorum quæ ſunt in ſcientia , & inde dicitur Attributionis. *Deindè* vt eius cognitio principaliter quæratur , & inſuper vt per ipſum ſcientia diſtinguatur , & inde ſpeciem deſumat. Principale autem obiectum dicitur, quod inter alias partes ſubiectiuas , quæ ad Logicam pertinent , eſt magis præcipuum , ſicut habitatio reſpectu ædificantis, & Deus in Metaphyſi-

Duplex obiectum attributionis.

Principalitatis.

physica, vel vt alij volunt substantia est obiectum.

Prima conclusio. *Logica dirigit operationes intellectus, licet ipsæ operationes non sint eius obiectum, sed se habent vt aliquid materiale, in ordine ad aliam formam.* Hanc conclusionem cum suis fundamentis desumpsi ex Magistro Zanches, neque enim ex recentioribus Thomistis aliquem vidi, ita lucidè impugnantem aduersarios S. Thomę, sicut est hic magister. Probatur ergò *prima pars* huius conclusionis Authoritate S. Thomæ li. 1. posteriorum Lectione prima à principio, qui docet, quod sicut intellectus ex eo, quia videt manum operari aliquid per se ipsam, excogitauit artem fabrilem, vel quãcunque aliam, propter hunc finem vt operationes manuum fierent secundum imperium ipsius: ita similiter quia idemmet intellectus habet operationes sibi proprias, inuenit artem Logicæ, cuius finis est vt tradat modum quo pacto intellectus in suis operationibus sine errore procedat. Prima enim est operatio intellectus nostri, apprehendere simplicia, & propter hanc operationẽ tradit Porphyrius librum Prædicabilium, & Aristoteles Prædicamenta vbi docemur quomodo intellectus habeat definire naturam Generis, Speciei, Quãtitatis, &c. Secunda operatio ipsius est cõpositio simplicium & diuisio, & huic correspõdent libro duo Perihermenias, vbi docetur, an sit recta compositio ista: Homo est lapis, est enim in materia remota: & homo est albus in materia con-

Operationibus intellectus qui libri respondeant.

contingenti: & præterea an homo congruè diuidatur in Petrum, Paulum: vel animal in hominem, vel lapidem &c. Tertia verò operatio cõueniens intellectui, non secundum quod intellectus est, vt illę primæ duæ, sed quatenus ratio est, vocatur discursus ab vno in aliud, & ad dirigendam hanc operationem deseruit doctrina Priorum & Posteriorum, in quibus locis docemur quo pacto, de vno cognito, possemus deuenire in notitiam alterius ignoti, sicut dum video aliquid à longè moueri, *sic argumentor:* Hoc mouet se ipsum: Ergò est viuens: cognosco igitur aliquid viuere, per hoc, quia à se ipso mouetur. Est igitur difficultas inter nos ex schola S. Thomæ, & inter Patres Societatis recentiores, quodnam sit obiectum adæquatum Logicæ, nam isti dicunt, quod sunt illi conceptus & operationes intellectus, simplex apprehensio, compositio, & discursus, quatenus diriguntur per libros Logicæ: Nos vero è contra affirmamus cum Doctore angelico obiectum Logicæ esse aliquid superueniens istis operationibus per modum formę, vt puta simplicium apprehensioni, quę est operatio verè realis, aduenit definitio vt forma, & compositioni conceptuũ, aduenit propositio, enunciatio, conuersio, vt forma: similiter discursui qui est operatio realis aduenit argumentatio vel syllogismus vt forma, & hę formę quatenus sumuntur, in specie, non sunt obiectum adęquatum totius Logicæ, sed potius illud superius in quo ista conueniunt,

Discrimen inter sent. Thomistarum & Iesuitarum.

quod

quod est Ens rationis. *Probatur hoc*, supponendo inprimis tanquam certũ, nempe, quod nulla ars quęcunq; sit illa, cõsiderat materiã suã absolutè, nisi in ordine ad aliquã formam, quã debet introducere. sicut artifex ędificãs domũ, non assumit lapides nec defert ligna, in hunc finẽ, vt speculetur naturã ligni aut lapidis: nec fręnifex, & faber, in hunc finẽ congregat ferrũ, vt possit scire in quo consistat natura ferri, sed omnes isti assumunt materiam propterea, vt in ipsam formã inducant, ædificator enim vult inducere formã domus in ligna & lapides, similiter fręnifex & faber intendit inducere formam fræni, aut mallei in ferrum, & nõ spectat ad illos efficere materiam, quia supponunt iam factam: ex quo desumitur fortissimũ argumentũ in hunc modũ. *Probatio.*

Nullius artis materia venit in vsum artis, nisi vt recipiat aliquam formã ab artifice, & vt ingrediatur quodãmodo ars in illã materiã. Sed materia, qua vtitur Logica, sunt operationes intellect⁹ prędictę. Ergò nõ assumũtur à Logico, nisi in ordine ad aliquã formã q̃ introducit Logica.

Tunc vltra: sed Forma simplicis apprehensionis, est definitio: compositionis, propositio: discursus autẽ forma est argumentatio & syllogismus, quę omnia sunt Entia rationis. Ergò Logica dirigit operationes intellectus: non tamen ipsę operationes sunt eius obiectũ, sed se habẽt vt materiale respectu Entis rationis. *Minorẽ quæ subsumitur sic probo.*

Nam si velles probare alicui, Hominem esse risibi-

risibilem, & assumis hos terminos, sine aliquo ordine, dicendo: (est homo, risibilis, animal, rationale) profectò nunquam concludes intentum, nisi disposueris eos sub aliqua figura, sicut est ista. Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. Ergò omnis homo est risibilis. Et si sic, *inferam.* Ergò discursus, qui est tertia operatio intellectus, habet se in Logica, non tanquam id quod obijcitur, sed vt materiale quid in ordine ad Syllogismũ, & Argumentationem.

Secunda conclusio. *Non tamen ens rationis in sua communitate consideratum, est obiectum adæquatum Logicæ, nec etiam quatenus restringitur ad Syllogismum, vt opinatur Scotus: vel ad Argumentationem, vt docuit Albertus Magnus.* Probatur.

Probatio. *Prima Pars.* Ens rationis in sua latissima acceptione consideratum, extenditur ad priuationes, ad negationes, ad Chimæram: similiter ad Entia Rhetorica, cuiusmodi sunt. Exordium, Figura, Epilogus &c. & ad Entia Grammatica, sicut est Numerus, Comparatio, &c. Sed Logica non considerat principia vel causas negationis, priuationis, exordij, & similium. Ergò ens rationis vt sic nõ est obiectum adæquatum Logicæ.

Secunda Pars contra Scotum & D. Albertum Magnum, probatur à priori: Illud est subiectũ adæquatum alicuius scientiæ, sub cuius ratione continentur omnia, quæ considerat illa scientia. Sed sub ratione Entis rationis, & non sub ratio-

ratione ſyllogiſmi, vel argumentationis continentur omnia, quę conſiderantur in Logica. Ergo non ſyllogiſmus vel argumentatio, ſed Ens rationis eſt ſubiectum adæquatum Logicæ.

Maior debet eſſe certa apud omnes, præſertim quia obiectum ita ſe habet ad ſcientiam, ſicut quodlibet aliud ad propriam potentiam, manifeſtum autem eſt quod color eſt obiectum viſus, ex eo nimirum quia ſub ratione coloris omnia videntur

Minor: Prob. Nam Logicus nihil aliud conſiderat, niſi Speciem, Genus, Argumentationem &c. quæ ſunt entia rationis, pro formali; & ſi quæ ſunt realia, vt de prædicamentis dicitur communiter, tunc huiuſmodi entia realia, in ordine ad ſecundas intentiones conſiderantur, quia ſunt fundamenta earum intentionum: & quoniam hæc ratio ſemper conuincit Aduerſarios, idcirco ſufficiat ſola.

Obiter tamen aduerte, quod in hac concluſione non negamus Argumentationem eſſe obiectum principale, id eſt, quod inter entia rationis principaliter intenditur, in Logica, hoc enim libenter concedimus D. Alberto, & rationes eius idipſum probant, ſi quid probant. *NOTA.*

Tertia concluſio. *Ens rationis, prout conſequitur res exiſtentes in intellectu, definiente, componente, vel diſcurrente, eſt obiectum adæquatum Logicæ.* Probatur ex Ariſtotele ſæpius docente in

ſua Metaphyſica quod Logicus & Metaphyſicus de omnibus diſputant, quia tractant de Ente omnibus communi. Ex quo ſic argumētor.

In hoc loco non accipitur Ens Logicum, pro ente reali, quod omnibus eſt commune ſecundum rem, quia alias nulla diſtinctio poneretur inter prædictas ſcientias. Ergo loquitur Ariſtoteles de Ente Logico, quod conuenire poteſt omnibus ſecundum rationē tantum, & prout ab intellectu concipiuntur. *Tūc vltra:* Sed huiuſmodi eſt Ens rationis. Ergo obiectum adæquatum Logicæ eſt Ens rationis, quod eſt omnibus commune ſecūdum rationem.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Nego Minorē.* Ad cuius probationem, *diſtinguo Antecedens:* Grammatica Rhetorica &c. tractant de Ente rationis, quod habet fundamentum in rebus quæ cognoſcuntur ab intellectu, *nego antecedens*: hoc enim eſt proprium Logicæ. Tractant de ente rationis, quod nullum habet fundamentum in re, ſed in ſola impoſitione & beneplacito primi inſtituentis *concedo antecedens*. Sed nihil contra nos.

Reſp. ad II. Ad ſecundum *Diſtinguo Minorem.* Sed obiectum Dialecticæ eſt argumentatio, obiectū principale, *concedo Minorem*: Obiectum adæquatum, *nego Minorem*, vt dictum eſt.

Reſp. ad III. Ad Tertium: Nego conſequentiam. Aliud enim eſt dicere, quod Logica dirigat opera-

tiones

tiones intellectus: & aliud quod ipsæ operationes sint obiectum adæquatum Logicæ: sicut in simili, ars fabrilis ordinat materiam quæ est substantia, ad hoc, vt inducat aliquam formam: & tamen aliud respicit pro obiecto. Ita ergò in proposito; Logica dirigit quidem operationes intellectus: non tamen operationes sunt eius obiectum. Sed tantum materia, vt iam satis dictum est.

IN LIBRVM PORPHYRII DE QVINQVE Prædicabilibus.

SVMMA SEXTVS.

QVoniã ad hoc vt aliquis cognoscat prædicamenta Aristotelis, oportet primò scire, quid sit Genus, Species, Differẽtia, Proprium, & Accidẽs, (hęc enim quinque requiruntur ad definitionem, diuisionem, & demonstrationem) idcircò compendiosè ómnia prædicabilia per ordinem sunt tractanda. Nec oportet in præsenti mouere quæstiones difficiles, sed simplices solummodò & Logicas. Vtrum enim Genus & Species, & alia vniuersalia, sint in rebus, vel in intellectu, vtrum corporalia vel separata à rebus sensibilibus non est disputandum; quoniam altioris hæc sunt negotij, sed ea duntaxat necesse est tractare, quæ ab antiquis philosophis saltem

probabiliter disputata fuerunt. Hæc de proœmio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum cognitio vniuersalium sit necessaria ad prædicamenta?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò*, si cognitio vniuersalium esset necessaria ad prędicamenta. Ergo Aristot. esset diminutus in sua Logica, & superfluus in Topica: Sed hoc non est dicendum. Ergò nec primum. *Sequela. Prob.* Nam de genere & specie, atque de alijs prædicabilibus tractauit in Topicis, quæ hic determinanda fuerunt

Argu. II. *Secundò*. Omne quod definitur per vniuersalia, aut pertinet ad materiam necessariam, & de hoc est sciētia posteriorum Analyticorum; aut pertinet ad materiam probabilem, & hoc pertinet ad Topicam; aut vero ad materiam apparentem, quam in libris Elenchorum Aristoteles considerat. Ergò hic liber Porphyrij ad nihilum est necessarius.


Argu. III. *Tertiò*. Definitio quælibet constat ex Genere & Differentia, & non ex Accidente. Ergò Accidens, quod est quintum prædicabile, non conducit ad ea, quæ definiuntur in prædicamentis, cuius tamen oppositum asserit Porphyrius, dum ait, quod ista prædicabilia sunt necessaria ad definitionem

Respondeo. Quod necessariū dicitur aliquid dupliciter: Primo modo *absolutè*, alio modo

respectu

respectu finis. Illud est necessarium *absolutè*, quod est necessarium ex habitudine terminorum, quia videlicet prædicatum est de intrinseca definitione & natura subiecti: vt hominem esse animal, est *absolutè* necessariũ: quia animal est de intrinseca definitione hominis: vel etiã è conuerso potest dici, quando subiectum est de definitione prædicati, sicut hominem esse risibilem, est absolutè necessarium, non propterea, quia risibile cadit in definitione essentiali ipsius hominis, sed è conuerso, quia nimirum homo, ponitur in definitione risibilis: risibile enim est aptitudo hominis (ecce ponitur homo) ad ridendum. Illud autem dicitur necessarium *respectu finis*, quod non propter se, sed propter aliud est necessarium, siue sit talis naturæ, vt sine ipso possit finis acquiri, & hoc appellatur vtile, sicut equus ad ambulandum est necessarius, quia sine equo possumus ire, siue etiam sit talis naturæ, vt sine ipso non possit finis acquiri, sicut cibus est necessarius propter conseruationem vitæ, & nauis est necessaria volentibus transfretare. Hoc igitur supposito. *Resolutio. Necessariũ duplex.*

Dico: Quod si vniuersalia accipiamus pro isto libro, quem composuit Porphyrius, tunc oportet omninò dicere, quod vniuersalia non sunt necessaria *absolutè* ad prædicamenta, sed tantum sunt vtilia: & hoc ita potest ostendi. Nam potest aliquis sine isto opusculo intelligere in prędicamẽtis, quid sit Genus, Species,



aut Differentia, sicut de facto erat vsus apud antiquos Philosophos ante Porphyriũ, ac proinde liber iste non est absolutè necessarius ad prædicamenta; alias enim non fuisset ab Aristotele neglectus. *Cæterum*, si vniuersalia accipiamus, pro ipsa cognitione vniuersalium, tunc de ipsis est tota hac difficultas, & ita sit.

Conclusio. *Si vniuersalia accipiamus non pro isto libro quem composuit Porphyrius, sed pro cognitione vniuersalium, quæ in hoc libro traditur, tunc cognitio vniuersalium huiusmodi, est necessaria simpliciter ad prædicamenta, ad definitionem, diuisionem, & demonstrationem, vt Textus declarat.* Probatur.

Probatio. Est necessaria ad prædicamenta, quia prædicamentum nihil est aliud, nisi ordo quidam Generũ & Specierum, secundum sub & supra, vt dicetur inferius, de Genere autẽ & Specie tractatur in hoc opusculo. Est necessaria ad Definitionẽ, quia omnis bona definitio constat ex Genere & Differẽtia, tãquam ex partibus. Est necessaria ad Diuisionem, quoniam diuisio vel est Generis in Species per diferentias oppositas, vel subiecti in accidentia propria aut communia, vt quando dicimus homo aut est coloratus vel non coloratus &c. & insuper necessaria est cognitio vniuersalis ad Demonstrationem, quoniam Medium Demonstratio-

ſtrationis potiſſimę, eſt definitio, vt in libro ſecundo Poſteriorum dicetur: ſpecies autem eſt quæ definitur.

Ad primum igitur dicendum: *Nego ſequelam Maioris.* Nam etiamſi Porphyrius non compoſuiſſet hunc librum, ſufficiens tamen eſt Ariſtoteles in ſua Logica, quia in prædicamẽtis cognoſcũtur ſimul vniuerſalia, eſt enim prædicamentum coordinatio Generum & Specierum, vnde ſicut ad hoc, vt aliquis cognoſcat hominem eſſe animal, non eſt opus, vt prius cognoſcat animal, & deinde hominem, ſed ſimul, animal cognoſcitur cum homine quia cognitio animalis eſt neceſſaria ſimpliciter ad cognitionem hominis: ita etiam quia prædicamentum eſt coordinatio prædicabilium; ordinare autem neſcit, qui rationes & naturas ordinabilium ignorat, hinc eſt, quod prædicabile cognoſcitur, ſine hoc tractatu, cũ prædicamentis. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum iam patet: *concedo* enim quod liber iſte non eſt neceſſarius, ſed tantum vtilis ad prædicamenta, & hoc ſolum argumentum intendit; ſed aliud eſt iudicium de cognitione eorum quæ in hoc libro traduntur, quia eſt ſimpliciter neceſſaria, vt dictum eſt. *Reſp. ad II.*

Ad Tertiũ: *concedo totum.* Quando enim Por- *Reſp. ad III.*

phyrius in hoc proœmio docet, quinque vniuersalia esse necessaria ad prædicamenta, ad definitionem &c. non est intelligendum *disiunctiuè*, hoc est, quasi vniuersale quodlibet esset necessarium ad prædicta quatuor: sed *collectiuè*, hoc est, omnia vniuersalia simul sumpta sunt ad illa 4. necessaria: quodlibet autem vniuersale est necessarium, vel ad definitionem tantum, vel ad diuisionem tantum, sicut accidens commune valet ad cognitionem diuisionis subiecti in accidentia, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum subiectum huius Libri sit vniuersale?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò*. Liber iste est quædam pars Logicæ. Sed Logica est scientia rationalis ex obiecto. Ergò obiectum huius libri debet esse aliquid rationis. *Tunc vltra.* Sed vniuersale est reale, quia omnes sciētiæ reales tractant de vniuersali. Ergò subiectum huius libri non est vniuersale.

Argum. II. *Secundò*. Illud est subiectum huius libri, sub quo continentur omnia prædicabilia. Sed sub vniuersali non omnia prædicabilia continentur. Ergò vniuersale non est huius libri subiectum. *Minor: Prob.* Hoc nomen Deus prædicatur de multis, hoc est, de tribus personis, & tamen non est vniuersale, cum sit indiuiduorum magis, quam Petrus. Ergò non omnia prædicabilia continentur sub vniuersali.

Tertiò

Tertiò. Omnia prædicabilia definit Por- *Argu. II*
hyrius, per hoc, quia prædicantur de multis,
non definit per vniuersale. Ergò potius
rædicabile, & non vniuersale erit subie-
tum.

Respondeo. Quod omnis terminus concre- *Articuli decisio.*
is non tantum significet naturam, nec tan- *Quid sit terminus concretu.*
um subiectum, sed naturam vt est in subie-
o, sicut album non est ipsa albedo tantum,
ec paries tantum, sed paries habens albedinē.
nde qui diceret album esse albedinem, dice-
t albedinem esse suiipsius subiectum, & hoc
t falsum, albedo enim non est alba, sed est id
uo aliquid formaliter est album. Cum igitur
niuersale, vt statim dicam in sequentibus, sit
uoddam concretum ex natura communi, &
la intentione, siue relatione ad plura, quam
lationem habet ex opere intellectus, hinc est,
uod si quis diceret naturam esse vniuersalē
ne illa relatione, idem est, ac si diceret album
e sine albedine: & è contra, si quis diceret, v-
uersale esse ipsam Relationem sine natura
biecta, idem est, ac si diceret, album esse ipsā
bedinem sine subiecto. Vniuersale igitur est
tura cum illa relatione: sed quoniam ista
tura est quid reale, si secundum se conside-
tur, quamuis vt stat sub relatione prædicta,
aliquid rationis, hinc est, quod considerata
cundum se pertinet ad omnes scientias: ad
nc verò tractatum spectat, quatenus sub il-
intentione vniuersalitatis consideratur.

Conclusio: *Licet omnes scientiæ reales sicut est Physica, Mathematica, & Metaphysica, tractent de vniuersali: tamen vniuersale, prout stat sub intentione secunda, est huius libri subiectum.*

Probatur. *Prima Pars:* Ad hoc, vt aliqua sciẽtia tractet de vniuersali, sufficit, quod considerat Ens secundum proprietates communes & vniuersales. Sed omnes scientiæ reales hoc modo sua obiecta considerant: nam Physicus considerat Ens mobile, secundum proprietates illius, quæ sunt communes omnibus, quæ pertinẽt ad scientiam physicam, & sic de alijs. Ergò omnes scientiæ considerãt de vniuersali. *Secunda vero Pars* probatur: vniuersale, vt stat sub intentione secunda habet aliquas proprietates, quæ ipsi conueniunt ex intellectu tantum, sicut est prædicari de multis speciebus, & indiuiduis &c. Sed in hoc libro considerat Porphyrius huiusmodi proprietates. Ergò vniuersale est huius libri subiectum.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *distinguo assumptam Minorem.* Sed vniuersale est reale, in quantum est vniuersale abstractum à singularibus tantum *concedo Minorem*: prout stat sub intentione vniuersalitatis, *nego Minorem:* verbi gratia, consideratur in hoc libro, homo vt species: animal vt genus: Petrus vt indiuiduum, &c.

Resp. ad II Ad secundum: *Nego Minorem.* Ad cuius probationem dico, quod hoc nomen DEVS non

non prædicatur propriè de pluribus, nec est propriè vniuersale, quia personæ diuinæ non sunt aliqua plura distincta specie, vt de illis prædicaretur Genus: nec plura distincta numero, vt de illis prædicaretur Species: sed sunt vnus Deus, quamuis tres personæ.

Ad Tertium: *Nego consequentiam*. Licet enim posset *concedi*, quod omnia vniuersalia definit Porphyrius, per hoc, quia prædicantur de multis: hoc tamen ideò fecit, quia prædicatio notior est, quam vniuersale, cum sit passio vniuersalis, sicut risibile est passio hominis. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS III.

Vtrum vniuersale sit aliquid?

VIdetur quod non. *Primò*. Docet enim Aristoteles lib. 1. de Anima, quod vniuersale nihil est, aut posterius est. Et in primo Posteriorum, disputans contra Platonem inquit: Valeant species & genera, quia si sunt, monstra sunt. Ergò vniuersalia nihil sunt. *Argument. I.*

Secundò. Omne quod est aliquid in mundo, est singulare. Sed vniuersale non est singulare. Ergò vniuersale non est aliquid in mundo. *Maior patet ad sensum*. Nam Deus, cælum, & alia, quæ videntur, siue sint substantiæ, siue accidentia, quia sunt aliquid, sunt singularia. *Argument. II.*

Tertiò. Si vniuersale esset aliquid, *Interrogo*: *Argument. III.*

aut

aut incepit: aut non incepit: Si non incepit, ergò erit æternum, quod Deo soli conuenit: si incepit, *percunctor:* aut à se, aut ab alio. Non à se: quia nihil est sui ipsius causa. Nec etiam ab alio: quia esset particulare. Omne enim quod generatur vel creatur, est particulare. Ergò vniuersale nihil est.

Decisio. Respondeo. Quod vniuersale multipliciter sumitur.

Vniuersale multiplex. Aut enim est aliquid *Vniuersale in causando*, quod scilicet est causa vniuersalis omnium: sicut Deus dicitur vniuersalis.

Aut est *Vniuersale in cognoscendo*, quod scilicet cognoscit vniuersa, & hoc modo anima intellectiua est vniuersalis.

Aut *Vniuersale in repræsentando*, quod plura repræsentat: sicut species intelligibilis abstracta à phantasmatibus dicitur vniuersalis. Et de istis omnibus vniuersalibus non currit præsens quæstio, manifestum est enim quod vniuersalia ista sunt aliquid.

Sed quarto modo sumitur. *Vniuersale in essendo & prædicando*, nimirum quod prædicatur de multis & est in multis: sicut homo, animal &c. sunt vniuersalia. Sed aduerte, quod in vniuersali hoc modo sumpto possumus considerare duo.

Nota I. *Primò* ipsam vniuersalitatem, qua aliquid est formaliter vniuersale, & de hac dicemus in Libro primo periher: quod est aliquid, scilicet relatio ad inferiora, consequens res in intellectu.

Secundò

Secundò, possumus considerare naturam, *Nota II.*
quę denominatur vniuersalis: sicut homo de-
nominatur species, & animal genus, & de
hoc est tota controuersia inter Philosophos:
Vtrum, verbi gratia, ille homo, qui denomi-
natur species vniuersalis, sit aliquid: & si est a-
liquid, vtrum sit substantia vel accidens.

Dico igitur quod res, prout sunt in mundo,
non cognoscuntur ab intellectu nostro, quia
res quælibet in mundo est materialis, & ali-
quo modo corporea: intellectus autem est im-
materialis, & ideò quando debet aliquid co-
gnoscere, prius illud obiectum cognoscitur
per sensum exteriorem, deinde recipitur inte- *Quomodo*
rius in phantasia, quæ est quædam potentia *fiat vni-*
in homine, in qua illa res, quæ videbatur, ap- *uersale.*
paret cum sua materia: postea anima intelle-
ctiua respicit ad istud obiectum, quod est in
phantasia: & quia est materiale, non potest il-
lud cognoscere: sed abstrahit illud à materia,
& sic causatur ibi in intellectu quædam ima-
go repræsentans hominem vniuersaliter: non
Petrum vel Franciscum. Ex quo *sequitur*,
quod, quia ille homo abstractus à phantasma-
te, non est aliquod particulare indiuiduum,
ideò intellectus dedit illi hanc denominatio-
nem, à qua vocetur vniuersale: cuius deno-
minationis materiale, est natura illa abstracta:
formale vniuersalitas.

Conclusio. *Vniuersale est aliquid, non tamen*
sola vox, aut solus conceptus, sed natura, quæ ab-
stra-

strabitur per intellectũ, & habet relationẽ ad multa.

Probatur prima Pars. De non ente non est scientia: sed de vniuersali datur scientia, quam Porphyrius tradidit in hoc opusculo. Ergò vniuersale est aliquid. *Secunda verò Pars conclusionis*, scilicet quod vniuersale non sit vox sola, vel solus conceptus, probatur: Si vniuersale esset vox sola, vel conceptus tantùm; sequeretur, quod omnes propositiones vniuersales, intelligerentur de voce & conceptu vniuersali tantum, & non de rebus. Sed hoc est falsum. Nam alias quando definitur homo, quod, est *animal rationale*, esset sensus, quòd hęc vox *Homo*, vel conceptus hominis, est animal rationale, quod absurdum est. Relinquitur ergò, quod, si vniuersale Logicum, non est vox sola, vel cõceptus solus: ergò est aliqua natura, quæ significatur in voce & conceptu.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *Admitto authoritatem Aristotelis, & explico illam*: quando enim dicit Aristoteles, vniuersale nihil est, aut posterius est, ita est explicandus: quod nulla est natura vniuersalis existens in materia: quod si est separata, hoc est posterius, id est, per operationem ipsius intellectus, vt dixi. Quod verò addit: valeant genera & species, quia monstra sunt, loquitur ibi de Ideis quas Plato fingebat: & non de vniuersali in prædicando,

Resp. ad II Ad secundum: *distinguo Maiorem*: Omne, quod est in mundo, est singulare: si est extra intellectum: *concedo Maiorem*: in intellectu: *Nego*

Maio-

Maiorem. Quamuis.n.res quelibet sint singulares: tamen per operationem intellectus fiunt vniuersales. Ad Tertiũ. Similiter *distinguo Maiorem:* Si vniuersale est aliquid extra intellectũ: aut incepisset aut non incepisset, *concedo Maiorem:* si est aliquid in intellectu, *Nego Maiorem,* vt ex dictis patet. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum vniuersale sit aliquid in re extra intellectũ? *Argum. I.*

VIdetur quod nõ. *Primò.* Omne quod abstrahitur per intellectũ à singularib. est in solo intellectu: sed vniuersale abstrahitur per intellectũ à singularib. dicit.n. Cõmentator l. 1. de Anima, quod intellectus agẽs est qui fecit vniuersalitatẽ in reb. Ergò vniuersale nõ est in re, sed in intellectu. *Secundò.* Omnis perfectio debet esse in suo perfectibili, sed vniuersalia sunt perfectiones intellectus: & non rei. Ergò in solo intellectu est vniuersale. *Minor: Prob.* vniuersale est per opus intellectus. Ergò est perfectio intellectus, quia vnũquodq; perfectum est per suã operationẽ. *Tertiò.* Omne quod est ę parte rei, vel est substantia vel accidens, sed vniuersale nihil horũ est. Ergò non est à parte rei. *Minor: Prob.* Non est substantia: quia predicamẽta sunt vniuersalia, & tamẽ nõ sunt substãtię: Nõ est etiã accidẽs: quia secũdę substãtiæ sunt vniuersales & tamẽ nõ sunt accidẽtia. *Argum. II.* *Argument. III.*

Respondeo. Quod multiplex in hac re apud antiquos fuit opinio. Nã Heraclitus quia videbat, quod omnes res sunt mutabiles, quædam enim generantur, & quædã secũdũ locũ *Resolutio. Opinio Heracliti de vniuers. & eius refutatio.*

mouentur, negabat simpliciter esse aliquid vniuersale: sed tantum singularia, vnde inferebat, quod homo qui hodie viuit, non est ille, qui heri vixit, propter mutationem continuã: imò, si quis intraret ex vna parte fluuium, & deinde vellet reuerti ex altera, iam redibit alter homo, quia est mutatus: Hæc tamen opinio est falsa. Nam si nihil esset vniuersale, non esset scientia in mundo, quia sciẽtia est de obiectis vniuersalibus: quod si non esset scientia, frustra homines naturaliter desiderant scientiam, quod non est dicendum. Plato autem concedebat quidem vniuersalia esse, sed ad eũ sensum, quia existimauit, quod essentiæ omnium rerum sunt separatæ à particularibus, & per se existunt, sine omni opere intellectus, à quibus quodlibet singulare habet suum nomen, & definitionem, verbi gratia, natura humana secundum Platonem est vniuersalis, & existit extra omnem particularem hominem: tamen quilibet homo particularis appellatur homo, & definitur homo per illam naturam. Hoc tamen irrationabiliter dicitur. Nã si ille homo est separatus secũdum rem, quomodo prædicabitur de homine particulari, si nihil prædicatur de altero à quo realiter est separatum.

Opinio Platonis & eius refutatio.

Sciendum est igitur quod Aristoteles mediam opinionem sequitur. Docet enim, quod vniuersalia sunt coniuncta singularibus secundum esse & existentiam, & sunt separata à sin-

Sententia Aristotelis.

singularibus secundum rationem.

Pro clariori rei intelligentia oportet aduertere: quod plura ſunt in rebus maximè inter ſe coniuncti, quæ tamen habent diuerſas naturas: ſicut in lacte eſt albedo, dulcedo, & ſubſtantia lactis: Et hoc totum vocatur lac : & tamen diuerſa eſt natura albedinis, dulcedinis & lactis, quia non omnis albedo eſt lac : & in homine etiam corpus, & anima ſunt vnus homo, non tamen homo eſt anima, vel corpus, alias enim omnis anima eſſet homo. Sic in propoſito, quodlibet vniuerſale Logicum habet duo, inter ſe coniuncta, ſcilicet naturam communẽ, quæ dicitur vniuerſalis, & ipſam vniuerſalitatem: ſicut, verbi gratia, homo vniuerſalis habet naturam communem Petro & Paulo : & præterea habet quendam conceptum Entis rationis, ſcilicet ſpecieitatem, à qua homo denominatur ſpecies: non tamen natura vniuerſalis, nempe homo, eſt ipſa vniuerſalitas, ſecundũ eſſentiã, quia vniuerſalitas, eſt quidam conceptus ſecundum quem homo refertur ad nferiora & in ſolo eſt intellectu ; at vero natura illa, ſcilicet homo, eſt in rebus, Petrus enim eſt homo, & Franciſcus eſt homo extra omnem intellectum. Iſte autem homo vniuerſalis, qui eſt in Petro, in Franciſco extra intellectum, ſola ratione diſtinguitur ab homine articulari, qui eſt in Petro tantum, & Franciſco tantum, propterea, quia idem homo, qui t in Petro, & Franciſco ſingulari, quãdo intelli-

NOTA.

Quid ſit vniuerſalitas.

telligitur secundum se, abstrahendo à Petro & Francisco, est vniuersalis. Distingue igitur, in vniuersali Logico, hæc duo inueniri, scilicet naturam, quæ abstrahitur à singularibus, & ipsam vniuersalitatem, seu abstractionem, vt alij volunt, & natura quidem cui accidit abstractio seu vniuersalitas, non nisi est in singularibus: Vniuersalitas vero in intellectu.

Quæ constituant vniuersale.

Prima conclusio. *Vniuersale Logicum, si sumatur pro suo materiali, est aliquid in re extra intellectum.*

Probatur. Illud quod verè affirmatur de re, est aliquid in re: sed vniuersale Logicum verè dicitur de re, ergo est aliquid in re. *Maior est manifesta.* Nihil enim prædicatur affirmatiuè de aliquo, in quo non est; sed dici De, præsupponit, esse In. *Minor etiam patet in multis.* Nã hęc propositio est vera. Petrus est homo, Franciscus est homo & c. *Tunc vltra.* In ijs propositionibus termini accipiuntur pro rebus, vt author est Aristoteles *Primo Elench. cap. 1.* Ergo sicut subiectum singulare, scilicet Petrus, Frãciscus & c accipitur pro re singulari; ita prædicatum vniuersale accipitur pro re vniuersali, quæ communis est Petro & Francisco.

Secunda conclusio. *Si vniuersale sumatur pro suo formali, non est aliquid in re sed in solo intellectu.* Probatur. Vniuersale pro formali nihil est aliud, nisi ipsa intentio, vniuersalitatis. Sed intentio vniuersalitatis, cum sit Ens rationis, non est a-

est aliquid in re extra intellectum. Ergo vni-
uersale pro formali non est aliquid in re extra
intellectum.

Ad primum igitur dicendum: *Distinguo Mi-* *Resp. ad I*
norem. Sed vniuersale abstrahitur per intelle-
ctum à singularibus, quo ad suum formale
consideratum, & prout est intentio vniuersa-
litatis, *concedo Minorem*, materialiter vero sum-
ptum vniuersale, pro ipsa natura quæ in indi-
uiduis multiplicatur, *nego Minorem*. Hanc dis-
tinctionem explicabo plenius in libris Peri-
hermenias in quæstione de natura Entis ratio-
nis.

Ad secũdũ: *Distinguo Minorem*: Omnis per- *Resp. ad II*
fectio debet esse in suo perfectibili, si est per-
fectio naturalis *concedo Maiorem*. Nam anima
coniungitur corpori, & est perfectio corporis;
similiter intellectus coniungitur animæ &
est ipsius perfectio. si autem fuerit perfectio
tantum denominans *nego Maiorem*, & hoc mo-
do vniuersale, formaliter sumptum est per-
fectio accidentalis animæ, quæ ipsi aduenit,
iam existenti in sua natura.

Ad Tertium; *Dico*, quod, si accipiatur vni- *Resp. ad III.*
uersale materialiter pro natura rei, tunc ali-
quod vniuersale est substãtia; sicut homo, ani-
mal &c. & aliquod accidens: vt album, dul-
ce &c. Sed formaliter considerando vniuer-
sale, pro ipsa intẽtione, aliter est dicendum, vti
explicabitur inferius; modo autem supponas
hoc esse verum.

ARTICVLVS V.

Vtrum quinque tantum sint prædicabilia?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Quot sunt singularia tot sunt vniuersalia. Sed plura sunt singularia, quam quinque. *Maior: Prob.* singulare opponitur vniuersali, sed multiplicato vno oppositorum, multiplicatur & reliquum. Ergò ad multiplicationem singularium, multiplicantur & vniuersalia, & ita tot sunt vniuersalia, quot & singularia.

Argum. II. *Secundò.* Quodlibet prædicamentum est vniuersale prædicabile. Ergò tot sunt vniuersalia, quot prædicamenta. Sed prædicamenta sunt decem. Ergò etiam vniuersalia erunt decem. *Antecedens. Prob.* Quia prędicamenta sunt genera generalissima, ergo sunt maximè vniuersalia, ergò maxime prædicabilia: vniuersale enim est aptum natum esse in multis, & dici de multis.

Argu. III. *Tertiò.* Vniuersale in communi consideratum est distinctum contra quinque vniuersalia in specie considerata. Ergò plura sunt vniuersalia quam quinque. *Antecedens. Prob.* Vniuersale in communi, est quoddam superius ad ista. Nam genus est vniuersale, species est vniuersale &c. ergò est distinctum: nam alias si non esset ab illis distinctum, sequeretur, quod aliquod vniuersale ex istis quinque esset commune ad quinque vniuersalia, vt puta Genus,

vel

vel Species, vel aliquod aliud esset commune ad Proprium, Differentiam, & Accidens & ita esset prædicatio bona. Differentia est vniuersale, quod est Species, Proprium est vniuersale, quod est Species &c. quod absurdum est. Ergo vniuersale in communi consideratum, nō est aliquod ex istis, & per consequens plura sunt vniuersalia.

Decisio.

Vniuersale & prædicabile quomodo distinguātur.

Respondeò Quod vniuersale & prædicabile idem sunt secundum rem, quia eadem natura secundum rem est vniuersalis & prædicabilis, licet ista duo sint distincta secundum rationem, ideò enim aliquid dicitur vniuèrsale, quia est aptum esse in multis, & ideo dicitur prædicabile, quia potest prędicari de multis, sicut idem homo secundum rem potest dici vniuersale & prædicabile, est vniuersale, quia est in multis indiuiduis, in Petro videlicet, in Francisco, & alijs: Est prædicabile, quia prædicatur de illis, & quoniam nihil potest prædicari de aliquo in quo non est, sicut homo non dicitur iustus vel religiosus, in quo non est iustitia vel religio, idcircò prædicari de multis, & esse in multis, habēt inter se quendam ordinem, prius enim est aliqua natura vniuersalis & deinde prædicabilis, adeò, vt prędicabile cōparatum vniuersali, habeat se velut quædam propria passio ipsius, sicut risibile est passio hominis. Hoc igitur modo summum vniuersale diuiditur ab antiquis Logicis in vniuersale ante rem, in re, & post rem.

Diuisio vniuersalis.

Vniuersale ante rem quid sit.

Vniuersale ante rem dicitur illud quod est natura communis considerata secundum se sine aliquo respectu ad singularia, quæ præcedit tanquam principium ipsorum, licet non existat extra singularia, vt dictum est, sicut homo vocatur vniuersale ante rem, quando ego considero ipsam naturam humanam secundum se sine respectu ad Petrum siue Franciscum, præcedit enim hoc modo Petrum & quodcunque indiuiduum, tanquam principium formale indiuidui.

Vniuersale in re quid sit.

Vniuersale in re vocatur illud, quod est natura communis, considerata secundũ, esse, quod habet in Indiuiduis, tanquam principium essentiale indiuiduorum: verbi gratia, illamet natura humana, prout consideratur vt existens in Petro, vel Francisco, est vniuersale in re existens.

Vniuersale post rem quid sit.

Cæterum vniuersale post rem, est natura communis considerata secundum, esse, quod habet non in re singulari: sed in intellectu per abstractionem à singularibus.

Hoc igitur tertio modo sumptum vniuersale, scilicet post rem, formaliter consideratum, diuidit Aristoteles in 1. Top. cap. 3. in Propriũ, Definitionem, Genus, & Accidens, neque enumerat explicitè Speciem & Differentiam, quia ibi considerat prædicabilia, quatenus ex ipsis dialecticæ seu probabiles quæstiones oriuntur, & quoniam ex ijsdem principijs procedit Genus & Species, & ex quibus Definitio

nitio procedit, procedit & Differentia, hinc est, quod sub Genere, intellexit implicitè Speciem, & sub Definitione Differentiam: at vero Porphyrius, quia non ad hunc finem consideeat prædicabilia, sed potius, vt nos ducat in cognitionem Prædicamentorum Aristotelis, idcirco secundum diuersum modum prædicandi, quinque prædicabilia constituit, sumpta similitudine ex composito Physico & Naturali: nam in omni re naturali inuenitur primò ipsum compositum, sicut homo, & deindè materia, sicut corpus n homine, tandem forma, sicut anima raionalis, & vltra hoc accidens, quod consequitur compositum propter formam, scilicet risibile, & alterum accidens, quod consequitur compositum propter materiam compositi, sicut album, calidum, &c. consequuntur hominem in aliquo Indiuiduo. Sic ergò n proposito, Ens Logicum hoc etiam videtur habere. Est enim primò considerare in ipso nte aliquid tanquam compositum, & sic est prædicabile, quod vocatur Species, in qua oco materiæ est Genus, & loco formæ Differentia, præterea accidens proprium consequitur speciem ratione Differentiæ, & accidens quintum prædicabile, quod potest adesse & abesse, consequitur speciem ratione iniuidui.

Quomodo colligatur numerus vniuersalium. A simili.

Conclusio. *Tantum sunt quinque prædicabilia, scilicet Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens.*

Probatur. Prædicabile dicitur ex modo prædicandi: ſed non poſſunt eſſe plures vel pauciores modi prædicandi quam quinque. Ergo prædicabilia ſunt tantum quinque. *Minor: Prob.* Aut enim aliquid prædicatur in quid, vel in quale; ſi in quid, vel de pluribus differentibus ſpecie, & ita eſt Genus; vel differentibus numero, & ſic eſt Species; ſi in quale, vel in quale eſsētiale, & ſic eſt Differētia; vel in quale accidentale, & hoc dupliciter vel conuertibile, ſicut eſt Proprium, vel commune ſicut eſt Accidens. Ergo non ſunt plures aut pauciores modi prædicandi quam quinque.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Diſtinguo Maiorem:* tot ſunt vniuerſalia quod ſingularia, ſi ſumantur vniuerſalia pro materiali & ſecundum quod exiſtunt in ſingularibus, *concedo Maiorem*, ſi ſumantur formaliter, quatenus conueniunt in aliqua intentione vniuerſalitatis ſeu in aliquo modo prædicandi, *nego Maiorem.*

Reſp. ad II. Ad ſecundum. *Explico Maiorem:* quodlibet prædicamētū eſt vniuerſale prædicabile, *id eſt*, quodlibet prędicamentū eſt in multis, & dicitur de multis *concedo Maiorē*, ſi vero intelligas ad cū ſenſum quod exinde ſumatur ratio prędicamenti, vnde ſumitur ratio prædicabilis, *nego Maiorem.* Ratio enim prædicabilis conſiſtit in hoc, quod dicitur de multis ſecundum determinatum modum prædicandi: at verò prædicamentum eſſentialiter, eſt

Ratio formalis prædicabilis & prædicamenti.

est coordinatio prædicabilium in genere determinato, vt dicam inferius.

Ad Tertium : Nego antecedens. Non enim vniuersale in communi consideratum, est aliquid distinctum contra quinque vniuersalia, ad eum modum vt dicitur in argumento: sed pro istius res intelligentia sit.

ARTICVLVS VI.

Vtrum vniuersale sit genus ad quinque prædicabilia?

VIdetur quod non. *Primò.* Substantiæ & accidenti nihil potest esse vniuòcum, vt dicunt Thomistæ: sed Genus, Species, & Differentia habent se per modum substantiæ, & prædicantur in quid, vel in quale essentiale: Proprium vero & Accidens sunt accidentia. Ergo vniuersale non potest esse Genus vniuocum respectu quinque prædicabilium. *Argum. I.*

Secundò. Si vniuersale esset genus, sequeretur, quod Species prædicaretur de Genere: sed hoc est contra omnem philosophiam. Ergo vniuersale non est genus ad quinque prædicabilia. *Sequela Maioris. Prob.* Supposito enim quod quinque solummodo sunt vniuersalia, & ex illis *primum* est Genus, quod debet prædicari de specie vniuersali. Ergo si ad genus est aliquod vniuersale superius, quod vocatur Genus, hoc ipsum Genus prædica- *Argu. II.*

tur de illo vniuersali, dicendo vniuersale est Genus, sed hoc Genus est Species respectu illius vniuersalis. Ergò Species prædicabitur de Genere.

Argu. III. *Tertiò.* Prædicatio analogicè dicitur de prædicatione per se & per accidens, & non est genus ad ista duo: Sed inter quinque prædicabilia, sunt quædam prædicabilia per se, sicut Genus, Species, & Differentia: & quædam prædicabilia per accidens, sicut duo postrema, scilicet Proprium & Accidens. Ergò prædicabile est analogum ad quinque prædicabilia.

Resolutio.

Quomodo vniuersale sic genus ad Prædicabilia.

A simili.

Respondeo. Quod vniuersale, sicut iam supra dictum est, est aliquid concretum, vnde ita est iudicandum de ipso, sicut de alijs concretis. Manifestum est autem, quod concretum, verbi gratia, album, dupliciter considerari potest. *Primo modo* materialiter, quando videlicet, nomine albi intelligitur solum corpus, non considerando, quod sit album. *Alio modo* sumitur album formaliter, quatenus consideratur corpus vt habet albedinem: & si *primo modo* sumatur album, oportet omninò dicere, quod non est aliquod superius tanquam genus vniuocum, sub quo continetur albedo, & illud corpus album, quia albedo & illud corpus præcisè sumptum, sunt naturæ maximè diuersæ, quarum vna est substantia, & altera ac-

ra accidens : cæterum ſi conſideretur album vt ſtat ſub albedine, habet aliquod vniuocum ſuperius tam corpori albo quam albedini, vnde ſicut albedo eſt accidens & qualitas, ita corpus album, vt habet albedinem eſt quale. Sic ergò in propoſito, vniuerſale poteſt ſumi dupliciter : *primo modo* materialiter, quando videlicet nomine vniuerſalis, intelligimus ipſam tantum naturam, quæ denominatur vniuerſalis, non conſiderando vt habet vniuerſalitatem : *& alio modo* formaliter, quatenus conſideratur natura ſimul cum vniuerſalitate.

Si itaque volumus ſcire, vtrum ad quinque vniuerſalia ſit aliquid ſuperius tanquam genus, diſtinguendum eſt, quod accipiendo vniuerſalia materialiter, pro ipſis naturis, quæ denominantur vniuerſales, non habent aliquid vniuocum, quia ſunt naturæ diuerſiſſimæ, Genus enim Species & Differentia, materialiter ſumpta, ſignificant ſubſtantiam rei, Accidens verò & Proprium ſunt extra rei eſſentiam. At verò ſi conſiderentur hæc vniuerſalia formaliter, ſcilicet pro eo in quo conueniunt, ſic vniuerſale eſt genus reſpectu quinque prædicabilium.

Concluſio. *Vniuerſale eſt genus reſpectu quinque prædicabilium.*

Probatur. Illud eſt Genus vniuocum, quod

quod prædicatur de multis secundum idem nomen, & secundum eandem definitionem. Sed vniuersale significat omnia prædicabilia, sub eadem definitione, & sub eodem nomine. Ergò est genus vniuocum, respectu prædicabilium. *Minor Prob.* Vniuersale illud est, quod est in multis, & prædicatur de multis, sed etiam quodlibet prædicabile ex his quinque, & est in multis, & prædicatur de multis. Ergò eadem definitione significantur omnia prædicabilia, sicut definitur ipsum vniuersale.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Distinguo Maiorem.* Substantiæ & accidenti, nihil potest esse vniuocum, si sumantur materialiter, & secundum proprias entitates, *concedo Maiorem:* si sumantur formaliter, hoc est, vt denominãtur ab eadem vniuersalitate vniuersalia, *nego Maiorem.*

Resp. ad II. Ad secundum. *Distinguo sequelam Maioris:* Sequeretur, quod species prædicaretur de genere, prædicatione accidentali, *concedo Maiorem:* prædicatione naturali & essentiali, *nego Maiorem.* Vnde hæc prædicatio est per accidens, vniuersale est genus, sicut ista, animal est genus. Nam quemadmodum non est de essentia cuiuslibet animalis, vt sit Genus (alias enim homo & equus essent Genera distincta) ita similiter non est de essentia vniuersalis vt sit genus, quia alias sequeretur, quod prædicabilia in specie considerata, essent Genera, quia sunt essentialiter vniuersalia, quod tamen nõ admittes.

Ad

Ad tertium. *Nego Maiorem*, ſcilicet, quod prædicatio vt ſic, dicatur analogicè de prædicatione eſſentiali & accidentali, licet inter iſta duo videatur eſſe quædam analogia.

CAPVT PRIMVM DE GENERE.

SVMMA TEXTVS.

PRima concluſio. *Genus ſumitur tripliciter.* Primo modo pro collectione multorum habentium aliquam habitudinem, tum inter ſe, tum etiam reſpectu vnius principij: ſicut collectio Romanorum, qui à Romulo deſcẽdunt per ſucceſſiuam generationem, vocatur genus, in quantum omnes reſpiciunt illum Romulum, tanquam ſuum principium, & hoc modo in omni collectione, quæ eſt ab vno principio, poteſt inueniri Genus, ſi tamen illa collectio diſtinguitur ab alia, vnde collectio hominum deſcendentium ab Adam, non eſt genus Adamitarum, omnibus enim collectionibus hoc eſt commune. *Triplex Generis acceptio.*

Secundo modo accipitur genus è conuerſo reſpectu præcedentis acceptionis, ſcilicet pro eo quod eſt principium generationis, ſiue tanquam pater: ſicut Oreſtes, habet genus ſeu generationem à Tantalo: ſiue tanquam locus: ſicut Plato eſt genere Athenienſis.

Tertiò

Tertio modo dicitur Genus, omne illud, cui ſubijcitur Species, & hoc modo ſumptum ita
Definitio Generis. deſcribitur: *Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus Specie, in eo quod quid eſt: vt animal.*

Concluſio ſecunda. *Genus diſtinguitur ab alijs prædicabilibus.*

Probatur. Primò enim diſtinguitur ab Indiuiduo, quia Indiuiduum de vno dicitur, & Genus de pluribus.

Secundò diſtinguitur à Specie, quia Species prædicatur de pluribus Indiuiduis, ſed Genus de pluribus Speciebus. Homo enim eſt Species, & dicitur de Petro, Franciſco &c. quę omnia ſunt Indiuidua: animal verò eſt Genus, & dicitur de homine, & equo &c. quæ omnia ſunt Species eius.

Tertiò diſtinguitur à Differentia, & Accidente: quia licet Accidens & Differentia prædicentur de pluribus ſpeciebus, in quale, non tamen in quid. Nam ſi interrogatur quiſpiã, qualis eſt homo ſecundum eſſentiam? *Reſpondemus* rationalis. Et qualis eſt homo ſecũdum accidentia? *Reſpondemus* niger, vel albus &c. at vero Genus prædicatur in quid. Nam, ſi interrogetur quiſpiam: quid eſt homo? *Dicemus* eſt animal.

Quartò. Diſtinguitur Genus à Proprio, quia Genus dicitur de pluribus Speciebus: at verò Proprium de vna ſolum Specie dicitur, & de omnibus illius Indiuiduis: ſicut animal dicitur de homine & equo: ſed riſibile de homine tan-

ne tantum, & de illius Indiuiduis. Quoniam ergo per istam definitionem datam distinguitur Genus ab alijs prædicabilibus, vt dictum est, idcirco definitio prædicta ipsius Generis, nihil superfluum, vel diminutum continet. Et hæc habet Porphyrius in Textu huius capitis.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitio Generis sit conueniens?

VIdetur quod non. *Primò.* Pars non prædicatur de toto, quia non bene dicitur homo est anima, domus & paries: sed Genus est pars Speciei. Ergò Genus non prædicatur de Specie, & ita definitio est falsa. *Minor: Prob.* Quia Species constat ex Genere & Differentia tanquam ex partibus. *Argument. I.*

Secundò. Est aliquid quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid & tamen non est genus: Ergò nulla est definitio Generis. *Antecedens. Prob.* Ens prædicatur de pluribus speciebus, scilicet de homine & equo &c. Equus enim est ens, homo est ens, & vniuersaliter omnis species est ens: quod verò ens non sit genus, in Antepredicamentis dicetur: similiter homo prædicatur de pluribus speciebus, dicendo: asinus non est homo, equus et mensa non est homo, & tamen homo non est genus, vt patet. *Argument. II.*

Tertiò. Omnia quæ sunt sub genere, conue- *Argument. III.*

niunt

niunt in ſpecie. Ergò non differunt ſpecie. Ergo Genus non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. *Antecedens.Prob.* Nam animal eſt genus,& ſub illo eſt homo, equus &c. iſta autem conueniunt in ſpecie, nam homo eſt ſpecies & equus eſt ſpecies &c.

Argu. IV. *Quartò.* Multa ſunt accidentia quæ ſunt verè genera: & tamen illa non prædicantur in quid, ſed in quale. Ergo genus non prædicatur in quid. *Minor: Prob.* Nam album, & nigrũ ſunt ſpecies, & habent pro genere coloratum, quod dicitur de albo, & nigro in quale, nam ad interrogationem quale eſt album? *dicimus* coloratum.

Deciſio. *Genus duplex Phyſicum & Logicum.* *Reſpondeo.* Quod Genus eſt duplex: Phyſicum & Logicum. Genus Phyſicum eſt materia vel ſubiectum, ex quo aliqua generantur, & in quod vltimatè corrumpuntur. Vnde illa ſunt eiuſdem generis Phyſici, quæ habet eandem materiam communem, circa quam poſſunt mutuò tranſmutari, & quæ non habent eandem materiam, non ſunt in eodem genere Phyſico. Et de tali genere loquitur Ariſtoteles *lib. 10. Metaphyſicæ,* dum ait, quod corruptibile & incorruptibile differunt plus quam genere.

Tres modi identitatis & differentiæ. *Cæterum Genus* Logicum eſt quoddam vniuerſale, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid: Pro cuius definitionis intelllgentia ſciendum eſt, quod ſicut tripliciter aliqua ſunt idem, ita etiam tribus modis aliqua

qua differunt: Sunt enim aliqua idem genere, quæ nimirum conueniunt in aliquo prædicato superiori, quod habet sub se plures species: sicut homo & equus sunt idem in suo genere; similiter homo & Angelus in substantia &c. Alia sunt idem specie, quæ nimirum eandem habent definitionem: vt Petrus & Franciscus continentur sub eodē homine. Alia sunt idem numero, quæ nimirum non constituunt numerum diuersū, nec possunt numerari: vt homo, & animal rationale, similter, Tullius, Cicero. Ita ergo tribus modis aliqua sunt differētia: Aut enim differunt numero cuiusmodi sunt illa quę faciunt numerum diuersum: sicut Petrus & Franciscus faciunt numerū diuersū. Aut differunt specie quando videlicet habent definitiones diuersas: vnde Petrus, Bucephalus pertinent ad distinctas species, quia non est eadem vtriusque definitio, aliter enim definitur Bucephalus, & aliter Petrus, si definiretur: Aut differunt genere, quia sub diuersis generibus continentur: sicut homo & albedo, quia homo est substantia, & albedo est accidens. *Hoc supposito dico*, quod genus prædicatur ... m de illis, quæ differunt specie, quam quæ differunt numero: sed de illis quæ differūt specie immediatè; de indiuiduis autem mediante specie, si. n. genus nō prædicaretur de specie, non prædicaretur de indiuiduo: sicut animal genus & prædicatur de homine, qui est species & de Petro, qui est indiuiduum; sed de homine

mine immediatè; de Petro autem mediatè, nam si animal non prædicaretur de homine, non prædicaretur de Petro.

Conclusio. *Definitio Generis quam dedit Porphyrius est conuenienter posita, scilicet, Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.*

Probatur desumendo rationem ex Textu, qua Porphyrius idipsum probauit. Illa est definitio bona generis per quam genus distinguitur ab alijs prædicabilibus. Sed ista definitio est huiusmodi. Ergò est bona. *Minor* ex eodem Textu deducitur. Nam per illam particulam, *Genus est quod prædicatur de pluribus*, differt genus ab indiuiduo, quod de vno solo prædicatur: sicut Petrus de Petro tantum, & non de Francisco. Et per illam particulam, *de pluribus differentibus specie*, differt genus à specie & proprio, quia proprium de vna tantum specie prædicatur: sicut risibile de homine tantum dicitur, & species de pluribus indiuiduis: sicut homo de Petro & Francisco. Et per illam particulam, *in quid*, differt genus ab accidente & differentia, quia accidens prędicatur in quale accidentale: vt homo dicitur albus ab albedine: & differentia in quale essentiale: vt homo dicitur rationalis, à rationalitate, quæ pertinet ad suam essentiam.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Distinguo Minorem.* Sed genus est pars speciei, si suma-

tur

tur genus contractum per differentiã, *concedo Minorem*; si sumatur communiter & absolute. *nego Minorem*.

Ad secundum. *Nego antecedens.* Ad cuius probationem, *Dico*. Quod ens non prædicatur de speciebus in quid. Nam si quis interrogauerit, *quid est homo?* & tu dicis *est Ens*, inepte respondes; quia ego iam suppono hominem esse ens & quæro, quid est hoc ens, quod est homo? Quæstio enim quid est, supponit quęstionem an est, vt Deo iuuante in libro secundo Posteriorum amplius dicetur. *Resp. ad II.*

Ad tertium. *Distinguo antecedens*. Omnia, quæ sunt sub genere, conueniunt in specie, si species sumatur secundò intentionaliter, *Concedo antecedens*, primò intentionaliter, *Nego antecedens*, vt in præsenti est intelligendum. *Resp. ad III.*

Ad quartũ. Suppono inprimis, quod prædicari in quid cõtingit trib. modis: Vel secũdũ rem tantum; Vel secundum modum tantum; Vel secundum rem & modum simul. *Resp. ad IV.*

Illud prædicatur in quid secũdũ rem tãtũ, quod est de natura & essentia rei, non tamen habet modum prædicandi substantiæ; sed accidẽtis: sicut differentiæ, verbi gratia, rationale, & irrationale prædicantur in quid secundum rem tantum. *Prædicari in quid contingit tribus modis.*

Illud autem prædicatur secundum modum tantum, quod se habet per modum substantiæ, & tamen non est realis substantia:

 & hos

& hoc modo color prædicatur de albedine & nigredine. Nam possumus ita interrogare, quid est albedo? & dicam, color disgregans.

Denique illud prædicatur in quid secundum rem & modum simul, quod est de natura & substantia sui subiecti, & vltra hoc, est vera & realis substantia: verbi gratia, animal de homine, homo de Petro, & vniuersaliter loquendo, genus & species de prædicamento substantiæ prædicantur in quid realiter & modaliter.

Distinguo igitur Minorem. Et tamen accidentia non prædicantur in quid, secundum rem, *concedo Minorem*: secundum modum tantum *nego*, quod sufficit ad rationem speciei, aut generis accidentalis.

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio generis sit quidditatiua vel descriptiua?

Argum. I. VIdetur quod sit quidditatiua. *Primò.* Hæc quinque vniuersalia considerantur à Porphyrio in hoc libro, quatenus prædicabilia sunt. Ergò prædicabile est de quidditate horum vniuersalium: Sed genus hic definitur per esse prædicabile de plurib. differẽtib. specie. Ergò prædicta definitio est quidditatiua.

Argu. II. *Secundò.* Nihil definitur quidditatiuè nisi species, hæc enim sola componitur ex genere & differentia. Sed genus est species respectu vniuersalis, vt dictum est. Ergò quidditatiuè definitur.

Respond-

Respondeo. Quod definitio nihil aliud est nisi oratio quædam, quæ explicat naturam rei: sed, quoniam potest aliquis explicare naturam rei duobus modis, idcirco duplex etiam est est definitio: Aut enim aliquis explicat naturam rei, per prædicata intrinseca & essentialia, & hæc definitio vocatur quidditatiua, & semper datur per genus & differentiã: sicut quãdo aliquis dicit hominem esse animal rationale, definit hominem quidditatiuè, quia animal & rationale conueniunt homini intrinsecè: & animal est genus, rationale verò est differentia hominis. Sed quoniam non semper scimus intrinsecam essentiam cuiuslibet rei, idcirco solemus aliquando definire res per accidentia, siue propria, siue communia: sicut si aliquis definiret hominem hoc modo: homo est animal risibile: tunc ista definitio explicaret quidem, quid sit homo, sed per accidens: & hæc definitio vocatur descriptiua. Hoc supposito sciendum est, quod sicut in homine consideramus duo, scilicet rationale & risibile: ita etiam in quolibet prædicabili duo sunt consideranda, nimirum esse vniuersale, & esse prædicabile: & sicut rationale est de essentia hominis, & risibile est accidens proprium, ita esse vniuersale est de essentia cuiuslibet prędicabilis tanquam genus vniuocum, quia vnũquodque prædicabile, est in multis, & esse prædicabile est proprietas, quę fluit ex illa essentia: ideo enim aliquid prædicatur de multis,

Decisio. *Duplex est definitio.*

tis, quia eſt in multis, ſicut ideo aliquis eſt riſibilis, quia eſt rationalis.

Prima concluſio. *Genus poteſt definiri quidditatiuè.*

Probatur. Illud poteſt definiri quidditatiuè, quod habet genus proximum, & differētiam: ſed hoc prædicabile generis habet ſuum proprium genus, ſcilicet vniuerſale, & habet etiam differentiam, per quam differt ab alijs prædicabilibus, vt in Articulo præcedente dixi: ergò poteſt quidditatiuè definiri.

Secunda concluſio. *Definitio generis eſt deſcriptiua & non quidditatiua.*

Probatur. Illa eſt definitio deſcriptiua, quæ explicat naturam rei per accidentia propria vel communia: ſed hæc definitio, ſcilicet, prędicari de pluribus differentibus ſpecie, explicat naturam generis per accidens proprium. Ergò eſt definitio deſcriptiua. *Minor: Prob.* Nam prædicabilitas eſt accidens proprium reſpectu vniuerſalis.

Reſp. ad I. Ad primum igitur Dicendum. *Diſtinguo antecedens.* Conſiderantur à Porphyrio quatenus prædicabilia ſunt, ſi hæc dictio *quatenus* reduplicet eſſentiam prædicabilium, *nego antecedens*: ſi reduplicet propriam paſſionem, *concedo antecedens*.

Reſp. ad II Ad ſecundum. *Nego conſequentiā.* Licet enim genus ſit ſpecies reſpectu vniuerſalis, non tamen ex eo, quia hic definitur, definitur per genus & differentiam, vt patet ad ſenſum.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum hic definiatur secunda intentio generis, vel res subiecta intentioni, aut vtrumque simul?

Videtur quod genus hic non definiatur pro intentione secunda. *Primò*. Illud definitur, cui conuenit definitio. Sed rei substratæ conuenit definitio, ergò res substrata definitur. *Minor. Prob.* Nam res substrata, intentioni genericæ, prædicatur de speciebus: verbi gratia, animal quod denominatur genus prædicatur in quid de asino & homine. *Argument. I.*

Secundò authoritate S. Thomæ de Ente & Essentia cap. quarto propè finem: vbi sic inquit: Intellectus attribuit prædicabilitatem non ipsi generi, sed rei quæ significatur per hoc nomen *animal*: Ex qua authoritate sic argumentor. Illud prædicatur de pluribus differentibus specie, cui conuenit prædicabilitas, sed rei & non intentioni secundæ attribuitur prædicabilitas, ergò res substrata & non intentio definitur. *Argument. II.*

Tertiò. Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: sed secunda intentio non prædicatur de pluribus differentibus specie in quid: ergò hic non definitur secunda intentio. *Minor. Prob.* Nam propositiones istæ sunt falsæ, equus est genus, homo est genus &c. quia in illis prædicatur secunda intentio. *Argument. III.*

Argu. IV. *Quartò.* Logica est de secundis intentionibus adiunctis primis, ergò non de secundis absolutè: Ergò de aggregato ex prima & secunda intentione, sed definitio generis est definitio Logica, ergò hic definitur aggregatum ex prima & secunda intentione & non secunda intentio tantum.

Resolutio. *Respondeo. Quod intellectus* noster nihil cognoscit nisi ens, sed quoniam entia sunt duplicia, ideo cognitio etiam est duplex, quædam enim sunt entia, quæ conueniunt rei etiãsi res illa nõ cognoscatur ab intellectu, vt homini conuenit esse corporeum, rationalem &c. & quędam sunt entia quæ cõueniunt rei, quatenus tantum cognoscitur ab intellectu: verbi gratia, homini conuenit esse speciem, esse subiectum, prædicatum, esse ens rationis &c. hæc enim non inueniuntur in homine ad extra. Ita ergò in proposito, duplex est cognitio intellectus.

Entia duplicia.

Duplex cognitio intellectus.

Prima. Quando intellectus cognoscit aliquam rem, cum illis proprietatibus, quæ conueniunt rei extra intellectum, & ista cognitio vocatur prima intentio.

Altera vero est, quando intellectus cognoscit aliquam rem, cum illis proprietatibus, quæ illi conueniunt ab intellectu tãtũ, & quatenus apprehẽditur tantum. Illud autem ens, quod conuenit rei ex intellectu, est ens rationis, & vocatur secunda intentio; & licet non inueniatur in rebus extra intellectum, tamen habet fun-

fundamentum in illa re, quæ intelligitur, & denominat illam rem: verbi gratia, hæc vox *subiectū, prædicatum* &c. eſt ens rationis, quod licet nō inueniatur in homine, aut aliquo animali extra intellectū, tamen quando ego cognoſco quod homo eſt animal, iam conſtituo hominē pro ſubiecto, & animal pro prędicato, ita vt hęc dictio, *ſubiectum*, habeat pro fundamento hominem quem denominat, & hæc dictio *prædicatum*, animal etiam habet pro fundamento.

Cōſideratio triplex Entis rationis.

Poſſumus ergò in Ente rationis conſiderare tria, *Primò* illam entitatem rationis formaliter. *Secundò* rem in qua fundatur ens rationis, & appellatur à Logicis res ſubſtrata intētioni. *Tertiò* verò poſſumus conſiderare in ente rationis totum aggregatum ex ente rationis & natura ſubſtrata, cuius exemplū eſt videre in hac dictione, *album:* nam album, pro formali dicit albedinem, pro ſubſtrato, corpus, pro aggregato, corpus habens albedinem. Tota igitur controuerſia difficultatis præſentis cōſiſtit in hoc, nimirum quando dicit Porphyrius, quod genus eſt quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in quid, cum genus ſit ens rationis, quidnam eſt illud quod hic definitur, vtrum videlicet ens rationis in abſtracto, ſcilicet genereitas, vel res ſubſtrata, ſcilicet animal, vel ſubſtantia cum genereitate.

Dico igitur ex Domino Caietano, quod, cum ens rationis, de quo nunc loquimur, habeat

pro fundamento aliquam naturam quam denominat, idem est iudicium de illo, sicut de quolibet ente inhærente, verbi gratia: de albedine, quæ inhęret. Manifestum est autē, quod, quando definitur album, tunc illa definitio conuenit tam accidenti, quam subiecto in quo est: sed accidenti essentialiter, & denominatiuè subiecto. Nam esse disgregatiuum visus, conuenit & albedini, & niui quæ est alba: sed albedini essentialiter, niui verò denominatiuè, & albedini vt ei quod formaliter disgregat, & niui, vt ei quod substat albedini disgregāti. Ita dixerim de genere Logico, quod definitio generis conuenit intentioni generis quidditatiuè, rei autem substratæ scilicet animali, vel corpori denominatiuè, ac proinde hæc propositio, *Genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid*, est denominatiua, sed quoniam supra dictum est, quod prædicabilitas est passio generis, & non essentia, nunc autem videtur oppositum dici, idcirco aduertendum est semper, quod prædicari dupliciter accipitur. *Primò* quatenus idem est, quod aliquid de aliquo affirmare, sicut quando dicimus, quod homo est animal rationale, Deus est summè bonus &c. & hoc modo sumendo prędicari non est de essentia generis, sed est ipsius passio, nam antequam intelligatur actualis affirmatio generis de specie, intelligitur essentia generis.

Aliquid prædicatur dupliciter.

Alio modo sumitur pro aptitudine ad prædican-

dicandũ,siue, quod idẽ est, pro prędicabilitate,seu relatione ad plures species tanquam ad sua inferiora , vnde ad hoc vt aliquid dicatur genus , non est necesse , quod actualiter affirmetur de suis inferioribus,quia hoc conuenit nature substratæ , sed requiritur vt prædicetur,id est,vt referatur ad inferiora per modum prædicabilis,quia ens rationis pro formali est relatio rationis,vt postea in sequẽtib. dicã: & hoc benè nota: est.n.fundamentũ difficultatis.

Prima conclusio. *Non definitur hic natura substrata enti rationis,scilicet genereitati.*

Probatur. Definitio debet esse de essentia sui definiti : sed prædicari de pluribus siue accipiatur formaliter siue fundamentaliter, nõ est de essentia naturæ substratæ, hoc est,animalis vel corporis, quę sũt naturæ substratę generi. *Minor.Prob.* Nam prædicari formaliter,est ens rationis,quod dicitur de alio, & fundamentũ illius est natura communis &abstracta:sed ens rationis & similiter esse cõmune nõ est de essentia naturæ substratæ:ergò vt prius. *Minor. Prob.* Quia ens rationis est in solo intellectu, vt dictũ est,natura verò substrata,cũ sit materiale illius,inuenitur extra intellectum, ergò ens rationis non est de essentia naturæ substratæ. Quod vero esse commune non sit de essentia naturæ substratæ patet ex S. Thoma in Tractatu de Ente & Essentia *capite quarto:* tum etiam , quia ad sensum videmus , quod non est de essentia animalis , vt sit in suis speciebus: sed

ſed tantum vt ſit ſubſtantia animata ſenſibilis.

Secunda concluſio. *Non definitur hic aggregatum ex natura ſubſtrata & intentione.*

Probatur. Ens per accidens non poteſt definiri, quia eſt aliquid complexum: ſimplicia autem definiuntur. Sed aggregatum ex natura ſubſtrata, & intentione, eſt ens per accidẽs. Ergò non definitur hic. *Minor. Prob.* Nam illud quod ſubſternitur genereitati, eſt ens reale: & ipſa intentio generis eſt ens rationis. Sed ens reale & ens rationis habent eſſentias maximè diuerſas: ergò ſignificãt aliquid aggregatum.

Tertia concluſio. *Quando definitur genus definitur ſecunda intentio in abſtracto.*

Probatur à ſufficienti diuiſione. Non definitur hic res ſubſtrata intentioni, neque definitur aggregatum ex natura ſubſtrata & intentione. Ergò definitur ſecunda intentio abſtracta.

Præterea. Illud hic definitur, cui quidditatiuè conuenit hæc definitio, ſed intentioni ſecundæ conuenit quidditatiuè hæc definitio, naturæ verò ſubſtratæ conuenit denominatiuè: Ergò ſecunda intentio hic definitur. Et ita quãdo dicit Porphyrius, Genus eſt quod prędicatur de pluribus &c. illa Genereitas eſt, quæ prædicatur formaliter, hoc eſt, quæ refertur ad ſpecies ſub ratione prædicabilis: animal autem prædicatur quidem de ſpeciebus, ſed ibi ſumitur prædicari fundamentaliter, id eſt actualiter affirmatur de ſpeciebus, vt puta de homine, equo &c.

Ad

Ad primum igitur dicendum. Distinguo Mino- Resp. ad I.
rem : Sed rei substratæ conuenit hæc defini-
io, Denominatiuè, *concedo Minorem:* Quiddi-
atiuè *nego Minorem.* Ad cuius probationem
Distinguo Maiorem : Res substrata intentioni
pr.edicatur, hoc est, refertur ad species, per
nodum prędicabilis formaliter, *nego Maiorem:*
prædicatur, hoc est, actualiter affirmatur de
peciebus, *concedo Maiorem.* Sed nihil contra
os.

Ad secundum eodem modo est dicendum. Resp. ad II.
Distinguo enim *Maiorem.* Illud prædicatur, cui
onuenit prædicabilitas, conuenit denomina-
iuè, *nego Maiorem:* conuenit essentialiter, *con-*
cedo Maiorem : sed *Minor* est falsa.

Ad tertium eadem distinctione vti oportet. *Dis-* Resp. ad
tinguo enim *Minorem* : sed secunda intentio nõ III.
prædicatur de speciebus, hoc est, non refertur
ad species, *nego Minorem:* non actualiter inest,
nec affirmatur, *concedo Minorem,* vt iam dictum
t.

Ad Quartum. Explico Maiorem: Logica est de Resp. ad
secundis intentionibus adiunctis primis, ex IV.
quo, *nego Maiorem:* de secundis principaliter
adiunctis primis secundariò, hoc est, vt fun-
dantur in primis, *concedo Maiorem.* Et ita non
considerat Logicus aggregatum, quia
principaliter intentiones secundas
considerat. De hoc
satis.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Argum. I. *Vtrum Genus poßit saluari in vnica specie?*

VIdetur quod sic. *Primò*. Quodlibet genus habet suam propriam differentiam: sed differentia generis saluatur in vnica specie. Ergò genus potest saluari in vnica specie. *Minor. Prob.* Nam animal habet pro sua differentia essentiali sensibile, & ista differentia benè potest permanere, si tantum esset species hominis, vel tantum species leonis.

Argu. II. *Secundò*. Authoritate Aristotelis lib. 3. Metaph. qui docet quod hęc est differentia inter totum integrale, & totum vniuersale, quia totum integrale non potest saluari in suis partibus diuisis, sicut quando partes domus diuiduntur ab inuicem, iam non manet tota domus: totum verò vniuersale in qualibet parte saluatur, sicut animal est totum vniuersale, & istud definitur hoc modo, *est substantia animata sensibilis*, ista autem definitio benè stat, etiamsi non sint plures species animalis, nam homo si solus in mundo esset, est substantia animata sẽsibilis, & si sola species leonis esset, illa etiã est substãtia animata sensibilis. Ergò &c.

Resolutio. Respondeo. Quod de genere possumus loqui sicut de anima humana, in qua duo sunt consideranda, nimirum *potestas & essentia*. Et si cõsideremus animã secundũ suã essentiã, tunc est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis: si aũt cõsideremus illã secundum potestatem, sic non est tota in toto corpore, hoc est, non omnia potest in qualibet parte

corporis, nam anima poteſt videre in oculo, & non poteſt videre in manibus, & eadem anima exiſtens in aure poteſt audire, ſed non exiſtens in crinibus: Ita ſimiliter duo ſunt conſiderāda in quolibet genere Logico, quatenus pro natura ſubſtrata accipitur; *Primũ eſt*, eſsẽtia generis; & ſic dicimus, quod genus ſecundum ſuam eſſentiam, eſt in qualibet ſpecie, & poteſt in qualibet earum ſaluari: vnde ſi corrumperentur omnes ſpecies animalis, vt puta homo, equus &c. & ſolum ſpecies leonis remaneret in mundo, tunc verum eſſet dicere: Eſt animal in mundo, quia in hoc caſu remanet adhuc eſſentia animalis, animal enim eſt ſubſtantia animata ſenſibilis. *Duplex Generis Logici cõſideratio.*

Secundò poſſumus conſiderare in genere poteſtatem generis, & ſic non poteſt genus in vnica ſpecie ſaluari, quia poteſtas hæc nihil aliud eſt niſi contrahibilitas ſeu diuiſibilitas in plures ſpecies, intelligendo per diuiſibilitatem hoc, quod eſt poſſe diuidi in plura, & poſſe contrahi à pluribus, nam animal, verbi gratia, licet actu vnam habeat eſſentiam, tamen poteſt contrahi ad plures, & eſſentia ſua eſt vna & indiuiſibilis, poteſtas verò multiplex & diuiſibilis, & ita ſi corrumperentur omnia animalia & ſoli leones remanerent, tunc eſſet tota eſſentia animalis, non tamẽ tota animalis poteſtas, quia tunc animal tantum eſſet irrationale, poteſt verò animal eſſe rationale in homine, vt patet: Ex quo

Infero Primò, ꝙ poteſtas generis ſupponit eſ-

ſentiam Generis, nam poteſtas, vt dixi, eſt diuiſibilitas: nihil autem poteſt diuidi, niſi ſit aliquo modo vnum.

Infero ſecundò, quod poteſtas generis fundatur in eſſentia generis tanquam in radice, ſicut potentia viſiua fundatur in eſſentia animæ tanquam in radice, & ſicut; quando anima humana ſeparatur à corpore, non poteſt quis videre abſolutè loquendo, licet poſſit radicaliter & ſecundum inchoationem, quia ibi eſt radix, ex qua prouenit, vt aliquis videat: ita etiam quando remanet vna ſpecies animalis, remanet ibi quodam modo poteſtas animalis, ſed inchoatiuè tantum, & radicaliter, non autem totaliter.

Concluſio. *Genus non poteſt ſaluari in vnica ſpecie.* Probatur, poteſtas generis eſt diuiſibilis per oppoſitas differentias: ſicut potentia animalis, diuiditur per rationale, & irrationale. Sed ſi daretur vnica tantum ſpecies, non eſſent ibi differentiæ oppoſitæ. Ergò genus non poteſt ſaluari in vnica ſpecie. *Minor* eſt euidens, nam impoſſibile eſt, quod ſi eſſet ſpecies hominis tantum, ibi eſſent ambæ differentiæ animalis, ſcilicet rationale, & irrationale; ſicut ſi eſſet arbor tantum, non inueniretur in illa animatum & inanimatum ſimul.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Diſtinguo conſequentiam.* Ergò genus poteſt ſaluari in vnica ſpecie, ſecundum eſſentiam, *concedo conſequentiam:* ſecundum poteſtatem, *nego conſequentiam,* vt dictum eſt. *Ad ſe-*

Ad secundum. Admitto authoritatem Aristotelis & explico illam: quando enim inquit Aristoteles, quod totum vniuersale in qualibet parte sui specie saluatur, intelligendum est secundum essentiam, & non secundum potestatem, & sic alia argumenta resolues.

ARTICVLVS V.

Vtrum genus prædicetur de specie tanquam totum, vel tanquam pars.

VIdetur quod vt pars. *Primò.* Genus ita prædicatur de specie, sicut est in specie, sed genus est pars speciei, ergò prędicatur vt pars. *Maior est manifesta*, quia dictum est supra, quod prædicari est propria passio vniuersalis, & ita hoc modo aliquid prędicatur quomodo est vniuersale. *Minor vero probatur.* Species definitur per genus & differentiam, ergò genus est pars speciei. *Argum. I.*

Secundò: Totum continet partes. Sed Genus non continet speciem nec differentiam. Ergò non prædicatur de specie vt totum. *Minor. Prob.* Si genus contineret speciem, ergo de quocunque prædicatur genus, de eodem prædicaretur & species, & ita, si animal contineret hominem tanquam speciem, de quocunque diceretur animal, diceretur homo, quod tamen falsum est. *Argu. II.*

Tertiò. Genus nõ est vnũ cũ specie, sed potius est aliquid distinctum. Ergò prædicatur vt pars de specie. *Consequentia Prob.* Nam pars nõ *Argu. III.*

est idem cum suo toto, vt dicunt Physici: sicut manus & brachia sunt partes hominis, & tamen non sunt homo.

Decisio. *Respondeo. Quod Genus est duplex, Genus* generalissimum & Genus subalternum. Illud vocatur genus generalissimum, quod nullū habet supra se genus: sicut decē prædicamenta Substantia, Quātitas &c. vocantur generalissima, quia supra illa non est aliquid superius tanquā genus. Genus verò subalternum vocatur illud quod potest esse & Genus & species, & idcirco appellatur subalternum, quasi sub altero positum, sicut animal est sub corpore, & corpus sub substantia: vnde animal non est Genus generalissimum, sed subalternum, quia potest esse & genus & species: similiter corpus, respectu enim substantiæ corpus est species, & animal respectu corporis est etiam species, tamen animal respectu hominis est genus & corpus respectu animalis.

Genus duplex.

Quærimus ergo nunc, vtrum quando corpus prædicatur de animali, & animal de homine sumatur corpus vt totum, vel vt pars? Pro cuius resolutione.

Dico quod tum sumitur Genus vt pars, quando adiuncta differentia componit speciem actu, sicut animal tunc consideratur vt pars hominis, quando est coniunctum differentiæ hominis, quæ est rationale: & hoc modo sumendo Genus, dicendum est, quod non prædicatur de specie vt totum, alias enim esset simul, & pars & totum.

Duplex Generis consideratio.

Secun-

Secundò potest considerari genus quatenus est quædam natura communis, & non contracta ad sua inferiora, tamen habet potentiam ad hoc vt cõtrahatur, per differẽtias, sicut animal quãdo cõsideratur, vt est natura superior, quã rationale, vel irrationale, quã homo vel equus &c. & quia considerando hoc modo genus, est inæquale suis speciebus, hinc est, quod hoc modo est totũ cõtinẽs species in potẽtia.

Conclusio. *Genus prædicatur de specie vt totum potentiale, & non vt pars.*

Probatur. Illud quod abstrahitur à suis inferioribus per intellectum, & est vniuersale, prædicatur de inferioribus vt totum potentiale. Sed Genus abstrahitur à suis speciebus, per intellectum, & est vniuersale. Ergò pręđicatur vt totũ potẽtiale, de speciebus. *Maior. Prob.* Nam propter istã etiã causã pars physica nõ prædicatur de toto, quia nõ potest abstrahi per intellectũ à toto tanquã vniuersale sed tantũ pőt præscindi, vt benè aduertit magister Ruuius.

Ad primum igitur dicendum. *Distinguo Maiorem*: Genus ita prædicatur de specie, sicut est in specie, hoc est eo modo, quo est in specie, & abstractum per intellectum à speciebus, prædicatur de speciebus, *concedo*, & sic abstractum est totum; Alias *nego Maiorem*. *Resp. ad I.*

Ad Secundum. *Distinguo Minorem*. Sed genus non continet speciem, actualiter, & quatenus est pars speciei; *concedo Minorem*; non continet potentialiter, & quatenus est totum vniuersale, *Resp. ad II.*

nego Minorem. Hanc distinctionem percipies inferius in capite de Differentia.

Resp. ad III. Ad Tertium. *Nego consequentiam:* nam etiam album prædicatur de tabula, non tanquam pars, licet non sit vnum cum tabula, vt patet. Et hæc de isto capite sufficiant.

CAPVT SECVNDVM DE SPECIE.

SVMMA TEXTVS.

Species duob. modis accipitur.

PRima conclusio. *Species non eodem modo sumitur. Primò* enim species idem significat quod forma rei, iuxta quem modum solemus dicere, præstantissima forma digna est imperio.

Secundò accipitur pro eo quod ponitur sub aliquo determinato genere, sicut homo est species animalis, & ponitur sub animali: ad hoc autem vt definiamus speciem hoc secundo modo consideratam *Aduertendum est*, quod genus & species relatiuè dicuntur, & ita debet vnum definiri per alterum.

Prima ergò definitio speciei, est ista: *Species est quæ sub determinato Genere ponitur, & de qua genus in eo quod quid est, prædicatur.*

Secunda definitio *Species est quæ prædicatur de pluribnumerò differentibus in quid:* sed ista definitio conuenit speciei specialissime tantum; at verò prima conuenit etiam speciei subalternæ.

Secun-

Secunda conclusio. *In omni prædicamento sunt quædam summa Genera quæ non possunt esse Species, & quædam sunt infimæ Species quæ non possunt esse Genera, & quædam etiam sunt intermedia, quæ possunt esse partim Genera, partim Species.*

Probatur. Nam in prędicamento substantiæ hoc manifestè apparet: substantia enim est Genus supremum, & nunquam est Species: & sub illa est corpus: & sub corpore viuens: sub isto est animal: & hæc sunt genera subalterna & species subalternæ: sub animali autem est homo, qui est Species specialissima, quia non potest esse Genus, & hoc patet in figura sequenti.

ARBOR VNIVERSALIVM.

Substantia

Corporea. Incorporea.

Corpus.

Animatum Inanimatum.

Viuens.

Sensibile. Insensibile.

Animal.

Rationale. Irrationale.

Homo.

Quidam homo. Franciscus, Stanislaus, Petrus, &c.

Vbi si vis scire quodnam sint Generalissima, decem sunt, specialissima verò sunt in numero finito, indiuidua autem infinita.

Præterea si descendis de substantia, quæ est Genus generalissimũ, oportet descendere diuiden-

uidendo vnum in multa,& si ascendis, oportet ascendere colligendo multa in vnum, participatione enim speciei, plures homines sunt vnus homo. *Præterea* si vis scire quomodo hęc prædicentur ad inuicem, manifestũ est, quod genus semper prædicatur de speciebus,& species non prædicatur de genere, nisi de indiuiduis: de quibus aũt species prędicatur de illis necessario prædicatur Genus,& illius Generis alterũ Genus, vsq; ad supremũ: cæterũ indiuiduum continetur sub Specie, & de vno solo particulari dicitur, sicut Socrates & hæc albedo; vocatur autem indiuiduum, ex eo, quia diuidi non potest, seu quod idem est, quia collectio proprietatum illius nunquam inuenitur in alio. Hæc de Textu.

Habitudo Generis, speciei & indiuidui adinuicẽ.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitio secunda speciei, sit conueniens?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Illa definitio nõ est bona quæ conuenit alteri à definito, sed prædicari de pluribus differentib. numero *in quid*, conuenit alteri præter speciem. Ergo ista definitio non est definitio speciei. *Minor. Prob.* Anima humana, vel anima equi prædicatur de pluribus differentibus numero, scilicet de anima Petri, Francisci, &c. & anima equi, prædicatur de anima huius & illius equi, nam si quis interrogat, *quid est anima Petri?* benè responderes, *est anima rationalis.*

Argum. II. *Secundò.* Multæ sunt species quæ non prædican-

dicantur de pluribus indiuiduis. Ergò definitio eſt mala. *Antecedens Prob.* Nam luna eſt ſpecies quædam, & tamen nō prædicatur de pluribus, quia non ſunt plures lunæ: ſimiliter ſol & angelus quilibet, ſunt ſpecies, & tamen neque ſol prædicatur de multis, quia non ſunt multi ſoles, neque angelus vnus prædicatur de multis indiuiduis angelis, quia non ſunt.

Tertiò. De illo ſubiecto prædicatum dicitur *in quid*, quando illud ſubiectum habet *quidditatem*. Sed illa, quæ differunt numero, non habēt *quidditatem*. Ergo ſpecies non prædicatur de pluribus differentibus numero *in quid*. *Minor. Prob.* Nam Petrus & Franciſcus differunt numero, ergò ſi habent quidditatem & naturam poſſunt definiri, ergo poſſunt ab intellectu cognoſci, quod falſum eſt, quia nihil materiale cognoſcitur ab intellectu, qui eſt immaterialis, vt patet. *Argu. III.*

Quartò. Genus, & Species ſunt diſtincta ab inuicem. Sed Genus prædicatur de pluribus differentibus numero in quid. Ergo Species non prædicatur de illis. *Minor. Prob.* Nam animal eſt genus, & dicitur de Petro, Franciſco &c. qui omnes differunt ſecundum numerū. *Argu. IV.*

Reſpondeo. Quod Species, ſecundum quod conſideratur à Logico, duplex eſt, *ſpecialiſſima & ſubalterna*. Illa vocatur Species ſpecialiſſima, *quæ ita eſt ſpecies, vt nunquam poſſit eſſe genus*, ſicut homo eſt Species ſpecialiſſima, quia non habet ſub ſe aliquas Species, de quib. dicatur. *Reſolutio. Quid ſpecies ſpecialiſſima.*

Quid subalterna. *Illa vocatur* species subalterna, *quæ ita est species, vt etiam possit esse Genus* sicut animal est Species subalterna, & Genus etiam subalternum: quia animal potest diuidi in suas species per aliquas differentias, quæ formaliter constituunt inferiora ipsius, nam de facto animal diuiditur in rationale & irrationale, tanquam per differentias, quæ constituunt formaliter hominem, equum, leonem, &c. Hic igitur non est *quæstio* de specie subalterna, nam supra dictum est in capite primo, articulo primo de Genere, quod Genus subalternum prædicatur de speciebus immediatè, & de indiuiduis mediatè: sed tantum hic est difficultas de specie specialissima, *vtrum videlicet prædicetur de pluribus differentibus numero*, sicut homo prędicatur de Petro, Francisco &c.

NOTA. *Et aduerte*, quod sicut quæsiuimus circa caput de Genere, *an definitio Generis sit quidditatiua vel non*, ita hoc ipsum potest quæri de specie: & dicendum est, quod hæc definitio non est quidditatiua, sed tantum descriptiua, quia datur per accidens proprium, id est, prædicari: & sicut interrogauimus de Genere, *an definiatur secunda intentio an vero res subiecta intentioni, vel aggregatum ex vtroque*, ita & modo dicendum est, quod illud quod hic definitur, est intentio secunda; Saluâ tamen illâ doctrinâ quam præ oculis oportet habere in hoc vniuerso tractatu prædicabilium, scilicet quod quando dicitur. *species est quæ prædicatur*, sensus est,

est: *refertur relatione prædicabilis ad plura distincta numero:* & hoc modo prædicari est de essentia speciei: cæterum si intelligas hoc modo, *species est quæ prædicatur*, id est, *actualiter affirmatur de pluribus differentibus numero*, falsum est, nam homo & quælibet res subiecta intentioni ita prædicatur.

Prima conclusio. *Genus subalternum & species subalterna sunt idem materialiter, sed distinguuntur formaliter.*

Probatur prima pars. Nam animal, verbi gratia, vel corpus, vocatur genus subalternum, & species subalterna materialiter, seu fundamentaliter; sed hoc est vnũ & idem animal, vnum & idem corpus. Ergò Genus subalternum, & species subalterna sunt idem materialiter seu fundamentaliter.

Secunda vero *pars*, scilicet, quod distinguantur formaliter, Probatur. Genus subalternum, & species subalterna habent formas distinctas Ergò formaliter distinguuntur. *Antecdens Prob.* Nam ideo aliquid dicitur genus subalternum, quia pro suo formali dicit relationem ad inferiora; & ideo aliquid est species subalterna, quia pro suo formali dicit ordinem ad superiora. Sed relatio ad superius, & relatio ad inferius sunt distinctæ relationes formaliter, ergò genus subalternum, & species subalterna distinguuntur formaliter.

Secunda conclusio. *Bona est illa definitio speciei, in qua dicitur, quod species prædicatur de pluri-*

bus differentibus numero in quid.

Probatur. Illa definitio est bona, quæ explicat naturã definiti, & distinguit ipsum ab omni alio. Sed prædicari de pluribus differentibus numero *in quid*, explicat naturam speciei, & distinguit ab omni alio prædicabili. Ergò est bona definitio speciei. *Minor Prob.* Nam ex eo quia species prædicatur de pluribus, distinguitur ab indiuiduo; & quia prædicatur de differentibus numero, distinguitur à genere; & quia prædicatur *in quid*: distinguitur à differentia, proprio, & accidente, quæ omnia prædicantur in quale.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Nego Minorem.* Ad cuius probationem *dico*, quod anima hominis, vel equi non prædicatur de pluribus animabus differentibus numero propriè, sed tantum illud prędicatur de pluribus animabus propriè, quod continetur in linea recta prædicamentali, anima autem est pars & ita non rectè continetur in linea.

Vel aliter potest dici. Quod species prædicatur quidem de pluribus differentibus numero, si sunt naturæ completæ & non partes & per hoc soluuntur omnes argumentationes de puncto, quod non est quid completum, sed principiũ entis cõpleti, scili. lineę: similiter de manu, quæ non potest in rigore prædicari de hac & illa manu; & pes, de hoc & illo pede &c.

Resp. ad II Ad Secundum. *Nego antecedens.* Ad cuius probationem *dico*, quod luna, sol & corpora cæle-

cælestia, sunt species, & prędicantur de multis, non ad eum sensum, quod lunæ multæ, vel soles multi sint in mũdo, vel possint esse plures, quia re vera non sunt multi soles, & multæ lunæ: sed *dico*, quod luna, quatenus abstrahitur per intellectũ ab ista luna quam videmus, habet hoc, vt possit prædicari, non magis de vna, quam de pluribus, & infinitis lunis, si essent, & hoc idem est dicendum de sole, & alijs.

Ad Tertium. *Nego Minorem.* Ad cuius probationem *distinguo consequentiam primam.* Ergò si habent *quidditatem* & naturam possunt definiri: Quidditatem abstractam & communẽ, *concedo consequentiam*: particularem & indiuiduatam, *nego consequentiam.* *Resp. ad III.*

Ad Quartum. *Distinguo Minorem:* sed genus prædicatur de pluribus differentibus numero *in quid*, prædicatur per aliud, *concedo Minorem*, nam mediante specie participatur genus ab indiuiduis, & mediante specie de indiuiduis prædicatur: sicut animal prædicatur de Petro & Paulo, quia isti sunt homines: si autem intelligas, quod prędicatur per se ipsum, & nullo conceptu mediante, *nego Minorem.* *Resp. ad IV.*

ARTICVLVS II.

Vtrũ Species quaten⁹ subijcitur generi sit vniuersalis?

Videtur ꝙ sic. *Primò*. Species quaten⁹ subijcitur Generi cõstat ex genere & differẽtia, ergò quaten⁹ subijcitur generi, est Species vniuersalis. *Cõsequẽtia Pro.* Illud ꝙ cõstat ex partib. debet esse totũ, ergo si cõstat ex partib. particu- *Argum. 1.*

ticularibus,eſt totum particulare:ſicut Petrus ex hac carne, ex hac anima, &c. & ſi conſtat ex partibus vniuerſalibus debet eſſe vniuerſale: ſicut homo ex genere & differentia, quæ ſunt verè vniuerſalia & verè prædicabilia.

Argu. II. *Secundò.* Species quæ ſubijcitur generi debet eſſe cognita ab intellectu, ergò eſt abſtracta à conditionibus indiuiduantibus, ergò eſt vniuerſalis, prout ſubijcitur generi.

Argument. III. *Tertiò.* Non apparet cauſa propter quam Species in quantum ſubijcitur generi,ſit particularis & indiuidua,ergò eſt vniuerſalis.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod in hac difficultate eſt quędam opinio quorũdã doctiſſimorũ ex ſchola Doctoris Angelici,qui aſſerunt,quod ſpecies, quæ reſpicit genus non eſt vniuerſalis, verbi gratia, homo, quatenus eſt ſub animali, non eſt homo vniuerſalis: ſed tunc eſt vniuerſalis, quando reſpicit inferiores homines: iſte autem reſpectus ad inferiores homines eſt quædam proprietas conſequens ad hominem, vt ſubijcitur generi.

NOTA. Quæ ſit natura Vniuerſalis. Sed *pro reſolutione aduertendum eſt*,quod vniuerſale nihil aliud eſt,niſi quædam natura,quę eſt vna in multis,& prædicatur de multis, verbi gratia, animal eſt vniuerſale, quia animal habet ſuam naturam in multis ſpeciebus nimirum in homine,in leone, &c. & quoniam, eſſe in multis, nihil aliud eſt, niſi habere relationem ad multa, idcirco vniuerſale Logicũ, prout vniuerſale eſt, formaliſſimè, conſtituitur

tur per hoc, quia refertur ad multa inferiora, & per conſequens nulla ſpecies, ſiue illa ſit ſpecialiſſima, ſiue ſubalterna, debet vocari vniuerſalis, propter hanc cauſam quia ſubijcitur generi, & reſpicit genus: neque hic audienda eſt cuiuſdam Neoterici reſponſio, qui dicit, quod ſpecies reſpectu generis eſt vniuerſale ſubijcibile, quia ſubijcitur multis, ſed non eſt vniuerſale prædicabile. Supponit enim vnum abſurdum in Logica, nimirum, quod ſpecies ſubijciatur multis, & hoc falſiſſimum eſt: immò vero ſpecies ſubijcitur generi, quod eſt vnũ ſecundũ ſuã eſſentiã & definitionem, vt patet. Iſta aũt relatio, quam habet ſpecies ad genus opponitur formaliter cũ illa relatione, quã habet ſpecies ad inferiora, & cõſequẽter, vt optimè deducit Magiſter Sanches, vna relatio non poteſt eſſe radix alterius. Volo dicere, quod ex eo, quia ſpecies ſubijcitur Generi, nõ prouenit, vt ſpecies ſit vniuerſalis: immò è contra eſt dicendum, quod ſpecies ad hoc, vt ſubijciatur generi, debet eſſe prius abſtracta à conditionibus materialibus, & debet eſſe vniuerſalis, vt patet.

Reſutatio ſententiæ Toleti.

Prima concluſio. *Hoc nomen Species æquiuocè dicitur de Specie, vt eſt ſubijcibilis, & de Specie, vt eſt vniuerſalis.*

Ratio formalis ſpeciei ſubijcibilis & vniuerſalis.

Probatur. Æquiuoca illa dicuntur, quorum nomen eſt commune & natura diuerſa ſecundũ illud nomen, ſed ſpecies vt eſt ſubijcibilis, & ſpecies vt eſt vniuerſalis, habent idem nomen

men commune, scilicet hanc vocem *species*, & naturam habent diuersam secundum illud nomen, ergò sunt æquiuoca in hac voce *Species*. *Minor*. *Prob*. Species, vt est subijcibilis, habet hanc naturam, vt respiciat suum superius, verbi gratia, homo, vt est subijcibilis, debet habere relationem ad animal, corpus &c. & species, vt est vniuersalis habet hanc naturam, vt respiciat sua inferiora indiuidua, verbi gratia, idemmet homo, vt est vniuersale quoddã, habet relationem ad Petrum, Paulum &c. *Tunc subsumo*: Sed isti respectus distinguuntur formalissimè, & secundum suas naturas. Ergò species subijcibilis, & species vniuersalis, seu prędicabilis, habent diuersas omninò naturas.

Secunda conclusio. *Species illa, quæ est subijcibilis, est vniuersalis, sed non propter hanc rationem formalem est vniuersalis propter quã est subijcibilis.*

Probatur *Prima pars*, scilicet, quod species subijcibilis sit vniuersale. Illa species, quæ subijcitur generi, est abstracta à conditionibus indiuiduantibus, verbi gratia, homo ille, qui ponitur sub animali, non habet hanc carnem, hęc ossa &c. *Tunc subsumo*: sed omne, quod abstrahitur à conditionibus indiuiduantibus, est vniuersale, vt etiam omnes concedunt. Ergò species illa, quæ ponitur sub determinato genere, est species vniuersalis.

Secunda verò *Pars* conclusionis probatur, scilicet quod nõ ex eo est vniuersalis, quia subijcitur: Nam vniuersale illud vocatur, quod est

vnum

vnum in multis. Ergò vniuerſale pro ſuo formali conceptu eſt quædam relatio ad multa: ſed quando ſpecies ſubijcitur alicui, non habet relationem ad multa, ſed ad vnum tantū, ergò non ex eo eſt Species vniuerſalis, quia ſubijcitur. Dixerim tamen, quod ratio formalis conſtituens ſpeciem, prout eſt ſecundum prædicabile, eſt relatio ad multa inferiora, quæ eſt prædicabilitas.

Ad primum igitur dicendum: *nego conſequentiam*. Ad cuius probationem, *concedo totū*, ſcilicet quod ſpecies prout ſubijcitur generi, conſtat ex partibus vniuerſalibus, & quod eſt vniuerſalis: hoc tamen *nego*, quod propter hāc cauſam ſit vniuerſalis, quia ſubijcitur, vt dictum eſt. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum eodem modo eſt dicendum. Nego enim *conſequentiam ſecundam*, vt dictum eſt in concluſione ſecunda. *Reſp. ad II.*

Ad tertium. *Concedo totum*, quod eſt vniuerſalis: ſed non ideo, quia ſubijcitur generi. *Reſp. ad III.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Species poſſent multiplicari in infinitum?

VIdetur quod ſic. *Primò*. Quia Ariſtoteles octauo Metaphyſicæ dicit hæc verba: quod Species rerum ſunt ſicut numeri: *tunc ſubſumo*: ſed numeri poſſunt multiplicari in infinitum, ergò & ſpecies. *Minor. Prob.* Nam quacunq; vnitate accepta, poteſt accipi alia, & alia: ſicut ſi acceperis mille, potes accipere vnum, & aliud. Ergo poteſt multiplicari numerus in infinitum. *Argum. I.*

Secun-

Argument. II. *Secundò.* Ideo inueniuntur in mundo plures ſpecies rerum, quia iſtæ ſpecies imitantur diuerſos gradus perfectionis diuinæ. Ergò ſpecies rerum poſſunt eſſe infinitæ. *Antecedens eſt manifeſtum ex eo*, quia Deus eſt cauſa, quæ continet in ſe eminenter perfectiones omnes ſpeciei, vnde Dionyſius in libro quinto de diuinis nominibus ſic ait, quod Deus non quidem hoc eſt, hoc autem non eſt, ſed omnia eſt, vt omnium cauſa.

Deciſio. Reſpondeo. Quod ſpecies, vt ad præſens attinet, tripliciter conſiderari poteſt.

Primò pro formoſitate, vel pulchritudine quę conſiſtit in debita proportione membrorum, & de hac loquitur Ariſtoteles libro primo Elenchorum, quod non omninò fælix eſt qui ſpecie turpiſſimus eſt.

Triplex acceptio ſpeciei. *Secundo modo* ſumitur, pro quadam ſimilitudine obiecti, iuxta quem modum Ariſtoteles docet in libris de Anima, quod lapis non eſt in anima, ſed ſpecies lapidis: & de his ſpeciebus non currit præſens quæſtio. Manifeſtū enim eſt: quod ſpecies ſi ſumatur pro pulchritudine, poteſt in infinitum multiplicari, quia eſt accidens alicuius indiuidui ſingularis, quæ indiuidua in infinitum multiplicantur, vt docuit Porphyrius in ſuo Textu, propter continuam eorum ſucceſſionem, licet enim ſemper indiuidua in actu ſint finita, vt homines particulares, qui modò ſunt in mundo, finiti ſunt: ſimiliter equi particulares, & omnia indi-

indiuidua finita ſunt,tamen in potentia ſunt infinita,quia nunquam tot finiti ſunt homines,neque aliquando tot fient, quin adhuc alij homines ſuperſint producendi;ſed dato vno homine,poteſt produci alter & alter,& dato vno equo poteſt generari alter & alter, & ſic in infinitum:de hac ergò Specie non quærimus. Nec etiam eſt præſens ſermo de ſpecie *ſecundo modo* ſumpta,hoc eſt,de ſpecie intelligibili,per quam res intelliguntur ab anima,quia & iſta ſpecies poteſt multiplicari,ſicut obiecta multiplicantur; nam ex eo,quia intellectus meus cognoſcit hominem, habet ſpeciem hominis,& deinde poteſt habere ſpeciem leonis cognoſcendo leonem, & ſpeciem ignis animalis, & ſic in infinitum per abſtractionem.

Tertio ergò *modo* accipitur ſpecies,pro natura ſpecifica,verbi gratia,natura hominis vocatur ſpecies hominis,natura equi vocatur ſpecies equi &c.de hac ſpecie eſt noſtra difficultas: vtrum poſſit in infinitum multiplicari? *Pro cuius reſolutione.*

Dico,quod hæc eſt differentia inter Species & indiuidua,quod indiuidua,quæ continētur ſub eadem Specie,ſunt æqualia in perfectione, nec habēt inter ſe ordinem prioris & poſterioris per ſe, ſed tātū per accidens: verbi gratia, omnes equi particulares, quicunque ſunt in mundo,ſunt æqualiter perfecti ſecundum naturam,quia illis æqualiter conuenit definitio & natura equi, nec inter illos eſt aliquis prior,

Indiuidua æqualiter participant naturam ſpeciei.

E vel

vel posterior, in quantum habent naturam equi: licet per accidens vnus possit esse prior, quã alter, quia nimirum est magis pulchrior, & aspectu siue incessu grauior, quæ tantum sunt accidentia equi. Et hoc idem est iudicandum de quolibet homine particulari, quia omnes homines sunt æqualiter perfecti, ex natura, quia illis æqualiter & vniuocè conuenit definitio & natura hominis: nam sicut homo Rex est animal rationale, ita homo rusticus est animal rationale, non plus nec minus: licet per accidens, esse Regem, sit aliqua perfectio maior, quã esse rusticum. *Cæterum* species nũquam possunt dari æqualiter perfectæ nec per absolutam Dei potentiam, sed vna debet esse perfectior, quam alia: verbi gratia, angelus est in specie perfectior, quàm homo, & homo quàm asinus, & asinus, quàm planta, nec potuit Deus facere, vt homo, & angelus, & asinus, essent æqualiter perfecti, quia ista omnia distinguuntur per suas formas & naturas, & propterea in speciebus rerum non attenditur ordo prioris & posterioris, per aliquod accidens extrinsecum à natura, sed ex natura.

Species inter se ex natura distinguũtur.

Conclusio. *Species rerum non possunt multiplicari in infinitum.*

Probatur tum *authoritate* Porphyrij in hoc Textu, vbi ait; Species specialissimæ in numero quodam sunt, non tamen infinito; tum etiam *ratione*, quæ est huiusmodi. Illa, quæ habent ordinem per se non possunt in infinitum

mul-

multiplicari, sed species rerum habent ordinẽ per se, & non per accidens sicut indiuidua, ergo species rerum non possunt multiplicari in infinitum. *Maior Prob.* Nam si habent ordinẽ per se ex natura. Ergo habẽt ex sua natura pri° & posterius. Ergò in infinitũ nõ possunt multiplicari. Dixerim tamen, quod, licet ista conclusio sit vera, tamẽ incerta est nobis numerus iste specierum; quęcunq; sunt in mundo: sicut in simili exemplo, si aliquis aspiceret magnũ exercitũ in aliqua planicie, ille exercitus determinatum numerũ hominum in se cõtinet, sed homini illi videnti numerus erit incertus.

Ad primum igitur dicendum, quod omnis similitudo claudicat centũ pedibus, ac proinde, quãdo aliqua dicũtur esse similia, nõ ex eo aliquid dicitur de vno, quia dicitur de altero: sicut in proposito, quando dicit Aristoteles, *species rerum sunt sicut numeri*, quoad omnia *nego*: quo ad aliqua, *concedo*: sicut enim numerus diuiditur in vnitates, ita species diuiditur in indiuidua: & sicut in numero, si adderetur vel minueretur aliqua vnitas, mutatur species numeri, v.g. si à quinq; accipias vnũ, est 4. & si addas vnũ, est sex: ita in specieb. rerũ qualibet differẽtiâ additâ variatur species, nõ tamẽ in hoc currit similitudo, nẽpe, ergo si numerus multiplicatur in infinitũ, multiplicabitur & species, nã in hoc claudicat similitudo prædicta. *Resp. ad I.*

Ad secundum. *Distinguo Maiorem:* quia imitantur diuersos gradus perfectionis Diuinæ, *Resp. ad II.*

imitatione perfectâ, *nego Maiorem*, omnes enim res creatæ etiamsi perfectissimæ sint, nō possunt adæquare virtutem Dei creantis, sed datâ vnâ perfectione, potest Deus facere aliam & aliam: de imitatione verò imperfecta & inadæquata, *concedo Maiorem*, ex quo nihil contra nos.

ARTICVLVS IV.

Vtrum esse Speciem posit conuenire alicui indiuiduo?

Argum. I. VIdetur quod sic. *Primò.* Quod nulli homini conuenit, non potest cōuenire homini. Sed esse speciem conuenit homini, ergò esse speciem conuenit alicui homini. Sed aliquis homo est indiuiduum vagum, ergò esse speciem cōuenit indiuiduo vago. *Maior. Prob.* Nā quia Petro, Francisco, & alijs particularibus hominibus, non conuenit hoc, vt sint lapides, hinc est quod homo communiter sumptus, non est lapis.

Argu. II. *Secundò.* Cuicunque conuenit definitio, eidem conuenit & definitum: sed definitio Speciei conuenit indiuiduo vago. Ergo indiuiduum vagum est species. *Minor. Prob.* Nam indiuiduum vagum prædicatur de plurib. differentibus numero *in quid*: verbi gratia, aliquis homo, prædicatur de Petro, Francisco, &c. nā Petrus est aliquis homo, & similiter Franciscus.

Respon-

Respondeo. Quod hæc est differentia, inter vniuersale & singulare, quod vniuersale, quia est superius, potest multis communicari: verbi gratia, homo vniuersalis, est communis respectu Petri, Francisci &c. at vero singulare nemini communicatur, & idcirco vocatur indiuiduum, quasi non potens diuidi in plura, sicut Petrus. Ratio autem, quare indiuiduum non sit communicabile, hæc est, quia indiuiduum habet materiam particularem, & formam similiter particularem, tanquam principales partes sui, vnde sicut hæc albedo particularis, quia est in hoc pariete, non est communicabilis alteri parieti, ita hæc natura Petri, quia est in hoc composito, non communicatur. Duplex autem est *Indiuiduum*, scilicet *vagum* & *signatum*. Illud est Indiuiduum signatum, quod vnum solum suppositum determinatè significat: vt Petrus, hic homo, &c.

Resolutio. Differentia inter vniuersale & sing.

Indiuiduũ Duplex.

Illud autem dicitur Indiuiduum vagum, quod vnum quidem suppositum significat: sed non determinatè: vt aliquis homo, est indiuiduum vagum, vnum enim hominem significat, sed non explicat, si ille homo est Petrus, vel Franciscus: de hoc tamẽ Indiuiduo erit specialis difficultas in seqq. ar. 7. huius cap.

Indiuiduũ Vagum quid?

Conclusio. Esse speciem nulli conuenit indiuiduo.

Probatur. Quælibet species significat multa inferiora, quatenus conueniunt in sua natura: sicut homo significat Petrum, & Ioannem, quatenus in natura humana conueniunt, sed

Indiuiduum nō poteſt ſignificare multa quatenus conueniunt in aliqua natura. Ergò eſſe ſpeciem non conuenit Indiuiduo. *Minor Prob:* Nam Indiuiduum vagum, ſignificat quidem naturam, non abſolutè communem, ſed ſolum quia non eſt determinata, per modum particularitatis, ad hoc, vel ad illud Indiuiduum, vt ſtatim dicam.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum. Hoc ſuppoſito, quod *entia ſunt in duplici ordine*. Quædam enim conueniunt rei ſecundum ſe, & huiuſmodi ſunt Entia realia, ſicut eſſe riſibilem, eſſe album &c. Quædam vero ſunt, quæ non conueniunt rei ſecundum ſe conſideratæ, ſed tantum prout illa res cognoſcitur ſicut eſſe ſpeciem, eſſe Indiuiduum vagum, conuenit homini, prout ab intellectu cognoſcitur. *Diſtinguo* igitur *Maiorem*. Quod nulli homini conuenit, non poteſt conuenire homini, ſi nulli conuenit ſecundum rem. *Concedo Maiorem*: ſi nulli conuenit ſecūdum rationem, *Nego Maiorem*: vnde nulli homini particulari conuenit ſecundum rationem, vt ſit ſpecies, tamen hoc conuenit homini in vniuerſali conſiderato.

Reſp. ad II Ad ſecundum *Nego Maiorem*. Ad cuius probationem *nego*, quod Indiuiduum vagum prædicetur de pluribus differentibus numero *in quid*, nam potius prædicatur *in quale cuiuſmodi* teſte ſapientiſſimo Caietano. Vel etiam poteſt dici, quod prædicatur quidem de pluribus, non tanquam natura communis, ſed tāquam modus. De hoc ſatis. AR-

ARTICVLVS V.

Vtrum Species poßit ſaluari in vnico Indiuiduo?

VIdetur quod non. *Primò.* Si ſpecies poſſet ſaluari in vnico Indiuiduo. Ergò Species poteſt non eſſe Species, quod implicat manifeſtã contradictionem. *Conſequentia Prob.* Quia de ratione vniuerſalis eſt, quod ſit vnũ in multis. Ergò, vbi non ſunt plura, non eſt vniuerſale. Ergò ſi ſpecies ſaluaretur in vnico Indiuiduo, non eſſet ſpecies. *Argum. I.*

Secundò. Quodlibet Indiuiduum, præſertim materiale, eſt corruptibile. Sed Species rerum ſunt incorruptibiles, cum ſint vniuerſales. Ergò Species non poteſt ſaluari in vnico Indiuiduo. *Argu. II.*

Tertiò Ideo genus non poteſt ſaluari in vnica ſpecie, quia ex natura ſua eſt contrahibile per multas differẽtias, ſicut ſupra dictum eſt in capit. de genere, articulo quarto per totum: ſed etiam ſpecies ex natura ſua poteſt contrahi ad plura Indiuidua, ergò non poteſt ſaluari in vnico Indiuiduo. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod aliter ſe habet genus ad ſpeciem, & aliter quælibet ſpecies ad ſua Indiuidua. Nam genus ex natura ſua eſt quid imperfectum & incompletum, & veluti materia ſpeciei; tunc aũt quodãmodò perficitur, quãdo illi adiũgũtur plures differentiæ, nõ minus quã lignũ, quod videtur eſſe maximè imperfectum, *Deciſio. Differẽtia habitudinis Generis ad ſpeciem & ſpeciei ad indiuidua.*

fectum, ex eo, quia non habet formam domus, nec formam mensæ, aut tabulæ, sed est materia omnium horum: At vero de Specie aliter est iudicãdum, nam Species est in se natura completa & perfecta, neq; perficitur, ex eo, quia ipsi adiũgitur aliquod indiuiduum; imò vero efficitur quodammodò imperfecta. Cuius *ratio est*, quia species comparatur ad sua indiuidua, tanquam principium formale Indiuidui: verbi gratia, animal secundum se consideratum est quid incompletum, tunc autem perficitur, quãdo est in specieb⁹, vt puta, in homine, in equo, &c. quoniã comparatur ad species, tãquam aliquid materiale. *Cæterum* species quælibet, verbi gratia, homo per se, & equus similiter per se, est aliquid completum in sua natura, neque requirit ad hoc indiuidua, vt perficiatur; nisi fortè supposito, quod debet multiplicari in indiuiduis, & per indiuidua, est enim velut forma cuiuslibet indiuidui, vt dictum est.

Conclusio. *Species potest saluari secundum essentiam & secundum potestatem in vnico indiuiduo.*

Probatur. Ideo Genus non potest conseruari in vnica Specie, quia contrahitur ad Species per differentias formales: verbi gratia, animal, contrahitur ad hominem per rationale, & per irrationale ad equum. Sed species non contrahitur ad indiuidua per differentias formales. Ergò species potest saluari in vnico indi-

indiuiduo. *Minor. Prob.* Quod .n. homo vniuersalis efficiatur Petrus tantum, vel Franciſcus, exinde prouenit, quia in illo homine inuenitur Forma, Figura, Locus, Nomen, Stirps, Patria, Tempus, quæ conditiones non reperiuntur ſimul in multis hominibus, imò fortè, hoc eſt impoſſibile, vt poteſt facillimè deduci.

Ad primum igitur dicendum. *Nego conſequentiam.* Ad cuius probationem. *Diſtinguo cõſequentiam primam.* Ergò vbi non ſunt multa, non eſt vniuerſale, formaliter: hoc eſt, non eſt aliqua relatio ad multa, *concedo conſequentiam:* Non eſt vniuerſale materialiter: hoc eſt, non eſt tota natura & tota eſſentia, *nego conſequentiam.* *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum. *Diſtinguo Minorem:* ſed ſpecies rerum ſunt incorruptibiles, per ſe, *concedo Minorem:* per accidens, *nego Minorem:* vnde mortuo Petro, vel Franciſco, moritur quodammodo ſpecies hominis, vt patet. *Reſp. ad II*

Ad tertium. *Diſtinguo Minorem.* Sed ſpecies poteſt contrahi ad ſua indiuidua, contractione formali, ita quod illud additum ſpeciei, habet ſe, tanquam perfectio quædam, ac forma, *nego Minorem:* contractione materiali, ad eum ſenſum, quod illud additum habeat ſe tanquam materiale ſpeciei, *concedo Minorem:* ſed *conſequentia* non valet. *Reſp. ad III.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum definitio Indiuidui sit conueniens?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Omnis definitio constat ex Genere & Differentia. Sed Genus & Differentia sunt prædicata communia. Ergò illud quod definitur debet esse cõmune. Sed Indiuiduum nõ est commune. Ergò Indiuiduum non definitur.

Argum. II. *Secundò.* Omne quod consideratur à Logico, est aliquid rationis: sed Indiuiduũ est quid reale. Ergò Indiuiduum non consideratur à Logico, & per consequens nullo pacto definitur ab illo. *Minor Probatur.* Ideo aliquid dicitur Indiuiduum, quia est indiuisum in se & diuisum à quolibet alio, sed hoc conuenit enti reali: Ergò Indiuiduum est quid reale.

Argu. III. *Tertiò.* Neq; hic definitur ipsa Intentio Indiuidui, neq; res subiecta intentioni. Ergò nulla est definitio. *Antecedens probatur.* Nam res subiecta intentioni est quid reale, de quo Logicus non considerat, ipsa autem intentio, si definiretur, esset communis, & consequenter nõ esset Indiuiduum.

Decisio. *Respondeo.* Quod in Indiuiduo Logico duo consideranda sunt: *Primum* est materiale ipsius Indiuidui, & *secundum* formale. Si loquamur de Indiuiduo materialiter sumpto, tunc illud materiale aliquando est substantia, & aliquando accidens, sicut Petrus, & hæc albedo

Duplex Indiuidui consideratio.

albedo ; non quidem ſubſtantia particularis, nec ſimiliter accidens particulare, in quo multi falluntur (exiſtimantes, quod materiale Indiuidui hominis eſt tantum Petrus, vel tantum Franciſcus &c. quod falſum eſt, quia alias tam Petrus, quam Franciſcus præcognoſcerentur directè ab intellectu, cuius oppoſitum ex S. Thoma ſæpius colligitur) ſed materiale Indiuidui, ſunt omnia particularia alicuius naturæ communis, quatenus hæc particularia ſumuntur per modum vnius, verbi gratia, Petrus, Franciſcus, & reliqui homines particulares, quatenus accipiuntur vt vnus homo ſecundum numerum, & quatenus conueniunt in hoc, quod eſt *eſſe Indiuiduum,* poſſunt dici hoc modo, materiale reſpectu Indiuidui Logici.

Aliud verò eſt, quod poteſt conſiderari in Indiuiduo, ſcilicet formale, & hoc nihil eſt aliud, niſi ipſa intentio ſecunda Indiuidui, quæ eſt relatio formaliter. *Ratio formalis Indiuidui.*

Sed aduerte hic ex Magiſtro Sanches: quod duas relationes poſſumus conſiderare in Indiuiduo formaliter ſumpto. NOTA.

Prima eſt, per quam Indiuiduum refertur ad ſpeciem, ſpecies enim, vt dictum eſt, prædicatur de pluribus Indiuiduis, & ex hac relatione habet Indiuiduum, vt ſit, & vocetur ſubijcibile.

Alia eſt, per quam Indiuiduum refertur ad

ſub

ſubiectum vnum numero, & iſta relatio, eſt relatio prædicabilis de vno tantum, hoc eſt, de ſe ipſo: ſi tamen iſtæ duæ relationes ſimul conſiderētur, tum diſtinguuntur inter ſe ſpecificè, propter diuerſos terminos, vt patet. Nam Relatio indiuidui, per quam indiuiduū eſt ſubijcibile, habet pro termino Speciem, & relatio indiuidui per quam indiuiduum eſt Prædicabile, habet pro termino aliquam rem vnam numero. Ex quo *infero*. Quod ſi iſtæ duæ relationes, diſtinguuntur inter ſe Specie, vtique aliam definitionem debet habere indiuiduum vt eſt ſubijcibile, & aliam, vt eſt prædicabile, & hanc vtramque definitionem expreſſit Porphyrius, in ſuo Textu, dum ait. Indiuiduum eſt, quod continetur ſub ſpecie: verbi gratia, Petrus ſub homine. Et indiuiduum eſt, quod de vno tantum prædicatur: verbi gratia: Petrus eſt Petrus. Recolligendo igitur ea omnia quę diximus in Articulo 3. tractantes de Genere: & ſimiliter in Articulo primo, de Specie, facillimè natura indiuidui Logici percipietur. Nam, ſicut ibi quæſiuimus, an definitio Generis & Speciei quæ prædicantur de pluribus ſit quidditatiua? ita & nunc poteſt hoc ipſum interrogari de indiuiduo, & dicendum eſt, quod prędicari de vno tantum eſt propria paſſio indiuidui: eſſentia verò eius eſt, quod ſit in vno. Et ſicut quęſiuimus de Genere & Specie, an definiatur ſecunda intentio, vel res ſubiecta? ita modo dicimus, quod hæc defi-

Qualis ſit definitio indiuidui.

definitio conuenit secundæ intentioni formaliter, & substrato denominatiuè & accidentaliter,& ita indiuiduum est,quod de vno tantum prædicatur, id est, refertur ad vnum tantum per modum prædicabilis. Res etiam subiecta, & materiale ipsius indiuidui, verbi gratia: Petrus prædicatur, id est, actualiter affirmatur,de vno tantum, dicendo: Petrus est Petrus.

Conclusio. *Vtraque definitio indiuidui, siue consideretur vt subijcibile est, siue vt prædicabile, est conueniens.*

Probatur. Illa definitio est bona,quæ explicat naturam definiti, & distinguit ipsum ab omni alio: sed indiuiduum explicatur & distinguitur ab omni prædicabili, per hoc,quia subijcitur Speciei,& de vno prædicatur. Ergò vtraque definitio indiuidui est conueniẽs. *Minor* manifestè deducitur, applicando has definitiones ad singula prædicabilia.

Ad primum igitur dicendum. *Nego illud antecedens,* quod subsumitur:scilicet:sed indiuiduum non est commune, præsertim loquẽdo de indiuiduo, secundò intentionaliter sumpto. Nam res illa,quæ denominatur indiuiduum *concedo*, quod non sit communis. *Resp. ad I.*

Ad secundum. *Distinguo Minorem*, eadem distinctione: sed indiuiduum est quid reale. Pro materiali *concedo Minorem*: formaliter & pro intentione, *nego*, est enim indiuiduum pro formali relatio,vt dictum. *Resp. ad II*

Ad

Resp. ad III. Ad tertium. *Nego antecedens* quoad primã partem. Ad cuius probationem, *concedo gratis*, quod indiuiduum, si sumatur pro intentione est commune, & dicitur de multis, id est, refertur ad multa, vt sumuntur per modum vnius. Sed pro meliori intelligentia, eorum quæ hic dicuntur, sit

ARTICVLVS VII.

Vtrum Indiuiduum Vagum prædicetur de pluribus?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò*. Si Indiuiduum vagum prædicaretur de pluribus. Ergò esset prædicabile in rigore, & sic Porphyrius esset diminutus in sua doctrina, quia tractans de prædicabilibus tacuit de Indiuiduo Vago.

Argum. II. *Secundò*. Si indiuiduum vagum prædicaretur de pluribus, ergò haberet determinatum modum prędicandi, quia diximus supra circa procemium Porphyrij, quod prædicabile aliquid dicitur ex eo, quia habet determinatum modum prædicandi, *tunc vltra*, sed non apparet, quo modo prædicetur Indiuiduum vagum, quia non prædicatur *in quid*, alias enim esset genus, vel species; nec *in quale* vt facilè posset demonstrari. Ergò nullo modo est prędicabile.

Argu. III. *Tertiò*. Si prædicaretur de multis, ergò species descenderet ad indiuiduum signatum per aliquod mediũ, & sic Petrus esset homo, quia Petrus

Petrus eſt aliquis homo. Sed hoc eſt falſum: ergo & primum. *Minor. Prob.* Nam Porphyrius in Textu huius cap. expreſſè recipit doctrinā Platonis, qui dixit, quod ille, qui deſcendit à Genere Generaliſſimo ad inferiora, debet quieſcere in Specie Specialiſſima, & vltra nō deſcendere in prædicando: & dat Plato huius dicti rationem, quia nimirū Indiuidua infinita ſunt, ac proinde nō pōt de illis haberi ſcientia.

Reſpondeo. Quod in quolibet Indiuiduo tria poſſumus conſiderare: nimirum *Naturam, Modum* iuxta quem natura exiſtit in Indiuiduo, & *Principium*, per quod natura illa eſt determinata ad tale vel tale Indiuiduum: v. g. in Petro eſt natura humana, & modus eſſendi illius naturę eſt particulariter exiſtere: neq; enim natura Petri eſt natura Franciſci, Pauli &c. Principium autem vnde prouenit, quod natura Petri non ſit eadem numero cum natura Franciſci, hoc eſt, quia Petrus habet aliam numero materiam ſignatam quantitate, & aliam Frāciſcus. Hoc igitur ſuppoſito.

Deciſio.

Triplex Indiuiduū conſideratio.

Dico, quod ſi conſideremus *Naturam*, quæ eſt in Indiuiduo, tūc illa natura, poteſt eſſe cōmunis multis, & prædicabilis de multis: ſicut natura humana, quę eſt in Petro, ſi conſideretur ſecūdū ſe, cōmunis eſt Paulo, Frāciſco, &c. ſūt .n. & iſti homines. Si aūt conſideremus *Modū*, quo pacto aliqua natura eſt in Indiuiduo, tunc *modus* ille eſt etiā cōmunis omnib. Indiuiduis, nullū .n. datur Indiuiduum in mundo, in quo

natura

natura non ſit particulariter : ac proinde, in quocunque homine eſt natura humana, in eodem homine eſt illa natura particulariter, & quicunque homo eſt homo, eſt homo particularis: ſicut quæcunque albedo in rerum natura eſt albedo, eſt hæc albedo &c. *Cæterum* ſi loquamur de *Principio*, ratione cuius natura humana redditur huius indiuidui natura, & nõ alterius: tunc oportet dicere, quod tale principium, non eſt commune, ſed vni tantum proprium.

Concluſio. *Indiuiduum vagum verè prædicatur de pluribus.* Probatur ex S. Thoma multis in locis & maximè de Potentia quæſt. 9. artic. 2. ad primum, vbi vix non eadem verba concluſionis iſtius repetit dicens : Indiuiduum vagum prædicatur de pluribus non ſolum ſecundum vocem, ſed etiam ſecundum rationem ſignificatam.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *Concedo totum*, ſcilicet, quod indiuiduum vagum eſt in rigore prædicabile, non tamen Porphyrius eſt diminutus in ſua doctrina ex eo, quia non tractauit de iſto prædicabili. Nam in proœmio non erat pollicitus tractare, niſi de illis quinque.

Reſp. ad II Ad ſecundum. *Nego Minorem.* Prædicatur enim *in quale* non eſſentiale, nec accidentale, ſed cum hoc addito, nimirum cuiuſmodi, vt patet in omni indiuiduo, de quo poſſunt tres quæſtiones formari. *Prima eſt in quid*, dicendo,

quid est Petrus? Homo, & homo iste est species, quæ vt dictũ est, prædicatur de pluribus indiuiduis *in quid*: Secunda quæstio est de eodem Indiuiduo, cuiusmodi homo est Petrus? Iam tu dices per indiuiduum vagum, Est aliquis homo particularis. *Tertia quæstio*, quis est homo particularis? *& tu respondebis per indiuiduum signatum*. Hic est.

Ad Tertium. *Nego Minorem*. Ad cuius probationem Dico, quod descensus speciei specialissimæ ad indiuidua dupliciter potest intelligi: *vno modo* per diuisionem formalem, seu quod idem est, per differentias oppositas; & sic Plato est intelligendus: *Alio modo* descensus per modum; & sic negamus Platonem huiusmodi descensum negasse: vnde sequitur, quod indiuiduum vagum non potest dici verum medium inter speciem specialissimam & indiuiduum signatum, quia ad hoc, vt aliquid sit verum medium, debet esse in recta linea tanquam res communis & non modus rei; vt doctè satis aduertit Caietanus in hoc dubio per totum. *Resp. ad III.*

CAPVT TERTIVM DE DIFFERENTIA.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Differentia est triplex: communis, propria, & maximè propria*. Illud di- *Differẽtia triplex.*

citur

citur differre *communiter*, quod differt per accidens commune, siue à se, siue ab alio: sicut Petrus ambulans, differt secundum differentiam communem à Paulo sedente; & idem Petrus ambulans differt à seipso sedente; & senex differt à se ipso puero. Illud dicitur differre propriè, quo differt per accidens proprium & inseparabile: sicut cæcus differt à vidente: & habẽs nasum curuum, differt ab eo, qui habet rectum. Differre autem *maximè propriè* illud dicitur, quod differt ab altero per differentiam essentialem: sicut homo differt ab equo per rationalitatem.

Secunda conclusio. Datur aliquod discrimen inter prædictas differentias.

Discrimen inter Differentiam communem, propriam & maximè propriam.

Probatur. Nam differentia communiter, & propriè sumpta, faciunt *alterũ*, atverò differentia maximè propria facit *aliud*: verbi gratia, homo, qui sedet, est alter ab homine ambulante per sessionem, sed homo est *aliud* ab equo per rationalitatem. Inter has autem differentias est adhuc discrimen.

Primò, quia differentiæ facientes *alterum* vocantur differentiæ simpliciter, sed differentiæ facientes *aliud* vocantur differentiæ specificæ.

Secundò. Differẽtię faciẽtes *aliud* diuidũt Genera: sicut rationale & irrationale diuidunt animal. Sed differentiæ facientes *alterũ*, distinguunt Indiuidua.

Tertiò. Differentię facientes *aliud*, ingrediuntur definitionem: sicut rationale definit hominem.

minem. Sed differentiæ facientes *alterum*, non ingrediuntur: ſed tantum immutant res: ſicut frigidum & calidum immutant corpus.

Tertia Concluſio. Differentia faciens aliud, quinque modis poteſt definiri. *Quintuplex definitio Differentiæ maximè propriæ.*

Prima definitio eſt: differentia eſt, quâ ſpecies excedit genus, homo enim plus habet, quam animal, quia in homine inuenitur rationale, & non inuenitur in animali.

Secunda Deſinitio: differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo, quod *quale*. Hæc tamen definitio nõ cõuenit vltimis differentijs, quæ conuertuntur cum ſuis ſpeciebus.

Tertia deſinitio: differentia eſt id, quod ex propria natura diſtinguit ea, quæ ſub eodem genere continentur: vt rationale diſtinguit inter hominem, & bruta.

Quarta definitio: differentia eſt id, quo differunt à ſe ſingula: vt per rationale homo differt à ſingulis ſpeciebus.

Quinta definitio: differentia eſt id, quod conducit ad eſſentiam rei, & eſt pars ipſius eſſentiæ, & hæc de Textu huius capitis.

ARTICVLVS I.

Vtrum diuiſio Differentiæ in communem, propriam, & maximè propriam, ſit diuiſio entis realis, vel ſecundæ intentionis?

VIdetur quod entis realis. *Primò*. Porphyrius explicans huiuſmodi diuiſionem, *Argum. I.*

 adhi-

adhibet exempla realia. Ergò differentia in communi, quæ hic diuiditur, non est secunda intentio, sed ens reale. *Antecedens* patet in Textu præcedente, vbi ait Porphyrius, quod ambulans differt secundum differentiam communem à sedente; & sic de alijs, vt dictum est. Ergò, cum esse ambulantem, & esse sedentem, sint entia, quę conueniunt rei extra intellectũ, diuisio ista differētiæ, est diuisio entis realis.

Argum. II *Secundò*. Differentia, quæ hic diuiditur in cōmunem, propriam, & maximè propriam, nō est secunda intētio. Ergò est ens reale. *Antecedēs Prob.* Si differentia, quæ hic diuiditur, esset secunda intentio, ergo & membra illius diuisionis, scilicet: differentia communis, propria, essent secundæ intentiones, ergò essent prædicabiles; hoc autem nemo vnquam concessit: constat enim apud omnes, quod differentia maximè propria denominatur ab intentione secunda, & sola constituit hoc prædicabile tertium. Ergò hæc sola differentia erit secunda intentio.

Argu. III. *Tertiò.* Si differentia, quæ hic diuiditur in communem, propriam, & maximè propriam, esset secunda intentio; sequeretur, quod vniuersale non esset genus, immediatum ad quinque prædicabilia, sed hoc est falsum, & contra superius dicta: ergò & primum. *Sequela Maioris prob.* Nam illud vniuersale habet sub se differentiam, quæ per se est intentio secunda, & deinde ista differentia est genus ad differentiā

com-

communem, propriam, & maximè propriam. Ergò iam vniuersale non erit immediatum genus respectu quinque prædicabilium, cuius oppositum docuim⁹ supra circa procemium.

Respondeo. Quod, sicut docet S. Thomas lib. 5. Methap. lectione 12. esse differens, & esse diuersum, nõ sũt idẽ. Ideo enim aliqua dicuntur esse diuersa, quia in nullo cõueniunt; sed se ipsis distinguuntur: sicut in physicis materia, & forma, sunt diuersa: & similiter actus, & potentia &c. at verò illa dicuntur differre, quæ conueniunt quidem in aliquo vno, sed in aliquo non conueniunt: & ita ad differentiam requiritur semper aliqua conuenientia, siue in genere, siue in specie. Propter quam rationem homo, & asinus, non sunt diuersa, sed differentia, conueniunt enim in animali: similiter Petrus & Franciscus, non sunt homines diuersi, sed differentes, quia conueniunt in homine. *Aduerte* igitur, quod, si illa, quæ abinuicem distinguuntur, conueniunt in aliquo Genere, tunc differentia, per quam distinguuntur, vocatur maximè propria: sicut equus, & homo, quia cõueniunt in genere, & differunt in specie, idcircò differentia, per quam differunt, est proprijssima & essentialis, nam equus differt ab homine per irrationale. Illa verò quæ differunt abinuicem sub eadem specie, differunt per differentias, quæ vocantur propriæ: sicut alia numero est risibilitas in Petro, & alia in Francisco, licet Petrus & Franciscus sint

Resolutio Articuli: Discrimen inter differre & diuersum esse.

NOTA. Quæ dicatur differentia maximè propria.

eiusdem Speciei. Illa verò, quę sunt idem numero, differunt per differentias cõmunes, & separabiles à seipsis: sicut Petrus sedens, & Petrus nõ sedẽs differt à se ipso per differentiam cõmunem, quia nimirũ sedet & non sedet: similiter Petrus senex differt à seipso puero. Et sicut Genus, Species, & Indiuiduum distinguuntur: ita hæ tres differẽtiæ pertinent ad diuersa prædicabilia. Nã differentia cõmunis, si pro natura substrata consideretur, pertinet ad quintũ prædicabile: & differentia propria ad quartum: & maximè propria, ad hoc tertium. volo dicere: quod homo, quatenus differt per albedinẽ, differt per accidẽs cõmune, & quatenus differt per risibile, differt per accidẽs propriũ, & per rationale, differt maximè propriè. Hæc aũt tria, vt ad presens attinet, dupliciter cõsiderari possunt: *Primò* intẽtionaliter, vel *secundò* intẽtionaliter. Tunc cõsiderãtur istę differẽtię primò intẽtionaliter, quãdo considerat quis substrata harũ differentiarum secundum proprias naturas: v.g. quãdo quis cõsiderat albedinẽ secundũ naturã suã, quia nimirum est color disgregans visum, non considerando, quod albedo sit differentia cõmunis; & similiter, quando quis cõsiderat risibile, vt est aptitudo ad ridẽdũ, nõ considerando, quod risibile sit differẽtia propria, & sic de aliis: & hoc modo differentiæ istæ sunt entia realia, & considerantur à scientia reali: at verò tunc considerantur differentiæ secundò intentionaliter, quando considerantur sub intentione differẽ-

Duplex cõsideratio differentiarum.

tiali: ſicut ſupra de animali dictum eſt, quod denominatur ab intentione genereitatis genus,& paries ab albedine albus.

Concluſio. *Quando diuiditur Differentia in communem,propriam & maximè propriam, diuiditur ſecunda intentio Differentiæ,in ſecundam intentionem differẽtiæ cõmunis,propriæ & maximè ꝓpriæ.*

Probatur. Differẽtia,quę hic diuiditur, cõtinetur ſecundum ſuam rationem formalẽ ſub obiecto adæquato Logicæ,ſci.ſub ente rationis, ergò eſt ens rationis Logicum,ergò eſt ſecunda intentio. In hoc enim diſtinguitur Logicus à Metaphyſico,quia Metaph. conſiderat rationem realẽ entis in conceptu differentiæ, cæterum Logicus conſiderat ipſam rationem realẽ tanquã fundamẽtũ ſecũdarũ intẽtionũ.

Ad primũ igitur dicendũ. *Nego conſequentiã.* *Reſp. ad I.* Nã licet Porphyrius adhibeat exẽpla realia,nõ tamen ideo ens reale diuidit : ſed vult nobis manifeſtare, quomodo cognoſcatur differentia ſecundò intentionaliter ſumpta , ex ſuis fundamentis: & ita exẽplificat de ſubſtrato, vt ſciamus ſecũdã intẽtionẽ,quæ in illo fũdatur.

Ad ſecũdũ. *Nego antecedens.* Ad cuius proba- *Reſp. ad II.* tionẽ *dico*. Quod Differẽtia cõmunis,propria, & maximè propria,ſunt ſecũdæ intẽtiones,& prædicabiles, vt dictũ eſt in corpore. Nã differẽtia cõmunis prædicatur *in quale accidẽtale ſeparabile*. Et differẽtia propria *in quale accidẽtale inſeparabile:* differẽtia aũt maximè propria *in quale eſſẽtiale:* vnde differẽtia quę hic diuiditur,

 eſt

eſt prædicabilis,& abſtrahit à differentia prędicabili in *quale eſſentiale & accidentale.*

Reſp. ad III. Ad Tertium. *Nego ſequelam Maioris.* Ad cuius probationem libenter *concedo,* ipſum vniuerſale habere ſub ſe hanc differentiam, quæ hic diuiditur in communem, propriam, & maximè propriam: *nego tamen*, quod iſta differentia ſit genus vniuocum. Sed hoc argumentum,meo videri, ſpecialem poſtulat difficultatem, pro qua ſit

ARTICVLVS II.

Vtrum diuiſio Differentiæ in communem,propriam, & maximè propriam,ſit diuiſio generis in ſpecies?

Argum. I. VIdetur quod ſic.*Primò.*Differentia communis,propria,& maximè propria, sũt veræ ſpecies ipſius differentiæ vt ſic,ergò differentia vt ſic, prædicatur de illis tanquam genus,& conſequenter, diuiſio prædicta erit vniuoca. *Antecedens prob.* Species vera illa dicitur,quæ prædicatur de pluribus differentibus numero *in quid.* Sed Differentia communis prædicatur de hac & illa differentia communi, ſimiliter differentia propria, & maximè propria, ergò ſunt veræ ſpecies ipſius differentiæ,ſecundum quod abſolutè conſideratur.

Argum. II. *Secundò.* Si prædicta diuiſio non eſſet generis in ſpecies, *tunc quæro,* aut differentia cõmunis,

munis, propria, & maximè propria, sunt inferius quid, quā differentia absolutè sumpta, vel non: si dixeris quod non sunt aliquid inferius, hoc est falsum, quia alias idem in se ipsum diuideretur: Si verò sunt aliquid inferius, hoc dici non potest, quia istæ differentiæ constituunt per se diuersa prædicabilia: sicut albedo, quæ est differentia cōmunis, per se spectat ad prædicabile quintum, nimirum ad accidens: & similiter risibile, quod est differentia propria, habet distinctum prædicabile, nimirum proprium.

Resolutio. *Respondeo.* Quod vna & eadem res potest pertinere ad diuersas scientias, si secundum diuersas rationes formales consideretur: sicut homo consideratur à Logico, vt est species prædicabilis, & à Theologo, quatenus est capax beatitudinis: similiter pomum in quantum album, videtur ab oculo, & in quantum durum, sentitur per tactum: & sic de alijs. Ita ergò in proposito, res substratæ differentiæ communi, vt albedo, & differentiæ propriç, vt risibile, si considerentur secundum diuersas rationes, ad diuersa prædicabilia pertinent, possunt enim considerari dupliciter: *Primo modo,* quatenus sunt extra essentiam rei, & sic albedo quæ est substratum differentiæ communis, pertinet ad quintum prædicabile, quia est separabilis à subiecto: & risibile, ad quartum, quia est accidens proprium vni. *Secundo modo* possunt considerari, quatenus faciunt

Quomodo differentiæ pertineant ad diuersa prædicabilia.

aliqua differre ab inuicem, & hoc modo pertinent ad istud prędicabile non quidem absolute considerando, hoc, quod est facere aliqua differre ab inuicem (nam sic Metaphysicus tractat de differentia tanquam de ente reali) sed quatenus faciunt aliqua differre ab inuicem, & vltra hoc, prædicantur de multis, hęc enim est ratio differentiæ Logicæ, quæ pro formali importat vniuersalitatem, & secundam intentionem. Vnde differentia cõmunis sumpta Logicè est quoddam vniuersale, quod prædicatur de multis, faciens ea differre per accidens commune: & differentia propria sumpta Logicè prædicatur de multis, faciens ea differre per accidens proprium: sicut risibile prædicatur de multis hominibus, & facit eos differre ab equo, asino, &c. Differentia verò maximè propria, prędicatur de multis, faciẽs ea essentialiter differre: sicut Petrus differt à planta per rationale. Hoc igitur supposito.

Dico: quod, si consideremus Metaphysicè differentiam communem, propriam, & maximè propriam, tunc ista diuisio differentiæ vt sic, non est diuisio vniuoca, tanquam generis in suas species: quia differentia Metaphysicè considerata, nihil aliud importat, nisi hoc, quo aliquid differt ab aliquo, facere autem differre vnum ab alio, non æqualiter omnibus differentijs conuenit, sed simpliciter differentiæ maximè propriæ. Differentiæ aũt communi & proprię secundum quid, hoc est, non essentialiter, sed per accidẽs: *cæterum* si cõsideremus differentiam Logicè, sic Con-

Conclusio. *Si sumatur Differentia Logicè, hoc est, prout importat secundam intẽtionem formaliter, tunc diuisio ista Differentiæ in communem, propriam & maximè propriam, est analoga & non vniuoca.*

Probatur. Si differentia secundò intentionaliter sumpta, diuiditur in hoc loco tanquam genus, Ergo differentia communis, propria, & maximè propria, sunt illius Species. Ergò sicut dantur tres species differẽtiæ secundò intentionaliter sumptæ, ita erunt tria prędicabilia Differentiæ, quod est contra omnes Logicos. *Probo consequentiam.* Nam si differentia maximè propria constituit vnum prædicabile differentiæ, quod est tertium inter prædicabilia, cur etiam differentia communis & propria, non constituent prædicabilia distincta, cum sint species ipsius differentiæ? Obiter tamen dixerim, quod ista analogia inter differẽtiã cõmmunem, & propriã, ex vna parte; & inter maximè propriã, ex altera parte, vocatur analogia proportionalitatis. Nã sicut se habet differentia maximè propria ad hoc quod est facere differre, & prædicari de multis, ita similiter se habent supradictæ differẽtiæ, licet cum quadã similitudine diminuta, nam differentia maximè propria facit differre secũdũ essentiã, & alię differentię per accidens, vt dictum est.

Qualis sit Analogia inter differentiam, communẽ propriam, & maximè propriam.

Resp. ad I.

Ad primum igitur dicendum. *Nego antecedens.* Ad cuius probationem, *distinguo Minorem:* sed differentia cõmunis, prædicatur de hac & illa differentia cõmuni, vniuocè, *nego Minorẽ:* analogicè, *cõcedo Minorẽ:* sicut etiã in simili, sanũ

prædicatur de hoc & illo ſano, dicendo hæc medicina eſt ſana, & hæc & illa eſt ſana &c. & tamen eſſe ſanum non eſt ſpecies vniuoca ad plura indiuidua, vt patet.

Reſp. ad II. Ad ſecundum *dico.* Quod differentia communis & propria, ſi ſumantur ſecundò intentionaliter, ſunt aliquid inferius, quam illa differentia, quæ hic diuiditur. Ad impugnationem verò, *concedo benè* differentiam communem & propriam, pertinere ad vniuerſa prædicabilia, ſi ſecundum diuerſas rationes conſiderentur, vt in corpore dictum eſt.

ARTICVLVS III.

Vtrum prædicari de pluribus differentibus Specie, in quale eſſentiale, conueniat Vltimis Differentijs?

Argum. I. VIdetur quod ſic. *Primò* Hęc definitio, ſcilicet prædicari de pluribus differẽtibus ſpecie *in quale eſſentiale*, eſt de eſſentia iſtius prædicabilis tertij: ergò eſt de eſſentia differentiæ vltimæ, quia differentia vltima conſtituit hoc prædicabile.

Argum. II. *Secundò.* Differentiæ vltimæ, in quantum differentia eſt, nõ repugnat prædicari de pluribus ſpeciebus *in quale eſſentiale*, ergò hæc definitio conuenit illi per non repugnantiam. *Antecedens prob.* Nam, ſi repugnaret differentiæ vltimæ prædicari de pluribus ſpeciebus, in

in quantum est differentia: Ergò & omni alteri differentiæ hoc repugnabit.

Tertiò. Si prædicari de pluribus speciebus *in quale essentiale*, non conueniret differentiæ vltimæ, ergò differentia vltima non esset propriè & in rigore differentia: sed hoc est falsum, cum sit differentia maximè propria, ergò hoc illi conuenit. *Sequela Maioris prob.* quia hoc modo prædicari de speciebus *in quale essentiale*, est de natura differentiæ, & ita, si vltimæ Differentiæ non prædicantur de Speciebus *in quale essentiale*, non erunt veræ differentiæ. *Argu. III.*

Respondeo. Quod in hoc dubio non est idem consensus apud Scholasticos. Quidam enim ex discipulis Angelici Doctoris supponunt pro resolutione dubij presentis hoc nimirum, quod omnis definitio conuenit definito, vel *positiuè*, hoc est, affirmatiuè: sicut esse animal rationale, conuenit positiuè homini: vel etiam *non repugnanter*: sicut rei habenti quantitatem conuenit diuidi in partes infinitas, non absolutè, ad eum sensum, quod omne habens quãtitatem, diuidatur, sed non repugnanter, hoc est, in quantum res considerantur sub quantitate: verbi gratia, quantitas humana absolutè loquendo, nõ potest diuidi in infinitum, quia, si secaretur homo per medium, statim desinit habere quantitatem humanam: tamen quantitas humana, secundum quod consideratur, vt quantitas est, optimè potest diuidi: similiter *Resolutio.*

ter & cœlum, si consideretur, vt habens quantitatem, diuidi potest in partes, sed absolutè, quia est incorruptibile, nunquam diuiditur. Hoc igitur supposito, plurimi ex Thomistis recentioribus docent, quod prędicari de pluribus differentibus specie *in quale essentiale*, est definitio absoluta differentiæ vt sic, quæ sanè conuenit omnib. differẽtijs, tam subalternis: sicut est animatum & inanimatum (hæc enim prædicãtur de plurib. specieb. vt patet, de homine. n. dicitur animatum, similiter de equo &c.) quã vltimis: sicut est rationale: cum hoc tamen discrimine, quod differẽtijs subalternis cõuenit definitio prędicta positiuè, quæ verè prędicãtur de specieb': vltimis aũt ꝑ nõ repugnantiã, h. e. in quãtum differẽtiæ sunt, & nõ in quantũ sunt vltimæ, ac proinde in hac doctrina, differentiæ vltimæ non sunt veræ differentiæ, attamen vt veritas locum habeat.

Dico. Quod differentia duplex est: quædam enim est *subalterna*, & quędam *specialissima seu atoma.* Illa vocatur differentia *subalterna*, quæ constituit genus, & conuertitur cum genere: sicut *animatũ* respectu *viuentis* dicitur differentia generica, quia cõstituit viuens, & cum illo conuertitur, omne. n. viuens animatum est, & omne quod animatum est, viuens est; similiter sensibile respectu animalis; corporeum respectu corporis &c. & hoc pacto sumendo differẽtiam, oportet omninò dicere, quod illa prędicatur de pluribus speciebus *in quale essentiale*, sicut & ipsum Genus prædicatur de specieb.

Differẽtia duplex.

in quid, vt puta viuẽs, aut animal, neque de hac re aliquis dubitauit. Illa autem vocatur *Differentia vltima*, quę constituit Speciem Specialissimam, & est conuertibilis cum ipsa: sicut rationale respectu hominis dicitur differentia Specifica, quia constituit hominem & conuertitur cum homine, omnis enim homo rationalis est, & quod est rationale, est homo: & sicut homo non nisi de pluribus indiuiduis prædicatur: ita & rationale est differẽtia prædicabilis de vna specie, & de omnibus indiuiduis, quæ sub illa specie continẽtur. Nõ tamẽ hic decipiaris, existimando, quod sicut Genus, & Species pertinẽt ad diuersa prædicabilia: ita similiter differentia generica, & specifica: hoc.n. falsum est: nã istæ duæ differentiæ non faciũt duo prædicabilia, sed vnum, ac proindè vnica est ratio prædicandi conueniens differẽtiæ genericæ, & differẽtiæ vltimę, scilicet: *prædicari de pluribus in quale essentiale*; & ita aliud est iudicium de Genere & Specie ex vna parte, & de differentia Generica, & Specifica, ex altera parte. Ratio autem discriminis stat in hoc, nam genus & species conueniunt in vna ratione communi æquiuoca, scilicet prædicari *in quid*, quod est æquiuocum ad prædicari conueniens Generi, & conueniẽs Speciei: Gen⁹ enim prædicatur *in quid* vt pars Speciei, & Species prędicatur *in quid* vt tota natura respectu indiuiduorũ. Cęterũ prędicari *in quale essẽtiale* nõ est ęquiuocũ ad differẽtiã subalternam

Quæ sit differentia vltima.

Quare differentia specifica & generica non constituant diuersa prædicabilia.

nam, & differentiam vltimam, quia vtraque differentia eſt pars formalis. Colligendo ergo definitionem legitimam differentiæ, prout eſt tertium prædicabile hæc eſt: *Differentia eſt, quæ prædicatur de pluribus in quale eſſentiale.*

Concluſio. *Impoßibile eſt, quod prædicari de pluribus differentibus ſpecie in quale eſſentiale poßit conuenire vltimis differentiis.*

Probatur. Si prædicari de pluribus differentibus Specie *in quale eſſentiale* conueniret vltimæ differentiæ, *interrogo igitur,* aut hoc ei conuenit propterea, quia differentia eſt: vel quia vltima eſt: aut propter vtrumque ſimul: ſed nulla eſt cauſa ex iſtis. Ergò differentia vltima non prædicatur de pluribus ſpeciebus *in quale eſſentiale. Minor prob.* Non ex eo, quia vltima eſt, quia hoc modo ſumpta vnicã tantum ſpeciem conſtituit, & cum ea conuertitur, vt dictum eſt, ac proindè, quia non conſtituit plures ſpecies, non eſt in pluribus, nec prędicatur de pluribus vt patet: Neque etiam ex eo, quia eſt differentia, hoc eſt, quia participat de ratione communi differentię, & *probo:* Ratio abſoluta differentię maximè propriæ, quæ eſt communis ad genericam, & ſpecificam, abſtrahit ab hoc, quod eſt *prædicari de pluribus differentibus ſpecie, vel numero, in quale eſſentiale,* nam alias, ſi non abſtraheret, includeret in ſe vtrumque, & ita nullum eſſet diſcrimen inter differentiam ſpecificam, quæ prædicatur de pluribus indiuiduis, & inter differentiam

tiam Genericã, quæ prædicatur de pluribus speciebus, quia vtrique ex æquo conuenit prædicta ratio differentiæ vt sic, quod falsum est, vt in corpore Articuli deduxi. Ergò differentiæ *vltimæ non* conuenit prædicari de pluribus speciebus, per non repugnantiam.

Præterea. Si prædicari de pluribus speciebus conuenit differẽtijs vltimis *non repugnanter*, ex eò, quia differentiæ sunt; ergò animal rationale potest conuenire Leoni per non repugnãtiam, ex eo quia Leo est animal, quod est cõtra omnem sensum, cum esse animal rationale sit definitio hominis. *Ostendo consequentiam*. Ita comparatur differentia vltima & differentia subalterna in ratione absoluta differentiæ; sicut cõparatur homo ad Leonem in ratione ipsius animalis. Sed per te prædicari de pluribus speciebus repugnat differentijs vltimis quatenus vltimæ sunt, non verò vt sunt differentiæ, Ergò etiam Leonem esse animal rationale; non repugnat Leoni quatenus animal est, licet repugnet vt Leo est, quod ergo est animal in Leone, nisi Leonis? & quæ differentia est in vltima differentia formaliter, nisi differentia vltima? nõ enim est ibi generica, vt dictũ est. Neque in hoc argumento debes confugere ad conceptum vniuocum animalis, vel analogum differentiæ; nam hoc nihil obstat, si ipsa res dubij oculatius consideretur: & sic manifestum est, quod *prædicari de pluribus differentibus specie in quale essentiale* conuenit differentijs subalternis tantum.

H Ad

Resp. ad I. Ad Primum igitur dicendum. *Nego Antecedens.* Ratio enim formalis constitutiua huius prædicabilis tertij, est hæc, scilicet *prædicari de pluribus in quale essentiale,* abstrahendo ab hoc quod est prædicari de pluribus specie, vel numero distinctis.

Resp ad II. Ad secundum. *Nego antecedens.* Ad cuius probationem, *nego consequentiam,* in qua totam vim difficultatis ponunt contrarij: sed non valet profectò hæc consequentia: & *do in exemplum.* Nam si velles argumentari hoc pacto: Leo in quantum Leo, non est rationalis: Ergò non repugnat Leoni esse rationalem in quantum est animal; non valet, inquam, propterea, quia Leo nō habet aliā rationē vel naturam in quantum est animal, nisi rationem animalis, quod est commune ad hominem & Leonem: sic ergò in proposito quando *infers,* Differentia vltima non prædicatur de pluribus speciebus in quantum est vltima, ergo potest prędicari in quantum est differentia. Quid enim est differentia vltima in quantum differentia, nisi communius ad vltimam & non vltimam? Miror profectò, cur in hac re, sic manifesta plurimi hallucinentur.

Resp. ad III. Ad tertium. *Nego sequelam Maioris.* Ad cuius probationem, *dico,* quod prædicari de pluribus differentibus specie, est de natura differentiæ Genericæ, & Subalternæ: non autem differentiæ vltimæ.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Vtrum differentia Specifica sit Vniuersalis per ordinem ad Speciem, quam constituit: an verò per ordinem ad Indiuidua?

VIdetur quod per ordinem ad Speciem. *Primò.* Prædicabilitas est Passio vniuersalis. Sed Differentia *primò* prædicatur de Specie, quam de Indiuiduis. Ergò est vniuersalis per ordinem ad Speciem, & non per ordinē ad indiuidua. *Minor* patet ex Aristotele, multis in locis, & potissimum in libris Posteriorum, vbi docet, quod differentia prædicatur per se & essentialiter de Specie, & conuenit illi in primo modo perseitatis. *Argum. I.*

Secundò. Differentia est prædicatum vniuersale, cum inter quinque Prædicabilia connumeretur, Sed eodem modo prædicatur differentia de Indiuiduis, sicut de Specie. Ergò æqualiter est vniuersalis, per respectum ad Indiuidua, sicut ad Speciem. Nam, si per respectū ad Speciem, non est vniuersalis, nullo pacto poterit prædicari de Specie, dicendo Homo est rationalis, quod falsum est. *Argum. II.*

Tertiò. Prædicabile tertium est verè Vniuersale. Sed Differentia prædicatur de specie, verbi gratia, rationale de homine tanquam Prædicabile tertium. Ergò prædicatur vt vniuersale, & consequenter differentia vltima respectu Speciei, est vniuersalis. *Argu. III.*

Resolutio. *Respondeo.* Quod ſicut ſupra dictum eſt, *Duplex differentiæ acceptio.* Differentia ſumitur dupliciter: *Metaphyſicè* ſeu *entitatiuè*, & *Logicè* ſeu *prædicatiuè*. Tunc conſideratur Differentia *Methaphyſicè*, quando conſideratur, vt facit differre vnum ab alio, & eſt in illo, ſicut rationale poteſt vocari differentia Metaphyſica, quando ego conſidero, quod rationale, eſt in aliquo, & facit ipſum differre ab alio, vt puta hominem ab equo, à menſa, &c. & ſi ſumatur hoc modo Differentia, non currit de illa quæſtio in præſenti. Manifeſtum enim eſt, quod differentia metaphyſica, nullo modo eſt ens rationis, & conſequẽter nõ conſideratur ab illo vt eſt prædicabilis vel vniuerſalis. *Alio modo* poteſt cõſiderari *Quæ ſit differentia Logica ſeu prædicatiua.* Differerentia, Logicè ſeu prædicatiuè, & hoc modo nihil aliud eſt, niſi quæ facit differre vnum ab alio, & vltra hoc, prædicatur de pluribus *in quale eſſentiale:* vt rationale, facit differre hominem ab equo, & prædicatur de pluribus hominibus in particulari conſideratis, nã Petrus eſt rationalis, Franciſcus eſt rationalis, & ſic de alijs; & de differentia hoc modo ſumpta, procedit hæc quæſtio, ita vt ſit ſenſus: vtrũ differẽtia Logica quę facit differre vnũ ab alio, & prædicatur de pluribus *in quale eſſentiale*, ſit vniuerſalis, propter hoc, quia reſpicit Speciem, an vero quia reſpicit Indiuidua? ac ſi dicas ſub alijs verbis: vtrum rationale ſit differentia vniuerſalis & prædicabilis, propter hanc cauſam quia prædicatur de homine vniuerſali, an vero

quia

quia prædicatur de indiuiduis hominibus, qui continentur ſub Homine? *Pro cuius reſolutione.*

Dico: Quod vniuerſale nihil eſt aliud, niſi quædam natura communis, quæ eſt in multis, & habet relationem ad multa: ſicut animal, eſt in multis ſpeciebus, vt puta in homine, in equo &c. & homo eſt vniuerſale in multis indiuiduis, ſcilicet in Petro, Franciſco &c. Quod ſi aliquid non reſpicit multa, non eſt vniuerſale ſicut Petrus; licet hæc Particularia Indiuidua, nimirum Petrus, & Franciscus, non ſint ſecundum ſe vniuerſalia, tamen poteſt intellectus abſtrahere ab illis aliquod vniuerſale, Hominem videlic. vel animal, aut aliquid aliud, vnde nunquam vniuerſale abſtrahitur ab vniuerſali, in quantum eſt vniuerſale, ſed tantum à particulari, ſicut in exemplo. Rationale quãdo abſtrahitur per intellectum, non abſtrahitur ab homine in quantum eſt vniuerſalis, nam alias poſſet concipi Homo ſine rationali, ſed tantum abſtrahitur à Petro, vel Franciſco, & alijs Indiuiduis; illud autem rationale ſic abſtractum, prædicatur de homine illo vniuerſali, qui eſt Species, & prædicatur etiam de Particularibus indiuiduis ipſius hominis, differenter tamen.

Duplex differentiæ Logicæ & Metaphyſicæ diſcrimen.

Primum diſcrimen eſt, quia ſi conſideretur illud rationale, quatenus eſt differentia Metaphyſica, & entitatiuè prius prædicatur de homine Vniuerſali, & ſecundariò de Particularibus

ribus hominibus: Si autē ſumatur Logicè ſeu prædicatiuè, prius prædicatur de Particularib. hominibus, & ſecūdariò de homine Vniuerſali.

Secundum diſcrimen eſt, quia quando differentia prædicatur de Specie, tunc hæc dictio, *Prædicari*, idem ſignificat, quod eſſe formam, ſeu informare & conſtituere formaliter, & nihil amplius: ſed quando differentia prædicatur de pluribus Indiuiduis, tunc hæc dictio, *Prædicari*, idem ſignificat, quod referri ad Indiuidua, per modum Prædicabilis de pluribus *in quale eſſentiale* &c.

Concluſio. *Differentia vltima non poteſt dici formaliter vniuerſalis propter hanc cauſam, quia reſpicit ſpeciem*: verbi gratia, rationale eſt differentia, quæ conuenit homini, vt eſt Species, & iſtud rationale, non eſt Vniuerſale propterea, quia reſpicit Hominem.

Probatur. Vniuerſale ſecundum Ariſtotelem, illud vocatur, quod eſt in multis, & habet reſpectū ad multa inferiora. Sed Species neq; eſt multa, neq; inferior ad differētiā. Ergò differētia nō eſt vniuerſalis per ordinē ad Speciē. *Minor prob.* Nō eſt inferior, quoniā Species cōuertitur cum differentia. Non eſt multa, quoniam Species vnicam habet eſſentiā & definitionē.

Præterea. De illis naturis Prædicatum aliquod dicitur vniuerſaliter, à quibus eſt abſtractum. Sed differentia non abſtrahitur per intellectum à Specie, ſed tantum ab Indiuiduis, vt dictū eſt. Ergò differentia eſt Prædicabilis, & Vniuerſalis per ordinem ad Indiuidua, &

nõ ad Speciẽ. *Minor prob.* Differentia constituit Speciem determinatam, sicut rationale constituit Hominem. Ergò facit essentialiter differre Speciem ab omni alio. Ergò non abstrahitur, imò nec potest abstrahi à Specie.

Ad primũ igitur dicendũ. *Distinguo Minorẽ.* Differẽtia prius prædicatur de Specie, quam de Indiuiduis, si sumatur differentia Metaphysicè, *concedo Minorẽ*: Logicè, *nego Minorem.* Volo dicere: quod differentia metaphysica, non est pars essentiæ Indiuidui primò, & per se, quoniam Indiuidua vt sic, non definiuntur, & si quam habẽt naturã ex Genere & differentia, illam accipiunt à Specie: *Cæterũ* si sumatur Differentia Logicè, pro tertio Prædicabili, non habet hoc, quod *primò* conueniat Speciei, h.e. quod *primò* respiciat Speciem, nam *primò* respicit Indiuidua, tãquam sua Subiecta inferiora. *Resp. ad I.*

Ad secundũ. *Nego Minorẽ*, nã differentia prędicatur de Specie tanquã Prædicatũ formale: de Indiuiduis verò tanquã Vniuersale Prædicabile, & ita differentia, quæ prædicatur de Specie, est quidem Vniuersalis: sed non propter hanc causã, quia respicit Speciẽ, vt patet. *Resp. ad II.*

Ad tertiũ. *Nego Minorẽ.* Nã potius prędicatur de homine tãquã Prædicatũ tertiũ. Inter prædicatũ verò & prædicabile, nihil aliud interest, nisi hoc, quia differẽtia, vt Prædicatũ, dicitur in Propositione tãtũ: vt Prædicabile aũt, etiam extra Propositionem: vt in præsenti. Et *aduerte*, quod hæc tota difficultas, applicanda est *Resp. ad III.*

ad quartũ Prædicabile, scil. ad Propriũ, de quo itidem potest quæri: Vtrum propria passio, sit Vniuersale Prædicabile ex respectu ad Speciẽ, an vero ad Indiuidua? sed de hoc satis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Genus prædicetur per se de Differentijs?

Argum. I. Videtur quod sic. *Primò.* Propria passio per se prædicatur de subiecto, sicut risibile de homine. Ergò multo magis Genus prædicatur per se de differentia. *Consequentia probatur.* Maius est discrimen inter subiectum & Propriam Passionem, quam sit inter Genus & differentiam, quia Propria passio accidit Subiecto, differentia autem non accidit Generi: sed Propria passio prædicatur per se de suo subiecto. Ergò etiam genus prædicabitur per se de differentia.

Argum. II. *Secundò.* Hæc Propositio est per se: *rationale est animal.* Sed animal prædicatur vt genus, & rationale subijcitur vt differentia. Ergò Genus per se prædicatur per differentia. *Maior Prob.* Hæc proposito non est per accidens. Ergo est per se.

Resolutio. *Respondeo.* Quod in hac difficultate non accipitur Genus, & differentia pro secũdis intentionibus Generis & differẽtiæ: sed tantũ pro materiali, *hoc est*, intelligendo nomine Generis *naturam illam communem, quæ* abstrahitur à multis Speciebus: verbi gratia. Animal est materialiter

liter Genus,quia abſtrahitur per intellectum ab homine,& equo &c.& ſimiliter nomine differentiæ intelligitur in præſenti,*natura illa communis quæ* facit differre vnum ab alio formaliter:ſicut rationale,& nō intelligitur ipſa intentio ſecunda .*Aduerte igitur:* quod Genus & differentia hoc modo ſumpta , nimirum pro materiali ,dupliciter conſiderari poſſunt. Primo modo *præciſiuè* , ſecundo modo *abſque præciſione*. Tunc conſideratur Genus & Differentia *præciſiuè*, quando conſiderantur ſecundum ſuas rationes formaliſſimas præſcindendo ab omni alio:verbi gratia, tunc ego conſidero animal conceptu præciſiuo , quando ipſum cognoſco per intellectum vt eſt ſubſtantia animata ſenſibilis tantum, & nihil amplius conſidero: & rationale ſimiliter tunc cōſidero *præciſiuè* , quādo cognoſco per intellectum ipſam rationalitatem , vt eſt quidam gradus in Genere entis , & eſt quædā Forma hominis.Et hoc modo ſumēdo Genus&differentiam,ſcilicet *præciſiuè*, oportet omninò dicere,quod Genus nullo modo prædicatur de differentia per ſe, & ratio eſt,quoniam falſum eſt, quod rationale tantum præciſiue ſit animal aut ſenſibile ; imò verò, quando ego intelligo rationale tantum , aut ſenſibile tantum , conſidero illa duo, ac ſi eſſent Formæ diſtinctæ. Et hoc modo explicandus eſt ſemper Ariſtoteles, & omnes antiqui Logici,qui dicunt, quod Genus eſt extra eſſentiam differentiæ

Duplex Generis & differentiæ conſideratio.

rentię, nam pręcisiuè sumēdo hęc duo, verum est. Conceptus enim animalis tantum, non includitur in conceptu rationalis.

Alio modo possunt considerari Genus & differentia, scilicet *absque præcisione*, hoc est, considerando hæc duo in confuso, secundum quod sunt idem realiter à parte rei, & non habent diuersas essentias, & ita Genus prædicatur per se de differentia, & similiter differentiæ prædicantur de Genere, non perseitate formali seu prædicatiuâ & Logicâ, secundum quam prædicatum est de ratione intrinseca Subiecti, sicut rationale est de natura hominis: sed perseitate identicâ seu entitatiuâ & metaphysicâ, secundum quam prædicatum & subiectum eandem rem omninò significant. Vide Magistrum Petronium in dubio præsenti.

Cōclu. *Genꝰ p̄dicatur per se de differētijs prædicatione idētica, & è cōuerso, nō aūt p̄dicatione formali.*

Probatur prima pars. Illę predicationes sunt idēticę, in quib. subiectum & prędicatum vnā & eādē rē significāt, sed Genꝰ & differētia absq; p̄cisione cōsiderata, vnā & eadē rē significāt: ergò posſūt de se inuicē prędicari idēticè. *Minor Prob.* Nā animal absq; p̄cisione cōsideratū etiā naturā rationalē in cōfuso importat, & rationale absq; p̄cisione similiter naturā animalis cōfūdit. *Secunda* verò *pars Conclusionis*, scil. quod loquēdo de *prædicatione formali* Genꝰ nō prædicatur per se de differentijs, Prob. Illud prędicatur per se formaliter de aliquo, quod dicitur, de illo siue in primo modo perseitatis, siue

in secundo. Sed Genus absq; præcisione cõsideratũ, nõ dicitur per se de Differẽtijs, in primo, aut secũdo modo perseitatis. Ergò nõ dicitur formaliter de differẽtijs. *Minor prob*. Nã Genus, v.g. animal, nõ est de essentia rationalis, aliâs. n. vt benè deducit M. Petronius, non cõtraheretur per rationale, neq; etiam est eius propria passio, cum non sit Accidens, vt patet.

Ad primũ igitur dicẽdũ. *Nego consequentiam*. Ad cuius probationẽ *nego consequentiam*. Nõ. n. est par ratio de Subiecto, & Propria Passione ex vna parte, & de genere cum differẽtia ex altera parte, nam Propria Passio per se prædicatur de Subiecto, quia in definitione ipsius Passionis cõtinetur subiectũ: cæterũ Genus præcisè cõsideratũ non includit in sua definitione differẽtiã, nec è cõuerso vt dictũ est in corpore. *Resp. ad I.*

Ad secundum. *Nego Maiorẽ*. Ad cuius probationẽ: *distinguo Antecedens*. Nõ est per accidens, ad eum modum quod Prædicatum sit essentialiter de prædicamento accidentis, *concedo Antecedens:* ad eum modum, quod conceptus Prædicati possit esse sine conceptu Subiecti, & è conuerso, *nego antecedens*. De hoc satis. *Resp. ad II.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum Species componatur ex Genere & differentia, tanquam ex duabus rebus?

VIdetur quod sic. *Primò*. Illud quod consideratur à metaphysico est aliquid reale. Sed compositio ex genere & differentia consideratur à metaphysico. Ergò ista compositio est verè realis. Ergò est ex partibus realibus. *Argum. I.*

Argu. II. *Secundò.* Genus, & differentia distinguuntur realiter. Ergò species componitur ex genere, & differentia, tanquam ex duabus rebus. *Antecedens prob.* Illa distinguũtur realiter, quãdo aliquid dicitur de vno, quod non dicitur de altero. Sed de Genere dicitur quod sit veluti quædam Materia, & differentia veluti Forma, ergò Genus & differentia distinguuntur realiter.

Argu. III. *Tertiò.* In Deo nulla est compositio realis, sed tantum secũdum nostrum modum intelligendi. Ergò compositio ex genere & differentia est realis. *Consequentia prob.* Nã si cõpositio ex Genere & differentia esset per intellectum, esset etiam in Deo, quod falsum est, vt omnes Theologi cum S. Thoma fatentur.

Resolutio. *Respondeo.* Quod, sicut iam supra dictum est, Genus & differentia, dupliciter considerari possunt, vel *cum præcisione*, vel *absque præcisione*. Tunc Genus & Differentia sumuntur *cum præcisione*, quando accipiuntur secundum se: verbi gratia, anima' *præcisè*, est substantia animata tantum: & rationale *præcisè* est differentia Speciei humanę tantum: & hoc modo sumendo Genus & differentiã, debemus concedere, quod distinguantur realiter, quoniam vnum non includitur in altero, sed sunt res diuersæ. Tunc autem consideratur Genus & differentia *absque præcisione*, quando considerat quis, hæc duo in confuso, secundum quod sunt quodammodò totum, & sic dicendum

est,

eſt, quod vnum eorum includitur in conceptu & definitione alterius, ſaltem in confuſo: verbi gratia, quando quis rationale conſiderat, non præſcindendo ab animali, ſed vt eſt quoddam totum, in quo continetur natura animalis: & hoc modo Genus & differentia componunt Speciem & diſtinguuntur per intellectum tantum.

Concluſio. Species non componitur ex Genere & Differentia tanquam ex duabus rebus.

Probatur. Illa quæ non diſtinguuntur realiter, non poſſunt realiter componi. Sed Genus & Differentia ſi ſumantur abſque præciſione, non diſtinguuntur realiter, ergò nec componunt Speciem realiter. *Minor prob.* Genus *abſq; præciſione,* includit in ſe totum illud, quod includit differentia: verbi gratia, corpus habet ea omnia in confuſo, quæ habet ſenſibile: & animal ſimiliter, habet confuſè omnia, quæ habet rationale, & è conuerſo. Ergò Genus & differentia ſi ſumantur abſque præciſione, non diſtinguuntur realiter.

Ad primum igitur dicendum. *Diſtinguo Maiorem.* Illud quod conſideratur à Metaphyſico, eſt aliquid reale, ſi conſideretur principaliter, *concedo Maiorem*: ſecundariò, *nego Maiorem.* Compoſitio autem ex Genere & differentia conſideratur à Metaphyſico tanquam conditio obiecti, quod eſt ens Metaphyſicum. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum: *diſtinguo Antecedens.* Genus & differentia diſtinguuntur realiter, ſi ſumũtur *Reſp. ad II.*

tur

tur cum præcisione & distinctè, *cõcedo Antecedens*; absque præcisione, & in confuso, *nego Antecedens*.

Resp. ad III.

Ad Tertium. *Nego consequentiam.* Ad cuius probationẽ *dico*: quod licet possimus formare de Deo aliquas compositiones: sicut quod Deus est ens, quod est bonus &c. tamen hæc compositio magis prouenit ex imperfectione nostri intellectus, qui non potest rem simplicissimam, secũdum quod in se est, cognoscere. Et quoniam nihil amplius superest disputandum circa hoc Caput, idcirco dicta sufficiant.

CAPVT QVARTVM DE PROPRIO.

SVMMA TEXTVS.

Quadruplex acceptio Proprij.

COnclusio. *Proprium sumitur quatuor modis*: *Primò* pro accidente aliquo, quod conuenit soli speciei, sed non omnibus indiuiduis ipsius: sicut esse medicum, vel philosophum, est accidẽs proprium soli homini: sed nõ omnis homo in particulari, habet istud accidẽs.

Secundò sumitur Proprium, pro accidente aliquo, quod conuenit quidem omni indiuiduo, sed non soli speciei illorum indiuiduorum: sicut esse bipedem omnibus singularibus hominibus accidit, sed non est Proprium solius speciei humanæ.

Tertiò sumitur Proprium pro aliquo accidẽte, quod cõuenit soli speciei, omnib. indiuiduis illius, sed nõ semper: sicut canities soli tan-

tantum speciei humanæ accidit, & omnibus eius indiuiduis, sed tantum in senectute, puero enim istud accidens non est proprium.

Quarto modo sumitur pro aliquo accidente, quod conuenit vni tantum & soli Speciei cõuertibiliter, omnib. indiuiduis ipsius, & semper: sicut esse risibilem, seu habere inclinationem ad ridendum, homini tantum conuenit, & ipsius indiuiduis & semper, licet homo nõ semper rideat. Et de hoc proprio consideramus in isto Prædicabili. Hæc de Textu.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitio Proprij quarto modo considerati sit conueniens?

VIdetur quod non. *Primò.* Illa definitio nõ est bona, quæ conuenit alteri præter definitum. Sed ista definitio est huiusmodi. Ergò non est bona. *Minor prob.* Hæc definitio cõuenit Differentiæ, quod est Prædicabile tertiũ. Nam rationale est illud, quod cõuenit soli homini, omni indiuiduo humano, & semper. *Argum. I.*

Secundò. Proprium quarto modo consideratum est Prædicabile verum, & constituit hoc quartum prædicabile: Ergò est ens rationis. Sed ista definitio non potest cõuenire Enti rationis. Ergò ista definitio non est bona. *Minor prob.* Ens rationis nõ cõuenit soli speciei, nec omni eius indiuiduo, imò nec semper. Ergò hæc definitio non est definitio Proprij vt est prædicabile quartum, & ens rationis. *Argum. II.*

Tertiò

Argu. III. *Tertiò.* Iſta definitio repugnat Proprio. Ergò non eſt bona. *Antecedens prob.* De ratione Proprij eſt, quod ſit vniuerſale, & vnum in multis. Ergò proprium eſt commune ad multa ſecundum ſuam naturam. Ergo repugnat Proprio, quod conueniat ſoli ſpeciei.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod ſicut docet S. Thomas in prima parte quęſt. 77. artic. 1. in reſponſione ad 5. Accidens dupliciter accipitur. *Primo modo* pro omni eo, quod non eſt ſubſtantia, & hoc pacto, non eſt aliquid medium inter ſubſtantiam & accidens. Et ſic proprium ſumendò non differt ab accidente: hoc tamen accidens vocatur à Logicis prædicamentale.

Duplex acceptio Accidentis.

Secundò poteſt conſiderari accidens vt eſt quintum Prædicabile, quod poteſt adeſſe & ſeparari à ſubiecto: Et ſic benè poteſt dari medium inter ſubſtantiam & accidens. Nam accidens inſeparabile eſt medium inter ſubſtantiam & Accidens ſeparabile: ſicut riſibile eſt medium, inter hominem, & albedinem. Inter hæc autem Accidentia, ſcilicet inter commune ſeu ſeparabile, & Proprium, tale eſt diſcrimen.

Diſcrimen inter Proprium & Accidens. *Primò*: quia Accidens proprium conuenit adæquatè vni ſubiecto, de quo conuertibiliter prædicatur, vt riſibile conuenit homini, & conuertitur cum homine: Omne enim riſibile eſt homo, & è contra. At verò accidens commune, non habet aliquod Subiectum, cui adæquatè conueniat, & cum quo conuertatur

vt al-

vt albedo, non habet pro Subiecto adæquato hominē, aut equum aut quamcunque speciem, nam alias si adæquaretur homini, omne album esset homo, & omnis homo esset albus, quod falsum est.

Secundò differunt: quia Accidens Proprium, primo conuenit alicui naturæ Vniuersali, vt puta speciei, & deinde quasi consecutiuè conuenit indiuiduis, verbi gratia, habere tres angulos, primò conuenit Triangulo in sua specie, & ex consequenti conuenit alijs particularibus figuris: sed accidens commune è contra se habet, primò enim conuenit Indiuiduis, & ex consequenti Vniuersalibus: vt disputare, dormire, orare, &c. primò conuenit Petro, aut Francisco, & propter hoc conuenit homini per accidens. Et idcirco benè docet Aristoteles in libro 1. Metaphysicæ, quod medicus non sanat hominem, *primò*, quia homo in sua Specie Vniuersali, non infirmatur: sed tantum sanat Petrum aut aliquod Indiuiduum hominis.

Tertiò tandem *differunt*. Quia accidens Proprium sequitur speciem propter genus & differentiam: verbi gratia, risibile consequitur hominem propterea quia est animal rationale. At vero accidens commune, sequitur speciem, propter materiam seu complexionem Indiuidualem, vnde complexio calida, qualis est cholerica, nigredinem inducit, phlegmatica autem, cum sit frigida, mater albedinis nuncu-

ad quartũ Prædicabile, scil. ad Propriũ, de quo itidem potest quæri: Vtrum propria passio, sit Vniuersale Prædicabile ex respectu ad Speciẽ, an vero ad Indiuidua? sed de hoc satis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Genus prædicetur per se de Differentijs?

Argum. I. Videtur quod sic. *Primò.* Propria passio per se prædicatur de subiecto, sicut risibile de homine. Ergò multo magis Genus prædicatur per se de differentia. *Consequentia probatur.* Maius est discrimen inter subiectum & Propriam Passionem, quam sit inter Genus & differentiam, quia Propria passio accidit Subiecto, differentia autem non accid t Generi: sed Propria passio prædicatur per se de suo subiecto. Ergò etiam genus prædicabitur per se de differentia.

Argum. II. *Secundò.* Hæc Propositio est per se: *rationale est animal.* Sed animal prædicatur vt genus, & rationale subijcitur vt differentia. Ergò Genus per se prædicatur per differentia. *Maior Prob.* Hæc proposito non est per accidens. Ergò est per se.

Resolutio. *Respondeo.* Quod in hac difficultate non accipitur Genus, & differentia pro secũdis intentionibus Generis & differẽtiæ: sed tantũ pro materiali, *hoc est*, intelligendo nomine Generis *naturam illam communem, quæ* abstrahitur à multis Speciebu : verbi gratia. Animal est materialiter

liter Genus, quia abſtrahitur per intellectum ab homine, & equo &c. & ſimiliter nomine differentiæ intelligitur in præſenti, *natura illa communis quæ* facit differre vnum ab alio formaliter: ſicut rationale, & nõ intelligitur ipſa intentio ſecunda. *Aduerte igitur:* quod Genus & differentia hoc modo ſumpta, nimirum pro materiali, dupliciter conſiderari poſſunt. Primo modo *præciſiuè*, ſecundo modo *abſque præciſione.* Tunc conſideratur Genus & Differentia *præciſiuè*, quando conſiderantur ſecundum ſuas rationes formaliſſimas præſcindendo ab omni alio: verbi gratia, tunc ego conſidero animal conceptu præciſiuo, quando ipſum cognoſco per intellectum vt eſt ſubſtantia animata ſenſibilis tantum, & nihil amplius conſidero: & rationale ſimiliter tunc cõſidero *præciſiuè*, quãdo cognoſco per intellectum ipſam rationalitatem, vt eſt quidam gradus in Genere entis, & eſt quædã Forma hominis. Et hoc modo ſumẽdo Genus & differentiam, ſcilicet *præciſiuè*, oportet omninò dicere, quod Genus nullo modo prædicatur de differentia per ſe, & ratio eſt, quoniam falſum eſt, quod rationale tantum præciſiue ſit animal aut ſenſibile; imò verò, quando ego intelligo rationale tantum, aut ſenſibile tantum, conſidero illa duo, ac ſi eſſent Formæ diſtinctæ. Et hoc modo explicandus eſt ſemper Ariſtoteles, & omnes antiqui Logici, qui dicunt, quod Genus eſt extra eſſentiam diffe-

Duplex Generis & differentiæ conſideratio.

rentię, nam pręcisiuè sumēdo hęc duo, verum est. Conceptus enim animalis tantum, non includitur in conceptu rationalis.

Alio modo possunt considerari Genus & differentia, scilicet *absque præcisione*, hoc est, considerando hæc duo in confuso, secundum quod sunt idem realiter à parte rei, & non habent diuersas essentias, & ita Genus prædicatur per se de differentia, & similiter differentiæ prædicantur de Genere, non perseitate formali seu prædicatiuâ & Logicâ, secundum quam prædicatum est de ratione intrinseca Subiecti, sicut rationale est de natura hominis: sed perseitate identicâ seu entitatiuâ & metaphysicâ, secundum quam prædicatum & subiectum eandem rem omninò significant. Vide Magistrum Petronium in dubio præsenti.

Cōclu. *Gen⁹ p̄dicatur per se de differētijs prædicatione idētica, & è cōuerso, nō aūt p̄dicatione formali.*

Probatur prima pars. Illę predicationes sunt idēticę, in quib. subiectum & prędicatum vnā & eādē rē significāt, sed Gen⁹ & differētia absq; p̄cisione cōsiderata, vnā & eadē rē significāt: ergò posśūt de se inuicē prędicari idēticè. *Minor Prob.* Nā animal absq; p̄cisione cōsideratū etiā naturā rationalē in cōfuso importat, & rationale absq; p̄cisione similiter naturā animalis cōfūdit. *Secunda* verò *pars Conclusionis*, scil. quod loquēdo de *prædicatione formali* Gen⁹ nō prædicatur per se de differentijs, Prob. Illud predicatur per se formaliter de aliquo, q̄ dicitur, de illo siue in primo modo perseitatis, siue

in secundo. Sed Genus absq; præcisione cõsideratũ, nõ dicitur per se de Differẽtijs, in primo, aut secũdo modo perseitatis. Ergò nõ dicitur formaliter de differẽtijs. *Minor prob*. Nã Genus, v.g. animal, nõ est de essentia rationalis, aliâs. n. vt benè deducit M. Petronius, non cõtraheretur per rationale, neq; etiam est eius propria passio, cum non sit Accidens, vt patet.

Ad primũ igitur dicẽdũ. *Nego consequentiam*. Ad cuius probationẽ *nego consequentiam*. Nõ. n. est par ratio de Subiecto, & Propria Passione ex vna parte, & de genere cum differẽtia ex altera parte, nam Propria Passio per se prædicatur de Subiecto, quia in definitione ipsius Passionis cõtinetur subiectũ: cæterũ Genus præcisè cõsideratũ non includit in sua definitione differẽtiã, nec è cõuerso vt dictũ est in corpore. *Resp. ad I.*

Ad secundum *Nego Maiorẽ*. Ad cuius probationẽ: *distinguo Antecedens*. Nõ est per accidens, ad eum modum quod Prædicatum sit essentialiter de prædicamento accidentis, *concedo Antecedens*: ad eum modum, quod conceptus Prædicati possit esse sine conceptu Subiecti, & è conuerso, *nego antecedens*. De hoc satis. *Resp. ad II.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum Species componatur ex Genere & differentia, tanquam ex duabus rebus?

VIdetur quod sic. *Primò*. Illud quod consideratur à metaphysico est aliquid reale. Sed compositio ex genere & differentia considueratur à metaphysico. Ergò ista compositio est verè realis. Ergò est ex partibus realibus. *Argum. I.*

Argu. II. *Secundò*. Genus, & differentia distinguuntur realiter. Ergò species componitur ex genere, & differentia, tanquam ex duabus rebus. *Antecedens prob.* Illa distinguũtur realiter, quãdo aliquid dicitur de vno, quod non dicitur de altero. Sed de Genere dicitur quod sit velluti quædam Materia, & differentia veluti Forma, ergò Genus & differentia distinguuntur realiter.

Argu. III. *Tertiò*. In Deo nulla est compositio realis, sed tantum secũdum nostrum modum intelligendi. Ergò compositio ex genere & differentia est realis. *Consequentia prob.* Nã si cõpositio ex Genere & differentia esset per intellectum, esset etiam in Deo, quod falsum est, vt omnes Theologi cum S. Thoma fatentur.

Resolutio. *Respondeo*. Quod, sicut iam supra dictum est, Genus & differentia, dupliciter considerari possunt, vel *cum præcisione*, vel *absque præcisione*. Tunc Genus & Differentia sumuntur *cum præcisione*, quando accipiuntur secundum se: verbi gratia, anima' *præcisè*, est substantia animata tantum: & rationale *præcisè* est differentia Speciei humanę tantum: & hoc modo sumendo Genus & differentiã, debemus concedere, quod distinguantur realiter, quoniam vnum non includitur in altero, sed sunt res diuersæ. Tunc autem consideratur Genus & differentia *absque præcisione*, quando considerat quis, hæc duo in confuso, secundum quod sunt quodammodò totum, & sic dicendum est,

eſt, quod vnum eorum includitur in conceptu & definitione alterius, ſaltem in confuſo: verbi gratia, quando quis rationale conſiderat, non præſcindendo ab animali, ſed vt eſt quoddam totum, in quo continetur natura animalis: & hoc modo Genus & differentia componunt Speciem & diſtinguuntur per intellectum tantum.

Concluſio. Species non componitur ex Genere & Differentia tanquam ex duabus rebus.

Probatur. Illa quæ non diſtinguuntur realiter, non poſſunt realiter componi. Sed Genus & Differentia ſi ſumantur abſque præciſione, non diſtinguuntur realiter, ergò nec componunt Speciem realiter. *Minor prob.* Genus *abſq; præciſione,* includit in ſe totum illud, quod includit differentia: verbi gratia, corpus habet ea omnia in confuſo, quæ habet ſenſibile: & animal ſimiliter, habet confuſè omnia, quæ habet rationale, & è conuerſo. Ergò Genus & differentia ſi ſumantur abſque præciſione, non diſtinguuntur realiter.

Ad primum igitur dicendum. *Diſtinguo Maiorem.* Illud quod conſideratur à Metaphyſico, eſt aliquid reale, ſi conſideretur principaliter, *concedo Maiorem*: ſecundariò, *nego Maiorem.* Compoſitio autem ex Genere & differentia conſideratur à Metaphyſico tanquam conditio obiecti, quod eſt ens Metaphyſicum. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum: *diſtinguo Antecedens.* Genus & differentia diſtinguuntur realiter, ſi ſumū- *Reſp. ad II.*

tur

tur cum præcisione & distinctè, *cõcedo Antecedens*; absque præcisione, & in confuso, *nego Antecedens*.

Resp. ad III. Ad Tertium. *Nego consequentiam.* Ad cuius probationẽ *dico*: quod licet possimus formare de Deo aliquas compositiones: sicut quod Deus est ens, quod est bonus &c. tamen hæc compositio magis prouenit ex imperfectione nostri intellectus, qui non potest rem simplicissimam, secũdum quod in se est, cognoscere. Et quoniam nihil amplius superest disputandum circa hoc Caput, idcirco dicta sufficiant.

CAPVT QVARTVM DE PROPRIO.

SVMMA TEXTVS.

Quadruplex acceptio Proprij. COnclusio. *Proprium sumitur quatuor modis*: *Primò* pro accidente aliquo, quod conuenit soli speciei, sed non omnibus indiuiduis ipsius: sicut esse medicum, vel philosophum, est accidẽs proprium soli homini: sed nõ omnis homo in particulari, habet istud accidẽs.

Secundò sumitur Proprium; pro accidente aliquo, quod conuenit quidem omni indiuiduo, sed non soli speciei illorum indiuiduorum: sicut esse bipedem omnibus singularibus hominibus accidit, sed non est Proprium solius speciei humanæ.

Tertiò sumitur Proprium pro aliquo accidẽte, quod cõuenit soli speciei, omnib. indiuiduis illius, sed nõ semper: sicut canities soli tan-

tantum speciei humanæ accidit, & omnibus eius indiuiduis, sed tantum in senectute, puero enim istud accidens non est proprium.

Quarto modo sumitur pro aliquo accidente, quod conuenit vni tantum & soli Speciei cõuertibiliter, omnib. indiuiduis ipsius, & semper: sicut esse risibilem, seu habere inclinationem ad ridendum, homini tantum conuenit, & ipsius indiuiduis & semper, licet homo nõ semper rideat. Et de hoc proprio consideramus in isto Prædicabili. Hæc de Textu.

ARTICVLVS I.

Vtrum definitio Proprij quarto modo considerati sit conueniens?

Videtur quod non. *Primò.* Illa definitio nõ est bona, quæ conuenit alteri præter definitum. Sed ista definitio est huiusmodi. Ergò non est bona. *Minor prob.* Hæc definitio cõuenit Differentiæ, quod est Prædicabile tertiũ. Nam rationale est illud, quod cõuenit soli homini, omni indiuiduo humano, & semper. *Argum. I.*

Secundò. Proprium quarto modo consideratum est Prædicabile verum, & constituit hoc quartum prædicabile: Ergò est ens rationis. Sed ista definitio non potest cõuenire Enti rationis. Ergò ista definitio non est bona. *Minor prob.* Ens rationis nõ cõuenit soli speciei, nec omni eius indiuiduo, imò nec semper. Ergò hæc definitio non est definitio Proprij vt est prædicabile quartum, & ens rationis. *Argum. II.*

Tertiò

vt albedo, non habet pro Subiecto adæquato hominẽ, aut equum aut quamcunque speciem, nam alias si adæquaretur homini, omne album esset homo, & omnis homo esset albus, quod falsum est.

Secundò differunt: quia Accidens Proprium, primò conuenit alicui naturæ Vniuersali, vt puta speciei; & deinde quasi consecutiuè conuenit indiuiduis, verbi gratia, habere tres angulos, primò conuenit Triangulo in sua specie, & ex consequenti conuenit alijs particularibus figuris: sed accidens commune è contra se habet, primò enim conuenit Indiuiduis, & ex consequenti Vniuersalibus: vt disputare, dormire, orare, &c. primò conuenit Petro, aut Francisco, & propter hoc conuenit homini per accidens. Et idcirco benè docet Aristoteles in libro 1. Metaphysicæ, quod medicus non sanat hominem, *primò*, quia homo in sua Specie Vniuersali, non infirmatur: sed tantum sanat Petrum aut aliquod Indiuiduum hominis.

Tertiò tandem differunt. Quia accidens Proprium sequitur speciem propter genus & differentiam: verbi gratia, risibile consequitur hominem propterea quia est animal rationale. At vero accidens commune, sequitur speciem, propter materiam seu complexionem Indiuidualem, vnde complexio calida, qualis est cholerica, nigredinem inducit, phlegmatica autem, cum sit frigida, mater albedinis nuncu-

patur, à Medicis. Sed de his postea in libris de Anima Deo iuuante aliquid dicemus. Hoc igitur accidens proprium, secundum quod illi conueniunt hæc Prædicata realia, quibus distinguitur ab accidente communi, vocatur Proprium primò intentionaliter sumptum, hoc est, pro natura reali, quæ denominatur ab ente rationis, quod est proprietas. Propriũ autem tunc secundò intentionaliter consideratur, quando quis considerat ipsam intentionem secundam, quæ est relatio rationis, à qua aliquid denominatur Proprium.

Conclusio. *Definitio Proprij quarto modo considerati est conueniens, scilicet, quod conuenit soli speciei, omni ipsius Indiuiduo, & semper, si tamen proprium primò intentionaliter consideretur.*

Probatur *prima pars.* Illa definitio est bona, quæ explicat naturã definiti, & distinguit ipsũ ab omni alio. Sed propriũ, si sumatur pro materiali, explicatur per hãc definitionẽ, & distinguitur ab omnibus prædicabilib' materialiter cõsideratis. Ergò est definitio bona. *Minor pro.* nã animal quod est substratum generis, nõ cõuenit soli speciei, & omni eius indiuiduo, sed omnibus suis specieb. & omnibus indiuiduis suarum specierum, nec cõuertitur animal cum specie vt patet. Et sic de alijs prædicabilibus. *Secunda* vero *pars conclusionis,* scilicet, quod hic non definiatur secunda intentio Proprij, *probatur:* Secunda intentio Proprij non conuenit speciei, & omnibus indiuiduis, imò nulli, nec sẽper, imò nunquã, cum hoc implicet contra-

dictionē, alias. n. ens rationis & secunda intentio esset in aliquo Subiecto reali. Ergo hęc definitio non illi conuenit. Optimè autem explicatur Proprium secundò intentionaliter, si definiretur hoc pacto: *Proprium est, quod prædicatur de plurib. in quale accidentale inseparabile.*

Ad primū igitur dicēdū: *nego Maiorē.* Ad cui⁹ probationē, *nego*, quod rationale cōueniat soli homini, h. e. accidat, cū sit de essentia hominis: si aūt hęc particula, *cōuenit*, idē significet, ꝙ insit, trāseat Argumētū, quia nō est ad propositū. *Resp. ad I.*

Ad secundū: *concedo totum*, quia benè probat secundā partē cōclusionis positæ vt dictū est. *Resp. ad II.*

Ad tertiū: *nego antecedēs.* Ad cuius probationē *distinguo cōsequētiā primam:* Ergò Proprium est cōmune ad multa, tanquā ad species multas, *nego:* tāquā ad indiuidua multa, *concedo*, vt alias de Differētia in art. 4. per totū locuti sum⁹. Vnde Propriū est vniuersale cōmune, ꝑ respectū ad indiuiduū: ex respectu verò ad Speciē vocatur proprium. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Propriū distinguatur realiter à suo subiecto?

VIdetur quod nō. *Primò.* Vnū, verū, bonū, & cętera Trāscēdētia sūt passiones Entis. Sed ista nō distinguūtur realiter ab Ente: ergò Passio nō distinguitur à suo subiecto. *Maior* est cōmunis apud Scholasticos, q̃ hucusq; nemo negauit. Minorē aūt expressè docet Aristo. 10. Metaph. tex. 5. & apud Thomi. nō habet dubiū. *Argum. I.*

Secūdò: si propriū distingueretur realiter à suo subiecto, ergo risibile distingueretur realiter ab *Argum. II*

homine. Sed hoc est inconueniens, ergò & primum. *Sequela Maioris* est euidens, cum etiam ipse Porphyrius apertè doceat in textu huius capitis, quod risibile est proprietas hominis. *Minor* verò *probatur*, quia eo ipso, quod homo habet animam & organa corporalia, efficitur aptus ad ridendum, Ergò aptitudo ista per se illi conuenit.

Argu. III. *Tertiò*. Si proprium distingueretur realiter à suo subiecto, & per consequens risibile ab homine, *interrogo* aut hoc accidens erit extensum, per totum subiectum. Et hoc non: quia contra sensum videtur dici, quod aptitudo ad ridendum sit in qualibet parte hominis: aut vero hoc accidens est extensum, & indiuisibile: quod si sic, non facilè apparet, vbinam sit tanquam in subiecto, ea enim quæ indiuisa sunt, non recipiuntur in subiecto diuisibili.

Argu. IV. *Quartò*. Si proprium distingueretur realiter à suo subiecto, sequeretur quod De⁹ posset separare proprietatem istam ab illo subiecto, & ponere illam in aliquo alio. Sed hoc est falsum, nam sic paries esset risibilis vel quodcunque inanimatum. Ergò & primum.

Resolutio. *Respondeo*. Quod apud sanctum Thomam, imò & apud omnes Philosophos ante Scotum dupliciter aliqua distinguuntur: Vel *secundum rem*, vel *secundum rationem*, Illa distinguuntur *secundum rem*, quæ absque omni opere intellectus sunt inter se distincta: sicut homo distinguitur ab equo, etiamsi non cognoscatur ab in-

Dupliciter aliqua distinguũtur.

ab intellectu, & Petrus similiter à Paulo &c. Illa vero distinguuntur *secundum rationem*, quæ per apprehensionem intellectus tantum distinguuntur: sicut quãdo quis dicit hanc Propositionẽ: Petrus est Petrus, tunc ibi est *prædicatum* & *subiectum*, sed non distinguuntur realiter, imò eadem omninò res est, quæ significatur per *subiectum*, & *prædicatum*, scilicet idem numero Petrus, sed tantum per intellectum distinguuntur: quia intellectus concipit Petrum per modum superioris & inferioris respectu sui ipsius, & dicit illum esse Subiectum aut Prædicatum: Hoc igitur supposito *aduertendum est*, quod difficultas hæc propriam sedem habet in Pysica, nec est præsentis negotij, tamen quia vix prædicabile istud potest intelligi absque hac difficultate, idcircò saltem superficietenus eam oportet perstringere, hoc solum *prænotando*, quod omnis causa distinguitur realiter à suo effectu siue sit materialis: sicut corpus, ex quo componitur homo, differt ab homine; siue efficiens: sicut artifex faciens domũ differt à domo &c. Duplex autem causa alicuius effectus potest assignari, nimirum *mediata* vel *immediata*. Mediata est illa quę cõcurrit ad effectum non virtute suâ, sed virtute alterius: vt securis diuidit ligna, virtute hominis. Causa immediata est, quę concurrit ad effectũ ex propria virtute: sicut plãta generat plantã, & homo hominẽ: Accidẽtia igitur siue sint propria, siue communia pro causa mediata habent illã

rem quæ producit Subiectum, pro immediata verò causa, habent ipsum subiectum: verbi gratia, risibile est accidens proprium Petro &c. & istud accidens habet esse tam ab homine generante Petrum, quam ab ipso Petro: sed à Petro *immediatè* (quia illi accidit inseparabiliter propter Formam rationalem) ab homine autem generante Petrum *mediatè*: vnde risibile distinguitur realiter à Petro.

Conclusio. *Quodlibet Proprium distinguitur realiter à suo subiecto*. Probatur. Illa distinguuntur realiter, quæ absque omni opere rationis sunt distincta. Sed proprium distinguitur à subiecto circumscripto omni opere intellectus. Ergò distinguitur realiter. *Minor probatur*. Proprium non est de essentia subiecti, nec subiectum est de essentia Proprij, saltem in recto, imò verò habēt se vt causa, & effect⁹. Ergò præter intellectū sunt abinuicē distincta.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Distinguo Maiorem*. Sunt Passiones entis, *id est*, attributa communissima Entis: *Concedo Maiorem*. Sunt Passiones entis, eo modo, quo potētia intellectiua, est passio animæ aut risibile est passio hominis, *nego Maiorem*.

Resp. ad II. Ad secundum. *Nego Minorē*. Ad cuius Probationem, *distinguo Consequentiam*. Ergò aptitudo ista, per se illi conuenit, si hęc dictio *per se* idem significet, quod causam immediatam, *concedo Cōsequētiam*: si verò idem significet *per se*, quod essentialiter, nego Cōsequentiā, vt dictum est.

Ad

Ad tertium. *Dico*, quod risibilitas non est dispersa per totum corpus, sicut tactus, constat enim quod non exercet hæc risibilitas suam operationem nisi in facie: vnde forsitan dixerim verius, quod est *subiectiuè* in corde, nã experientia constat, quod cum quis ex repentino gaudio miratur, tunc sanguis dilatatur, & ascendit à corde vsque ad faciem, & inde subsequitur illa dilatatio oris, quæ est risus. *Resp. ad III.* *Vnde proueniat risus.*

Ad quartum *Respondeo* quod petit specialem difficultatem: pro quã sit. *Resp.*

ARTICVLVS III.

Vtrum Proprium possit separari à suo Subiecto per absolutam Dei potentiam?

VIdetur quod sic. *Primo* Omne posterius absolutum, potest separari per Dei potentiam à suo priori, præsertim si distinguatur realiter ab ipso. Sed Subiectum, prius est naturaliter, quam propria passio, & vltra hoc distinguitur realiter à Propria passione, vt in Articulo præcedente dictum est. Ergò propria passio potest separari per Dei potentiam à suo Subiecto. *Maior prob.* Nam prius in quantum est prius, non dependet à posteriori. *Argum. I.*

Secundò. Propria passio acidentis communis, est inhærere subiecto. Sed hoc potest separari per Dei potentiã ab accidẽte. Ergò proprium potest separari à subiecto. *Minor* est manifesta, tum in sacramento altaris, vbi remanent omnia accidentia, quæ fuerunt in pane, & tamen sine subiecto: vtputa albedo, figura, rotunditas *Argum. II.*

tunditas, & tamen ſine pane: Tum etiam in illis pueris,de quibus apud Danielem fit mentio.

Argu. III. *Tertiò.*Proprium eſt cuilibet eſſentiæ ſeu naturæ,vt actu exiſtat,ſed inuenitur de facto aliqua natura,quæ non habet exiſtentiam,ergò ſubiectum poteſt eſſe ſine propria paſſione. *Minor Prob.*Nam in via S.Thomæ tertia parte quæſt.17.Arti.2.Chriſtus Dominus habuit duas naturas, humanam videlicet & diuinã, ex quibus humana natura,non exiſtebat per ſuam exiſtentiam,ſed per exiſtentiam Perſonę diuinæ.

Reſolutio. *Reſpondeo.*Quod quia in præcedente Articulo dictum eſt, quod cauſa immediata proprij accidentis eſt ipſum ſubiectum, idcirco dupliciter poteſt intelligi.

Dupliciter ſubiectum cauſat accidens. *Vno modo*,quod ſubiectum cauſet accidens proprium per actionem intermediam: ſicut ignis producit ignem in tabula,mediante calefactione ;& homo producit hominem, mediante generatione actiuâ & ſic de alijs: hoc modo dicendum eſt,quod propriæ paſſiones non producuntur à ſuis ſubiectis,& ratio eſt, quia,quando producitur in mundo aliquod ſubiectum,tunc eadem actione producuntur cõſecutiuè proprietates illius:ſicut in humanis Pater generãdo filium, producit riſibilitatem in filio,non enim filius iam productus, producit riſibilitatẽ in ſe.Similiter terra generando herbã, ſimul proprietates herbæ producit.

Vnde

Vnde benè in ſacra ſcriptura legitur. Producat terra omnem herbam virentem, & facientem fructum.

Alio modo poteſt intelligi, quod Subiectum eſt cauſa propriorum accidentium, non per aliquam mediam actionem, ſed per naturalem ſequelam ſeu reſultantiam: ſicut videmus multoties, quod ex vno naturaliter ſequitur aliud: verbi gratia, ex ſole lux, & ex igne calor &c. Et ſic oportet dicere, quod ſubiectum eſt cauſa ſuæ proprietatis, natura enim humana eſt cauſa riſibilitatis, ſeu aptitudinis ad ridendum, per naturalem emanationem, quia poſitâ naturâ hominis, ſtatim ſequitur immediatè ex illa hæc aptitudo ad ridendum, adeò vt nullo pacto Deus poſſit impedire ne fluat ex homine talis proprietas, quod *ſic deduco.*

Implicat enim contradictionem ita fieri tam ex parte Proprij, quam ex parte Subiecti: *Primò* eſt implicatio ex parte Proprij. Nam ponamus, quod eſſe riſibile eſt paſſio hominis, *tunc ſic argumentor*: Si Deus poteſt ſeparare ab homine aptitudinem ad ridendum, ergò poteſt facere quod accidens Proprium hominis conueniat alteri ſubiecto, ergò poteſt facere quod accidens proprium non ſit proprium, ſed commune, quod implicat, ſic quidem in definitione Proprij accidentis cadit ſubiectũ. Tum etiam eſt repugnantia ex parte Subiecti. Nam ſi Deus ſepararet riſibilitatem ab homine, & poneret illam in alio Subiecto. Ergò il-

lud subiectum erit causa illius sine aliqua media actione, sed per naturalem sequelam & cõcomitantiam, nam si hoc non habet, profectò risibile repugnabit suæ naturę, quia natura risibilitatis est, quod cõuenit vni speciei humanæ, & omnib. indiuiduis illius, & semper. Et miror cur hæc doctrina Domini Caietani, quã expressit multis in locis, maximè verò in prima parte quæst. 77. Artic. 6. circa tertiũ: Et præterea quæst. 54. Arti. 3. soluendo argumenta Scoti. Ad tertiam ratione, à recentioribus Scholasticis, vel contẽnitur, aut certè non penetratur, vt videre est in Dominico Bannes, qui docet oppositum prima parte quæst. 77. Art. 1. Et Ferrariensis libro 4. cõtra gentes ca. 65. Dominicus Soto in Logica cap. 4. qu. 2. in solutione ad quintum. Imò & Magister Petronius. lib. 5. suæ Logicę qu. 4. Art. 3. per totũ.

Conclusio. *Impossibile est per absolutam Dei potentiam, quod accidens proprium possit separari à suo Subiecto.*

Probatur. Tum authoritate S. Thomæ in quæstione vnica de spiritualib. creaturis. arti. vnico ad 7. tũ etiã ex his quę dicta sũt in Corpore.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. *Nego Maiorem.* Nã etiã partes essentiales physicæ, distinguuntur realiter à toto, & sunt ipso priores, & tamen nõ possunt esse sine toto. Ad cuius probationem. *Nego id quod assumitur,* scilicet, quod prius non dependeat à posteriori, sub diuersa ratione. Nam Materia prima secundum Physicos,

ficos, prior est naturaliter Formâ, & tamen dependet à Forma: similiter homo in ratione entis substãtialis prior est, quam risibile: tamẽ in ratione potẽtis ridere, est posterior, vt patet. *Præterea*, potest dici, quod, licet subiectum non depẽdeat à propria passione: tamẽ propria passio dependet à subiecto, & non potest definiri sine subiecto: verbi gratia, risibile est aptitudo hominis ad ridendum &c.

Ad secundum. *Nego Maiorem*, scilicet, quod actu inhærere Subiecto, sit Propria Passio cuiuslibet Accidẽtis, alias enim Accidens non inhærens actualiter, sed abstractum, amitteret suam Passionem, quod non est dicendum, quia Passio semper conuenit. De fornace vero Babylonica, asserendum est, quod ignis ille erat quidem secundum se calidus, & habuit potentiam calefactiuam, sed non erat calefaciens per Dei miraculum, sicut Accidens in Eucharistia, reale est accidens, sed nõ inhæret. *Resp. ad II*

Ad Tertium. *Nego Minorem*. Ad cuius probationem *dico*, quod non seruit ad propositũ. Si enim Argumentum probaret, quod datur, vel potest dari aliqua natura, sine existentia, benè curreret; tamen in Christo Domino natura illa humana tracta est ad existentiam increatam, per quam Christus est Deus. Vnde illa existentia Verbi potest dici propria naturę humanæ, nõ ad eũ sensũ, quod profluat ex tali natura, sed quia non repugnat, sed est cõformis naturę. Et hęc de Proprio sufficiat dixisse. *Resp. ad III.*

CAP.

CAPVT QVINTVM DE ACCIDENTE.

SVMMA TEXTVS.

Accidentis definitio. PRima conclusio. *Accidens est id, quod adest & abest præter subiecti corruptionem:* vt albedo, vocatur accidens alicuius rei, quia potest esse,& non esse in homine. *Accidens duplex.* Est autem accidens duplex, *Separabile:* vt scribere: & *Inseparabile:* vt nigredo in coruo,& Æthiope, quoniam coruus & Æthiops nunquam possunt esse sine nigredine, licet possint cognosci ab intellectu sine illa.

Secunda conclusio. *Solet etiam accidens ab alijs duobus modis definiri. Primò.* Accidens est, quod contingit eidem inesse,& non inesse. *Secundò.* Accidens est illud, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium: sed existit semper in aliquo subiecto. Hæc de Textu huius capitis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum prima definitio Accidentis sit conueniens?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Accidens, quod est Prędicabile quintum, est ens rationis. Sed ista definitio non conuenit enti rationis. Ergò non conuenit accidenti. *Minor prob.* Nam ab-

abesse & adesse in ordine ad subiectum, repugnat enti rationis, quod in nullo est tanquam in subiecto.

Secundò. Illa definitio non est bona, quæ conuenit alteri à definito. Sed hæc definitio prima conuenit alteri præter accidens. Ergo nõ est bona definitio accidentis. *Minor prob.* Nam quælibet Forma, verbi gratia, forma domus, vel anima bruti, siue etiam hominis, potest adesse & abesse respectu materiæ primæ, & tamen materia prima non corrumpetur, quia est ingenerabilis & incorruptibilis. *Argum. II.*

Tertiò. Nulla definitio debet dari per membra opposita. Sed adesse, & abesse opponuntur. Ergò non est bona definitio Accidentis. *Maior prob.* Nam propterea non dicimus in definitione hominis, quod homo est animal rationale, & irrationale, quia ista quodammodò opponuntur. *Argu. III.*

Respondeo. Quod accidens dupliciter considerari potest: *Primo modo* physicè, seu pro substrato materiali, & primò intẽtionaliter, quod idem est. *Secundo modo* Logicè siue pro formali, & secundò intentionaliter, quod etiam idem significat. Tunc consideratur accidens *primò intentionaliter* seu *physicè*, quando quis cõsiderat aliquam formam realem, cui conuenit esse in subiecto, vel etiam separari ab illo: sicut dum ego considero albedinem, vel aliquid simile. Nam albedo, quæ est in pariete, potest separari, & similiter potest accidere parieti: *Resolutio.*

Tunc

Tunc autem conſideratur accidens *ſecundò intentionaliter*, ſeu *Logicè*, quando quis conſiderat ipſam intentionem ſecundam, quam format intellectus de aliqua forma, ex eo, quia illam videt nunc ineſſe ſubiecto, & poſtea non ineſſe. Hoc igitur ſuppoſito.

Dico: quod probabiliter poteſt ſuſtineri, quod Porphyrius per hanc definitionẽ explicat naturam accidentis, vt ſumitur Logicè, & Phyſicè, dummodo hæc definitio diuerſimodè intelligatur: Nam ſi loquamur de accidente *primò intentionaliter*, tunc illę particulæ hoc modo ſunt explicandæ: Accidẽs eſt quædam natura realis, quæ poteſt adeſſe & abeſſe, hoc eſt, actualiter inhærere, vel nõ inhærere ſubiecto, quod componitur ex materia & forma. Si verò pro *intentione ſecunda* accipiatur, ſic explicanda eſt prædicta definitio. Accidẽs eſt quædam relatio rationis, in intellectu, quæ conſequitur & denominat naturam realem, quæ poteſt adeſſe & abeſſe, hoc eſt, affirmari vel negari de ſubiecto.

Concluſio. *Prædicta definitio Accidentis, ſcilicet, quod adeſt vel abeſt præter ſubiecti corruptionẽ, eſt conueniens*. Probatur. Illa definitio eſt legitima, quæ explicat naturam definiti, & diſtinguit ipſum ab omni alio, ſed adeſſe & abeſſe præter Subiecti corruptionem, explicat naturam accidentis, & diſtinguit ipſum ab alijs prædicabilibus. Ergò eſt conueniens definitio accidentis. *Minor patet facilè*, ſi reliqua prę-

dicabi-

dicabilia applicentur ad hanc definitionem.

Ad primum igitur dicendum. *Nego Minorem.* Ad cuius probationẽ, *distinguo id quod assumitur:* Adesse & abesse repugnat enti rationis, si sumatur pro eo quod est actualiter inhærere, vel non inhærere, *concedo*: si sumatur pro eo, quod est affirmari vel negari, de subiecto *nego*, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum. *Nego Minorẽ.* Ad cuius probationẽ respõdet S. Thom. in qu. vnica de spiritualib. creaturis Artic. vltimo, quod nomine Subiecti in definitione accidẽtis, nõ intelligitur substãtia vel accidẽs, neq; aliquid reale, aut rationis: sed omne illud, cui p̃dicatum accidit. *Resp. ad II*

Ad tertium: *distinguo Minorem:* sed adesse & abesse opponuntur, simul sumpta, *concedo Minorem:* successiuè, *nego Minorem.* *Resp. ad III.*

ARTICVLVS II.

Vtrum accidens pro materiali consideratum habeat aliqua inferiora de quibus per se prædicetur?

V*Idetur quod non. Primò.* Accipio hunc terminum, *Album*, quod est materiale accidentis. *Tunc sic argumẽtor:* si album haberet aliqua inferiora de quibus prædicatur, *interrogo*, aut illa inferiora sunt species, aut indiuidua: non potest dici, quod sint species, quia *album* non est genus, vt patet: neq; etiam potest dici, quod sint indiuidua, nam si *album* prædicaretur de hoc & illo albo, certè *album* non erit prædicabile distinctum à specie. Ergò materiale accidentis nullum habet inferius. *Argum. I.*

Secundò.

Argum. II. *Secundò.* Si accidens pro materiali haberet aliqua inferiora, sequeretur, quod accidens esset vniuersale prædicabile per respectum ad inferiora, & non per respectũ ad speciem. Sed hoc est falsum. Ergò & primum. *Minor prob.* Nam constat ex Porphyrio, quod accidens est vniuersale, propterea, quia respicit Speciem, sic enim docuit in Textu, Accidens est, quod adest vel abest præter subiecti corruptionem; vbi non dicit prȩter subiectorum indiuidualium, sed vsus est nomine Subiecti specifici.

Resolutio. *Respondeo.* Quod accidens istud, quod communiter appellatur quintum Prædicabile, cõuenit quidem quantum ad aliquid cum alijs prædicabilibus, & etiam in aliquo differt ab illis. *Conuenit* in hoc, quia sicut alia Prædicabilia sunt Species Vniuersalis vt sic, ita & Accidens est Vniuersale secundum nomen & secundum definitionem, ac proinde est verum Prædicabile.

In quo accidens conueniat cũ reliquis Prædicabilibus & differat.

Differunt autem in hoc, quia alia Prædicabilia dicuntur de suis inferioribus per se, siue in primo modo perseitatis, siue in secundo: sicut animal rationale, & homo, per se dicuntur de Petro, quia sunt de essentia Petri; & similiter risibile, quod est Prȩdicabile quartũ, in secũdo modo perseitatis dicitur, quia licet non sit de essentia Petri, fluit tamen ex illius essentia, vnde istæ Propositiones sunt veræ subiecto existente vel non existente: Petrus est animal, est homo, est rationalis, est risibilis, quia ista Prædica-

dicata materialia per se conueniunt Petro. Cæterum *album*, quod est materiale istius Prędicabilis, quamuis verè & propriè sit Prędicabile; non tamen prædicatur per se, sed tantum per accidens, & copula verbalis in huiusmodi prædicationibus non absoluitur à tempore, nam non existente Petro, falsa est hęc Propositio, *Petrus est albus* vel *Petrus est Logicus*. Inferiora autem accidentis non intelligo hoc vel illud accidens, sed indiuidua substantiæ tantum, vt dicunt plurimi ex recentioribus: verbi gratia *album* habet sua inferiora scilicet Petrum, Franciscum &c. & quamuis Petrus & Franciscus sint inferiora Speciei humanæ, non tamen repugnat, vt etiam sint inferiora ipsius accidentis, præsertim si secundum diuersas rationes considerentur: nam si consideras Petrum vel Franciscum, vt includunt in se hominem essentialiter, veluti quoddam totum, sunt inferiora Hominis, de quibus ille Homo vniuocè dicitur; at verò si consideretur eadem Indiuidua prout sunt quædam subiecta, quibus accidit ab extrinseco, vt coniungantur cum aliqua forma, & postea sint sine illa, tunc vocantur inferiora accidentis, nimirum *albi*.

Collige ergò exinde certam cautelam pro omnibus prædicabilibus, quæ est huiusmodi: quod eadem indiuidua, verbi gratia, Petrus & Franciscus sunt inferiora Speciei, vt distinguuntur numero: sunt inferiora Differentiæ

vt de illis aliquid prædicatur in quale essentiale, sicut rationale de Petro, Paulo &c. sunt inferiora Propij, vt de illis aliquid dicitur in quale accidentale, inseparabile: & accidentis sunt inferiora, vt dictum est.

Conclusio. *Accidens pro suo materiali consideratum habet aliqua inferiora, de quibus prædicatur per accidens.*

Probatur materiale accidentis, vt *Album* est verè & propriè vniuersale; ergo debet habere aliqua inferiora. *Consequentia prob:* vniuersale prædicabile illud est, quod est in multis, & habet relationem ad multa, ergo si accidens iuxta Porphyrium est vniuersale verũ, habet inferiora de quibus verè prædicatur.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum. Quod inferiora Accidentis sunt indiuidua substantiæ. Ad cuius improbationem *nego Consequentiam*, nimirum, quod exindè accidens non distinguatur à Specie, nam secundum diuersam rationẽ Indiuidua illa sunt inferiora Speciei, & Accidentis vt dictum est.

Resp. ad II. Ad secundum. *Nego minorem*. Ad cuius probationem *nego similiter*, quod Porphyrius in illa definitione intelligat de subiecto in specie considerato; indifferenter enim ibi accipit Subiectum, quodcunque illud sit, ex indiuiduis, & ita accidẽs est vniuersale propter respectũ ad indiuidua, quia cõuenit subiecto propter materiam, & conditiones indiuiduantes:

si enim

si enim Petrus aut Franciscus non esset albus, vtique homo non esset albus; vt in capite de Proprio dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum omne accidens habeat suum proprium subiectum?

Videtur quod non. *Primò*. Si omne accidens haberet suum proprium subiectũ, ergo omne accidens esset proprium & inseparabile, & ita nullum esset commune, quod est contra omnem experientiam. *Consequentia probatur*. Nam si habet suum proprium subiectũ, ergo inest soli proprio subiecto & semper. *Argum. I.*

Secundò. Si omne accidens haberet suum proprium subiectum, ergo quolibet accidente corrupto, corrumperetur natura subiecti: sicut corrupto risibili, corrumpitur homo. Sed hoc est falsum, ergo & primum. *Sequela probatur*. Nam proprium non potest per aliquam potentiam separari, ab eo, cuius est proprium, nisi corrumpatur & ipsius subiectum, vt iam dictum est. *Argum. II.*

Respondeo. Quod ad hoc, vt sciamus præsentem difficultatem resoluere *prænotanda nobis est* doctrina Caietani, ex commentarijs super caput 7. de ente & essentia non procul à fine, vbi docet satis ingeniosè, quod in omni accidẽte possum duo cõsiderare: *Primum est*, actualitas seu ipsa forma accidentalis. *Secundum est*, potẽtia quędã, & vt ipse ait, aptitudo radicans. *Resolutio.* *Duæ Accidentis considerationes Caietani.*

Quam distinctionem videtur sumpsisse, ex naturali rerum dispositione, certum enim est, quod omne accidens definitur per substantiam, propter dependentiam quam habet ad subiectum: & per consequens differētiæ accidentis sumūtur ex diuersitate principiorum, ex quibus causantur accidentia: imò verò dixerim cum Magistro Ferrariense, quod omne accidens ex principijs substantiæ causatur, licet illa principia sint nobis multoties incognita. Nomine vero *substantiæ* non intelligo naturam specificā tantū, sed Genus vel Speciem, aut Indiuidua: sunt enim quædam accidentia propria Generis, quædam Speciei, & quædam etiam Indiuidui, & sunt quædam accidentia quæ causantur ex Principijs subiecti, quantum ad actum completum: verbi gratia, calor in igne, ex principijs ipsius ignis causatur in actu completo. Et quædam causantur ex principijs subiecti quantum ad aptitudinem solam: verbi gratia. Diaphaneitas in aere causatur ex principijs ipsi⁹ aeris sed nō in actu perfecto & completo, quia ad hoc completur per aliquod extrinsecum illuminans, scilicet, per lucem, quæ lux non ab intrinseco aeri conuenit, vt patet ad sēsum. Sic igitur omne accidēs prouenit ex principijs Subiecti siue in actu cōpleto, siue etiā incompleto: in quo accidēte duo aduertit Caietanus, vt dixi, scili. *actū formalē*, & *aptitudinē*: verbi gratia, sedere est accidēs in quo accidēte possumus considerare ipsā

Lib. 3. Cōtra Gentes cap. 7.

Formam

Formā seu actū, qui act⁹ vocatur sessio, & hoc pacto considerando sessionem secundum suā essentiam & formam, non habet proprium subiectum, sed potius est separabile; alterum verò est, aptitudo seu potentia quędam. Ista autem aptitudo ad sedendum habet propriū subiectum, & causatur ex certis principijs alicuius entis determinati, nam arbor non potest sedere propter hanc causam, quia in arbore non inueniuntur huiusmodi principia, ex quibus efficitur sessio, nimirum manus, brachia, pedes, vel aliquid simile, quibus hoc vel illo modo dispositis, efficitur aliquis homo sedēs, & idcircò sedere, quod est accidens secundū essentiam & actum separabile, non est separabile secundum hanc aptitudinem, neque est commune: & consequenter habet determinatum Subiectum. Simile dat exemplū Caietanus ibidem de homine vidente. Nā *videre* si sumatur pro ipsa actione videndi & pro essētia, est accidens separabile, & non habet proprium subiectum: tamē si sumatur pro *aptitudine radicali*, nō potest separari à tali subiecto, verbi gratia, ab animali: & hoc benè nota, quia ista doctrina, quā sub paucis verbis Caietanus complectitur, plurium argumenta resoluit.

Conclusio. Omne accidens si sumatur pro aptitudine radicali habet suum proprium subiectum.

Probatur. Ideò risibile habet suū propriū subiectum, nimirum, hominē, quia est accidēs inseparabile, vt diximus in Articulo præ-

 cedenti.

cedēti. Sed omne accidēs si sumatur pro *aptitudine radicali*; nō pōt separari à suo subiecto. Ergò omne accidēs, si sumatur pro aptitudine radicali, habet suum proprium subiectum. *Minor patet in multis.* Accipias enim tabulam aut ferrum, cuius tabulæ potest esse accidens calor vel aliquid aliud. Tunc possum ego dicere, quod iste calor est accidens *separabile*, & quod est accidens *inseparabile*. Est *separabile*, si sumatur secundum actum & essentiam suam: quia alia est essentia caloris, & alia essentia tabulæ. Est autem *inseparabile*, si sumatur pro illa aptitudine, per quam tabula apta est recipere calorem. Nam illa aptitudo, quæ est in tabula ad recipiendum calorem, distinguitur ab altera aptitudine, per quam ferrum recipit calorem: neq; enim tabula tantum potest recipere calorem, quantum ferrum. Ergò &c.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *distinguo consequentiā.* Ergò omne accidēs esset proprium, & inseparabile, secundum aptitudinem radicalem, *concedo consequentiam*: secundum actum & naturā suam consideratum, *nego consequētiā.*

Resp. ad II. Ad secundum. *Distinguo consequentiam eadem distinctione.* Ergò quolibet accidente corrupto corrumpitur natura subiecti, si accidens corrumpatur secundum actum & existentiam, *nego consequentiam*: si corrumpatur secundum aptitudinem, *concedo consequentiam*: vnde corrupto accidente secundum aptitudinē, oportet etiam subiectum corrumpi. Et sic infinita argumenta resolues.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Vtrum inhærere ſubiecto ſit de eſſentia accidentis?

VIdetur quod non. *Primò* ex Scoto. Relatio non eſt de eſſentia rei abſolutæ. Sed inhærentia eſt relatio & accidens eſt quid abſolutum. Ergò inhærentia non eſt de eſſentia accidentis. *Maior probatur*, nam illud quod eſt eſſentialiter abſolutum & ad ſe, non poteſt in ſua natura includere reſpectum ad aliquid aliud. *Minor* verò quo ad ſecundam partem eſt certa: nam albedo & nigredo &c. ſunt accidentia, quæ non reſpiciunt aliquem terminum. *Argum. I.*

Secundò. Si de eſſentia accidentis eſſet inhęrere ſubiecto. Ergò omnia accidentia æqualiter inhærent, quia æqualiter habent eſſentiam accidentis. Sed hoc eſt falſum, ergò & primum. *Minor probatur*. Quantitas, quæ eſt in Euchariſtia, eſſentialiter eſt accidens. Sed repugnat illi quantitati inhęrere ſubiecto, quia ibi re vera eſt per ſe. Ergò non omnia accidentia æqualiter inhærent. *Argu. II.*

Tertiò. Si inhærentia eſſet de eſſentia accidentis, ergò omnia prædicamenta nouē præter ſubſtãtiam, non ſunt generaliſſima, quod abſurdum eſt. *Conſequentia probatur*. Nam ſic abſtrahetur per intellectum illa inhærentia, & prædicabitur de omnib. prædicamẽtis accidentiũ, tanquã Genus de ſuis ſpeciebus, & per cõſequẽs, illa prædicamẽta, non ſunt genera- *Argu. III.*

lissima: quia habent supra se aliud Genus.

Resolutio. *Respondeo.* Quod omnia Prædicamenta exceptâ Substantiâ, sunt entia relatiua seu respectiua. Sed quoniam *duplex est respectus seu relatio*, idcircò etiam prædicamenta dupliciter considerari possunt. Est enim quædam relatio ad alterum tanquam ad *terminum*: & quædam est relatio ad alterum tanquam ad *subiectum*. Illud ens habet relationem ad alterum *tanquam ad subiectum*, quod de essentia sua habet hoc, vt possit recipi in aliquo subiecto: verbi gratia, quantitas, qualitas, albedo, &c. referuntur ad suum subiectum: nunquam enim per se in mundo existunt: Illud autem habet relationem ad alterum tanquam ad *terminum*, quod de essentia sua habet hoc, vt referatur ad alterum, sed non est in illo: verbi gratia, pater refertur ad filium, tanquam ad *terminum*, non tamen velut ad *subiectum*, quia pater non est in filio: & similiter dominus refertur ad seruum, tanquam ad *terminum*: non verò tanquã ad *subiectum*, quia dominus non est in seruo.

Duplex prædicamentorũ, consideratio.

Inter has autem duas relationes est tale discrimen, quia illa relatio, quæ est ad *subiectum*, est communis omnibus accidentibus. Sed relatio ad *terminum* non est communis, sed ad vnum tantum prædicamentum pertinet, nimirum ad relationem & propter illam competit alijs, vt postea in sequentibus Deo fauente dicetur.

Secundum discrimen est, quia relatio ad alterum

rum tanquam ad *terminum*, est essentialis tunc, quando est actualiter: verbi gratia, tunc pater refertur ad filium tanquam ad *terminum*, quã-do & pater est actu, & filius similiter est actu: mortuo enim filio, non habet pater relationem realem ad filium: at verò ille respectus qui est ad alterum tanquam ad *subiectum*, non est necesse vt sit *actualis*, sed tantum *in potentia*. Volo dicere, quod *albedo* est accidens, & habet respectum ad parietem, vel ad hominem, tanquam ad *subiectum* in quo est albedo: respectus autem iste quem habet albedo ad parietem vel ad hominem est de essentia albedinis, in quantum est accidens formalissimè, non quidem *in actu*, quia non est de natura albedinis, in quantum est accidens, vt semper sit inhærens, sed *in potentia*, hoc est, quod de essentia albedinis est, vt semper quãdo cognoscitur, cognoscatur tanquam res, quæ potest alteri inhærere: vnde inhęrentia aptitudinalis seu potentialis est de essentia cuiuslibet accidentis.

Conclusio. *Inhærentia aptitudinalis, seu quod idem est, posse inhærere subiecto, est de essentia accidentis.*

Probatur. Si inhærentia aptitudinalis nõ esset de essentia accidentis, ergo posset aliquis intelligere & definire accidens sine ista inhærentia. Sed hoc est falsum. Ergò vera est conclusio. *Minor* patet in Textu, vbi dicit Porphyrius, quod accidens est id, quod adest & abest præter corruptionem subiecti, vbi in his verbis,

bis, *adest & abest*, idem vult significare Porphyrius, sicut dicendo, accidens potest esse, & nõ esse in suo subiecto, potest inhærere, & non inhærere, & consequenter potentialis inhærẽtia est de definitione & essentia accidẽtis. Vnde sæpè dicit Aristoteles, quod accidentis esse est inesse, vel inhærere, & septimo Metaphysicæ dicitur, quod accidentia magis sunt entis, quam entia.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *distinguo Minorem.* Omne accidens est quid absolutum, à subiecto, *nego Minorem*, à termino, *transeat*: vnde albedo vel frigiditas, potest dici accidens absolutum, & relatiuum. Est absolutum, quia non respicit aliud tanquam terminum, sicut pater & filius: est verò relatiuum, quia respicit corpus vel aliquid simile tanquã subiectũ.

Resp. ad II. Ad secundum: *nego sequelam Maioris.* Hoc est, quod inhærentia aptitudinalis æqualiter omnibus accidentibus conueniat, quia manifestum est, quod hæc inhærentia non est aliquid distinctum ab accidente: accidentia autem non æqualem habent perfectionem, ex proprijs naturis: & per consequens, ista inhærentia non conuenit vniuocè omni accidenti, sed secundum prius & posterius.

Resp. ad III. Ad tertium: *nego cõsequentiam.* Ad cuius probationem *dico*, quod inhærentia, quæ abstrahitur ab omnibus nouem prædicamentis, nihil aliud est nisi accidens, quod est analogum ad omnia illa prædicamenta, & non est Genus.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum esse mortuum sit accidens respectu hominis?

VIdetur quod sic. *Primò.* Hæc Propositio, *Homo est mortuus*, est in materia accidentali, & contingenti. Ergo esse mortuum est accidens hominis. Nam prædicta Propositio, non est in materia necessaria & naturali, quia esse mortuum non est de essentia hominis: neque etiam est in materia remota, quia mori non repugnat homini. Ergò est in materia contingenti seu accidentali. *Argum. I.*

Secundò. Accipio Petrum qui hodie viuit, & post annos 30. non viuet, *tunc sic argumentor*: Hæc Propositio est modò vera, Petrus non est mortuus, & post aliquot annos erit falsa. Ergò esse mortuum est accidens Petri, quia potest adesse & abesse, vt patet. *Argum. II.*

Respondeo. Quod Scotistæ cum suo Doctore facillimè sese expediunt ab hac difficultate, vt testatur Nicolaus Borbellius in cap. præsenti. Dicunt enim, quod mors, combustio, occisio, & alia huiusmodi, sunt verè accidentia, & pertinent ad quintum Prædicabile, quia illis conuenit definitio accidentis, sic enim definiebatur accidens: quod adest, & abest præter subiecti corruptionem: mors autem, & combustio, quando non sunt in subiecto, non corrumpitur sub- *Resolutio.*

ſubiectum, & ita cum hoc fundamento fugiunt Scotiſtæ. Attamen acutiſſimus Caietanus aliam adhibet doctrinam in dubio præſenti.

Triplex materia propoſitionum.

Prænotando inprimis: quod triplex eſt materia propoſitionum, nimirum *neceſſaria, contingens & remota.* Illa propoſitio eſt *neceſſaria,* in qua prædicatur Genus, Species, Differentia, Proprium, aut definitio de ſuis ſubiectis, vt Petrus eſt homo, homo eſt animal, homo eſt animal rationale, homo eſt riſibilis. Illa autem propoſitio eſt *in materia contingenti*, in qua prædicatur accidens de ſubiecto, & maximè, ſi tale accidens fuerit poſitiuum & reale: vt homo eſt albus, eſt iuſtus &c. Illa verò eſt propoſitio *in materia remota,* in qua ponuntur termini repugnãtes, vt homo eſt lapis &c. Hoc ſuppoſito,

Eſſe mortuũ dupliciter accipitur.

Aduerte vlterius, quod mortuum dupliciter accipitur: *Vno modo* participialiter, & *alio modo* nominaliter. Tunc eſſe mortuum accipitur vt participium preteriti temporis, quando idem valet, ſicut res quæ vixit, & poſtea nõ vixit, ſiue modò viuat ſiue non, & hoc pacto profitemur ex fide, quod Chriſtus eſt mortuus, qui tamen apud Patrem viuit. At verò, tunc accipitur eſſe mortuum nominaliter, quando ſignificat aliquam rem, quæ vixit, & modò non viuit, ſed nominatur mortua, & ita, Chriſtus non eſt mortuus ſecundum D. Paulum. Accipiendo igitur *mortuum* in hac vtraque

acce-

ceptione, certum eſt, quod *eſſe mortuum*, eſt accidens reſpectu corporis, quia poteſt prius abeſſe, & poſtea adeſſe reſpectu eiuſdem corporis: ſicut in exemplo, corpus meum modò viuit, & idem corpus, poſt annos triginta, erit mortuum, & per conſequens, modo abeſt *eſſe mortuum*, & poſtea aderit: attamen, ſi loquamur de homine, de quo tota hæc quæſtio mouetur, tunc *eſſe mortuum*, nullo modo eſt accidens reſpectu hominis, immò verò hæc Propoſitio, *homo eſt mortuus*, eſt in materia diſparata, quia repugnat hominem eſſe, & eſſe mortuum, nam ſi eſt homo eſt animal: ſi eſt animal eſt ſenſibile, viuens &c. & conſequenter non eſt quid mortuum.

Prima concluſio. *Si accipiatur eſſe mortuum cum ampliatione, hoc eſt, in quantum facit hunc ſenſum, quod eſt vel fuit olim homo, eſt mortuũ modò, tunc eſſe mortuum, eſt accidens hominis.*

Probatur. Propoſitiones iſtæ ſunt per accidens, ædificator ædificat, & animal rationale diſcurrit, quia effectus prædicantur de ſuis cauſis: diſcurrere enim eſt effectus rationalis, & ædificare eſt effectus ædificantis. Sed in hac etiam propoſitione, quod eſt vel fuit olim homo, eſt modo mortuum, prædicatur effectus de ſua cauſa. Ergo eſſe mortuũ cum ampliatione eſt accidens hominis. *Minor probatur.* Quod enim aliquid ſit modò mortuum, cauſa eſt, quia prius fuit, fuiſſe enim ſeu præteritum eſſe ipſius hominis, eſt ratio, vt homo

ſit

sit mortuus,& hoc modo esse mortuum ad quartum prædicabile reducitur à Thomistis.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: *nego antecedens.* Ad cuius probationem *dico*: quod hæc Propositio. Homo est mortuus, si sumatur sine ampliatione, est disparata, & idem valet, ac si dicerem, equus est lignum, vt dictum est.

Resp. ad II. Ad secundum: *nego consequentiam.* Ad cuius probationem *admitto verba Porphyrij*; sed in hoc sensu, quando enim dicit: accidens est, quod potest adesse & abesse, ita est intelligendum, quod accidens manente eodem subiecto propositionis, potest affirmari & negari de illo, quod in præsenti non videtur esse manifestum: nam *esse mortuum*, non potest affirmari & negari de eodem homine manente, sed potius quando non est homo, sed fuit, vt dictum est.

CAPVT SEXTVM DE CONVENIENTIA ET discrimine quinque Prædicabilium.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Conueniunt quidem omnia prædicabilia in hoc solo, quia quodlibet eorum prædicatur de pluribus.* Sed Genus de pluribus quam differentia: & Differentia, vt sic, de pluribus, quam species: species enim tantum de indiuiduis dicitur. Differētia verò præsertim Subalterna, etiam prædicatur de speciebus & indiuiduis.

Secunda:

Secunda Conclusio. *Est aliqua conuenientia & discrimen inter Genus & Differentiam.*

Probatur prima pars: nam conueniunt *primò* in hoc, quia tam Genus quam Differentia continet Species.

Secundò. Quia sicut ea omnia quæ predicātur de Genere vt genus est, prædicātur etiam de suis speciebus: similiter ea omnia, quæ prędicatur de Differētia vt differētia est: prædicātur etiā de Specie, quæ cōstat ex illa differētia.

Probatur secunda pars, scilicet, quod sit aliquod discrimen inter Genus & differentiam. Nam differunt *primò* in hoc, quia Genus continet in sua virtute Differentiam: sed Differentia non continet Genus.

Secundò. Quia Genus de pluribus speciebus dicitur, Differentia verò non omnis prædicatur de speciebus.

Tertiò. Genus prius est quam Differentia, & ita sublato Genere tollitur Differentia: nam si tollatur animal ab aliqua re, tollitur etiam rationale & irrationale. Differentia autem, non est prior Genere, vt patet.

Tertia conclusio. *Est aliqua conuenientia & discrimen, inter Genus & Speciem specialissimam.*

Prob. *prima pars.* Nā conueniunt in hoc, quia tam Genus quā Species prædicatur de plurib.

Secundò. Quia sicut Genus est prius secundum naturam, quam sua inferiora, ita Species prior est quam sua indiuidua.

Tertiò. Quia tā Genus quam Species prędi-

cantur

cantur in quid de inferioribus, *hoc est*, sunt de essentia suorum inferiorum.

Secunda verò *pars probatur*: Nam differunt *primò* in hoc, quia Genus cõtinet Species: Species autem non continent genera.

Secundò. Quia Genus est quid prius quàm suę Species, vnde sublato Genere tolluntur omnes Species: non tamen sublatâ vnâ Specie, aufertur Genus: sicut sublato animali, aufertur homo, equus, &c. attamen sublato homine tantum, vel equo tantum, non aufertur animal: potest enim saluari animal in vna Specie.

Tertiò. Quia Genus potest esse Subalternum & Generalissimum, & supremum, Species autem nunquam potest esse Suprema.

Quarta conclusio. *Est aliqua conuenientia, & discrimen, inter Genus & Proprium.*

Probatur *prima pars*. Nam genus & proprium in hoc conueniunt *Primò*, quia tam Genus quam Proprium sequuntur suas Species, nam *animal* quod est Genus, & *risibile* quod est Proprium, consequuntur hominem: atque adeò si homo est, animal est, & si homo est, risibile est. *Secundò*, quia tam Genus quam Proprium vniuocè de suis Speciebus prædicantur.

Secunda verò *pars probatur*. Nam in hoc differunt. *Primò*. Quia Genus est prius quam Proprium: prius enim est animal, quam risibile.

Secundò.

Secundò. Quia Genus de pluribus Speciebus dicitur. Proprium verò de vna tantum.

Tertiò. Quia proprium ineſt vni ſpeciei, omni indiuiduo illius & ſemper, & vltra hoc conuertitur cum ſpecie; Genus verò ineſt quidem omni Speciei, cuius eſt Genus, & ſemper, non tamen ineſt ſoli Speciei, ſicut ineſt Proprium.

Quinta Concluſio. *Eſt aliqua conuenientia & diſcrimen inter Genus & accidens.*

Probatur *prima pars*: nam Genus & accidens in hoc conueniunt, quia tam Genus quã accidens ſeparabile de pluribus prædicantur.

Secunda verò *pars probatur*: nam differunt *Primò* in hoc, quia Gen⁹ præcedit ſpecies: ſed accidens poſterius eſt ſuis ſpeciebus: ſicut animal prius eſt quam homo: albedo autem poſterior eſt homine.

Secundò. Quia Genus cum ſuis Speciebus prius eſt quam Indiuidua, accidens verò prius eſt Indiuiduis, deinde conuenit Speciei.

Tertiò. Quia Genus prædicatur in quid de Speciebus: ſed accidens prædicatur in quale accidentale, vt qualis eſt Æthiops ſecundum accidens? eſt niger. Multa alia dicit Porphyrius ſub finem huius capitis, circa conuenientiã & diſcrimen Prædicabilium. Sed quoniam hæc fortè inutiliter repetuntur, idcircò ex ipſis naturis & definitionibus ſingulorum Prædicabilium facillimè quilibet poteſt dare diſcrimen, aut conuenientiam inter vnum

Prædicabile, & aliud. Non est ergo sequendus vsque ad finem huius capitis, cui tamen gratiæ debentur, pro eo, quia tam iucundum libellum in viam Peripateticam introduxit, sine quo vix subsequentia possint intelligi.

BENEDICTVS DEVS.

IN LIBRVM ARISTOTELIS DE DECEM Prædicamentis.

CAPVT PRIMVM DE ÆQVIVOCIS, VNIVOCIS, & Denominatiuis.

SVMMA TEXTVS.

Quæ Æquiuoca. CONCLVSIO *Prima.* Æquiuoca illa dicuntur quorum nomen solum est cōmune, ratio verò substantiæ, secundum illud nomen est diuersa, verbi gratia, homo est aliquid æquiuocum, ad hominem viuum, & pictū, quia hæc duo, scil. homo pict9, & homo verus, in nomine solummodò cōueniunt. Sed non habent eandem definitionem, nam homo verus est animal rationale, homo pictus est quædam imago facta ad repræsentādum hominem verum.

Conclu-

Conclusio secunda. Vniuoca illa dicuntur, quorum nomen est commune, & ratio substantię secundum illud nomen, est eadem, verbi gratia: animal dicitur de homine, & equo vniuocè, quia tam equus, quam homo, conueniunt in eodem nomine animalis, & etiam habent eandem definitionem animalis, nam equus in quantum est animal, est Substantia animata, sensibilis, & homo similiter in quãtum est animal, eodem modo definitur. *Quæ Vniuoca.*

Conclusio tertia. Denominatiua illa dicuntur, quæcunque ab aliquo solo casu differentia secundum nomen habent appellationem, vt à Grammatica dicitur aliquis Grammaticus, & à fortitudine fortis, hæc enim solo casu differunt abinuicem, hoc est, sola terminatione. Hæc de primo capite. *Quæ denominatiua.*

ARTICVLVS I.

Vtrum Antepradicamentum sit aliquid?

VIdetur quod non. *Primò.* Antepraedicamẽtum nihil aliud sonat, nisi illud quod est prius quam Prędicamenta: Sed ante omnia Prędicamẽta nõ potest esse aliquid prius. Ergò Antepraedicamentum nihil est. Maior videtur esse manifesta. Minor verò prob. Nam Prædicamenta decem, sunt quædam Genera Generalissima, & veluti prima principia, ad quæ omnia entia reducuntur. *Argum. 1.*

Secundò. Si antepraedicamentũ esset aliquid, profectò nihil aliud erit, nisi quædam cogni-

tio, quæ nos ducit ad hoc vt sciamus Prædicamenta Aristotelis. Sed non potest dari aliquid, quo mediante possimus prædicamenta cognoscere, ergò Antepraedicamentum nihil est. *Minor probatur:* nam prima Principia per se cognoscuntur, quia alias, si per aliud cognoscerentur non essent prima, sed Prædicamenta sunt prima Principia. Ergò per se ipsa cognoscuntur.

Resolutio. *Respondeo.* Quod Liber iste quem vulgò vocant Prædicamenta Aristotelis, in tres duntaxat partes diuiditur, nimirum in Antepraedicamenta, Prædicamenta, & Postprędicamenta: quid sit Prædicamentum, & Postprædicamentum, suo loco dicemus. Sed Anteprędicamentum, vt ad præsens attinet, nihil aliud est, nisi quoddam pręambulum, quod requiritur ad habendam cognitionem omnium Prædicamentorum, non tamen omne illud quod requiritur ad cognitionem Prædicamẽtorum debet vocari Antepraedicamentum: Prędicabilia enim, vt dixit Porphyrius in procemio sui libri, sunt necessaria ad Prædicamenta, & tamen non possunt vocari Antepraedicamenta: cuius ratio est, quia illa tantũ fundamenta quæ ipsemet Aristoteles posuit à principio Prędicamentorum, appellantur hoc nomine. Sunt autem Anteprędicamenta tria, si sumantur in genere, scilicet, Definitio, Diuisio & Regula: in particulari autem considerata sunt septẽ, vt puta, tres Definitiones ante-

Quid sit Antepræ-dicamentum.

Antepræ-dicamenta tria.

præ-

prædicamentales,de quibus in hoc capite est sermo:duæ Diuisiones anteprædicamentales, de quibus currit sequens capitulum secundũ, & insuper duæ Regulę antepręedicamentales, de quibus in capite tertio. Quantum igitur ad istas tres definitiones,quæ in hoc capite referuntur, oportet aduertere: quòd ratio propter quam tres istæ definitiones, Æquiuocorum, Vniuocorum,& Denominatiuorũ, explicantur, est huiusmodi; quia in omnibus decem Prædicamentis tres respectus seu ordines possumus considerare.

Triplex respectus Prædicamentorũ.

Primus respectus est, quem habent omnia Prædicamenta ad ipsum Ens;quod est vnum ex transcendentibus,& respectu huius entis Prædicamenta habent se analogicè seu æquiuocè, nam licet omnia illa vocentur entia, tamen alia est natura vnius entis prædicamentalis,& alia alterius: verbi gratia, albedo quæ est in Prædicamento qualitatis est ens, & similiter homo in prædicamento Substantię,est etiã ens,tamen hæc entia duo, diuersas habent essentias,seu naturas,quia essentia hominis est,quod sit animal rationale,& essentia albedinis est,color disgregans visum. Ad intelligendum igitur hunc ordinem assignauit Aristoteles in hoc capite definitionem Æquiuocorum.

Alter verò respectus est,quem habent eadẽ Prędicamenta,nimirum ad sua inferiora,sunt enim Genera Generalissima, & sic prædicantur

tur de suis inferioribus vniuocè, hoc est, secundum idem nomen, & secundum eandem definitionem: verbi gratia: Substantia est Prædicamentum, & respicit sub se, corpus, animal, hominem, & Petrum, de quibus vniuocè prædicatur: nam sicut Petrus est substantia secundum nomen, ita similiter animal, vocatur substantia: & sicut Petrus habet definitionem substantiæ, quia per se existit, ita & animal habet eandem definitionem. Vt igitur cognoscamus quid sit respectus iste, seu Prædicatio vniuoca, assignauit Aristoteles in hoc capite definitionem Vniuocorum.

Tertius verò & vltimus respectus quem possumus considerare in Prædicamentis, est ille, iuxta quem quodlibet eorũ respicit aliud, & prædicatur de illo denominatiuè, verbi gratia, qualitas, albedo, color &c. sunt in aliquo Prædicamento speciali, & si comparentur per respectum ad substantiam, vt puta ad animal, ad hominem, ad Petrum &c. prædicantur de illis denominatiuè, dicendo, Petrus est albus, Petrus est coloratus &c. quia Substantia ipsa non est albedo, sed alba, similiter quantitas est nigra, superficies est calida, & propter hunc respectum, assignatur in præsenti definitio Denominatiuorum.

Conclusio. Antepredicamenta sunt aliquid, hoc est, quædam preambula, quæ ad notitiam omnium Prædicamentorum viam aperiunt.

Probatur. Illud est in rigore Antepredicamẽtum,

tum, sine quo essentialis cognitio Prædicamẽtorum non potest haberi. Sed sine Definitione, Diuisione, & Regula, non potest haberi cognitio essentialis omnium Prædicamentorum, Ergò Antepraedicamentum est aliquid, tanquam præambulum ad cognoscenda Prædicamenta. *Minor* est euidens vt in corpore de primo Antepraedicamento, nimirum de Definitione dictum est.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem. Sed ante omnia Prædicamenta non potest esse aliquid prius in essendo; hoc est, tanquam principium reale essendi, concedo Minorem: in cognoscendo, nego Minorem, cuiusmodi sunt Antepraedicamenta. *Resp. ad I.*

Ad secundũ, nego Minorem, scilicet quod non possit dari aliquid, quo mediante cognoscantur Prædicamenta. Ad cuius probationem, distinguo Maiorem. Prima Principia per se cognoscuntur, si sunt principia complexa & propositiones immediatæ, concedo Maiorem, vt in exemplo ibi adducto potest videri, si sunt Principia incomplexa, & simplicia quæ non per se cognoscuntur, nego Maiorem. Vt patet. *Resp. ad II.*

ARTICVLVS II.

Vtrum Definitio AEquiuocorum sit conueniens?

VIdetur quod non. *Primò* Æquiuoca secũdum quod definiũtur ab Aristo. pertinẽt *Argum. I.*

ad Logicam. Ergò sunt entia rationis, & intẽtiones secundæ, sed hæc definitio non potest conuenire enti rationis, aut secundæ intentioni: ergò non est bona. *Minor probatur*. Nam secunda intentio non est id quod habet nomẽ commune, & naturam diuersam, vt patet ad sensum.

Argum. II. *Secundò*. Si definitio Æquiuocorum esset conueniẽs, haberet aliquod definitum. Sed nõ habet. Ergò est mala. *Minor probatur*. Nam interrogo, aut hic definitur vox æquiuoca, vel res, aut vtrumque simul; non definitur vox, nã intentio Aristoteles, quam habet in istis Antepraedicamentis, eo tendit, vt nos doceat, quænam res constituantur in aliquo Prædicamento, & non curat aliquid tractare de vocibus, quia Prædicamenta sunt genera & principia omnium rerum. Neque etiam definitur res, quia in definitione expressè dicitur. Æquiuoca vocantur illa quorum nomen est solum cõmune; neque insuper definitur per hanc definitionem vtrumque simul, scilicet res cũ nomine æquiuoco: quia sic est ens per accidẽs: cuiusmodi ens non potest definiri.

rgu. III. *Tertiò*. Illa quæ definiuntur, conueniunt in eadem definitione. Sed Æquiuoca nõ conueniunt in eadem definitione, vt dicit textus, ergò nulla est Æquiuocorum definitio. *Maior probatur*: nam definitio explicat naturã rei & ita vbi sunt res diuersæ naturæ, diuersas habent definitiones, & è contra: vbi sunt res, quæ

habent

habent eandem definitionem, eandem etiam habent naturam, ſicut Petrus & Franciſcus.

Reſpondeo. Quod Æquiuoca, Vniuoca, & Denominatiua, dupliciter conſiderari poſſunt, vno modo logicè, & alio modo metaphyſicè: tunc Æquiuocum ſumitur logicè, quando ego conſidero ipſam intentionem ſecundam, ſeu quoddam ens rationis, quod formauit intellectus, ex eo, quia videt quod ſunt aliquæ res in mundo, quæ eodem nomine appellantur, & tamen non habent eandem definitionē ſub illo nomine, verbi gratia, quando intellectus meus cognouit ex ſenſibus, quod piſcis marinus vocatur canis, & animal domeſticū etiam hoc nomine canis, & ſydus cæleſte canis: tunc abſtraxit ille nomen commune ab iſtis tribus: & quia videt, quòd hæc omnia eodem appellantur nomine, ſcilicet canes, ſed non eandem habent definitionem, quia alia eſt definitio canis vt eſt animal domeſticum, & alia canis vt eſt ſydus cæleſte in quantum eſt canis, idcircò formauit quandam intentionē ſecundam, quæ vocatur, æquiuocatio, quæ intentio pro formali, eſt ipſa relatio rationis ad aliquod nomen, quod ſignificat plura, ſub diuerſis definitionibus: de materiali verò, ſeu pro ſubſtrato importat naturas quæ denominantur ab illa intentione.

Reſolutio. Duplex Antepræ-dicamētorum conſideratio.

Tunc autem ſumitur Æquiuocum metaphyſicè, quando ego conſidero aliquas res, quę

habent idem nomē, & diuersas definitiones, & præscindo ab illa relatione, seu intentione secunda, hoc est, non considero quod illa vocentur per intellectum, æquiuoca; sicut piscis marinus, & sydus cæleste, & animal domesticum, prout sunt quædam res quibus nomen tantum conuenit, vocantur æquiuoca metaphysica. Hoc supposito.

Aduerte: quod definitio ista Æquiuocorum quā attulit Aristoteles in cap. præsenti, principaliter cōuenit intentioni secundæ, seu illi relationi, quam format intellectus, res autem definiuntur etiam hic, quatenus sunt substratum illius intentionis, quæ vocatur æquiuocatio. Sicut de intentione generis, imò in toto processu Prædicabilium, de omnibus Prædicabilibus dictum est.

Conclusio. Definitio Æquiuocorum quam dedit Aristoteles, est cōueniens, scilicet, Æquiuoca illa dicuntur, quorum nomen solum est commune, ratio verò substantiæ, (hoc est, definitio naturæ) secundum illud nomen est diuersa.

Probatur. Illa definitio est bona quæ explicat naturam definiti, & distinguit illud ab omni alio: sed hæc definitio explicat naturā æquiuocorum, & distinguit æquiuoca ab omnib. Prædicamentis. Ergo conueniens est definitio ęquiuocorum. Minor probatur. Nam per definitionem istam distinguuntur ęquiuoca ab vniuocis, & denominatiuis, vt patebit applicando singula singulis.

Ad

Ad primum igitur dicendum: nego Minorem, ad cuius probationem, dico quod licet æquiuoca secundò intentionaliter considerata, nõ habeant idem nomen commune, & rationem diuersam: tamẽ sunt quędam relatio rationis, quæ consequitur ad ea quæ habent idem nomen & diuersam rationem. *Resp. ad* I.

Ad secundum, *nego Minorem*: ad cuius probationem dico, quod hic non definitur res tantùm, nec vox tantùm, nec insuper res cũ voce simul, sed solummodò intentio secũda formaliter, seu quod idem est, res subiecta intentioni. *Resp. ad* II

Ad tertium, *distinguo Minorem*, æquiuoca non conueniunt in eadem ratione, primò intentionali, concedo Minorem: nam canis domesticus, & canis vt est sydus cæleste, non habent eandem naturam realem: non conueniũt in eadem ratione, secundò intentionali, quæ vocatur æquiuocatio, nego Minorem, vt iam in corpore satis dictum est. *Resp. ad* III.

ARTICVLVS III.

Vtrum Analoga contineantur sub prædicta definitione AEquiuocorum?

V*Ideturquod non. Primò*. Analogia secundũ proprietatẽ vocabuli, nihil aliud sonat, nisi quãdam proportionem, & similitudinẽ aliquorum: Sed illa quæ sunt æquiuoca, non habent inter se similitudinem, aut proportionẽ: Ergò analoga nõ cõtinentur sub prædicta defi- *Argum.* I.

definitione Æquiuocorum. *Minor prob.* Nam accipio ſydus cæleſte, quod vocatur, canis, & ſimiliter accipio piſcem marinum, & animal domeſticum, tunc iſta tria ſunt æquiuocata in hoc nomine canis, & tamen quæ inter illa datur proportio & ſimilitudo?

Argum. II. *Secundò.* Si Analoga continerentur ſub prędicta definitione Æquiuocorum, ergò Ariſtoteles eſt diminutus in ſuis Antepręd icamentis, quandoquidem nec vllã mentionem fecit de iſta analogia, quod de tanto Philoſopho nefas eſt aſſerere.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod tota hæc difficultas, nihil aliud inquirit, niſi vt explicetur definitio ſupra dicta Æquiuocorũ, in qua dixerat Ariſtoteles, quod Æquiuoca illa dicuntur, quorum nomen ſolum eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen, eſt diuerſa.

Explicatio definitionis AEquiuocorum. *Aduerte igitur*, quod Ariſtoteles in hac definitione dicit, Æquiuoca, in plurali, & non Æquiuocum in ſingulari, ad ſignificandum, quod res vna & ſingularis, non poteſt dici ęquiuoca, ſed requiruntur res multæ ſub aliquo nomine: vnde ſi in mundo nullus alius canis eſſet, niſi animal domeſticum, & non eſſet piſcis marinus, aut etiam ſydus, tunc in hoc caſu, hoc nomen, canis, non eſſet æquiuocũ.

Deinde dicit Ariſtoteles, Æquiuoca dicuntur, & nõ dicit Æquiuoca sũt, propterea vt oſtendat, quòd nulla res in mundo eſt æquiuoca ſeu diuerſarum naturarum, niſi tantum res

vt

vt cõueniunt in aliqua dictione, & in aliquo nomine.

Præterea dum inquit, quorum nomen ſolum eſt commune, hic non ſumitur nomen, pro illa parte orationis, quæ diſtinguitur à verbo, ſed pro voce ſignificatiua, quæ dicitur nomẽ, id eſt, notamen, ſeu mentis nota.

Et inſuper additur, ratio ſubſtantiæ diuerſa: per rationem non intelligit Ariſtoteles definitionem tantum, vt quidam malè explicãt; nam alias ſequeretur quod omnia quæ ſunt ęquiuoca deberent definiri, quod apparet falſum in omnibus decem Prædicamentis, de quibus conſtat, quod ſunt æquiuoca ſeu analoga reſpectu entis, & tamen non definiuntur: vnde, ratio, in præſenti idem valet, quod natura, quę per nomen ęquiuocum ſignificatur.

Addit præterea Ariſtoteles, ratio ſubſtantiæ diuerſa, ſecundum illud nomen; vt ſignificet quod ad hoc vt aliqua dicantur æquiuoca, nõ ſufficit, vt habeant ſecundum ſe rationes, & naturas diuerſas: nam etiam equus & homo ſunt diuerſæ naturæ ſecundum ſe, & tamen in animali non ſunt æquiuoca: requiritur ergò vlterius vt illa vocentur ſolum æquiuoca, quæ non poſſunt definitionem vnicam habere ex illo nomine æquiuoco, verbi gratia. Si quis diceret, quid eſt canis, & quam habet definitionem vt dicitur de piſce & ſydere, & de animali domeſtico? profectò non poteris facilè reſpondere. Hoc ſuppoſito.

Sciendum

NOTA. *Sciendum est, quòd* æquiuoca multipliciter solent distingui: quædam enim sunt æquiuoca æquiuocata, hoc est, res quæ denominantur æquiuocæ; sicut animal domesticum, & piscis marinus, in hoc nomine, canis, & quædam sunt æquiuoca æquiuocantia; vt hoc nomen, canis, est æquiuocum æquiuocans, quia per istud nomen, aliquid denominatur æquiuocũ.

Præterea alio modo diuiduntur æquiuoca, quędam enim sunt æquiuoca in casu, hoc est, purè æquiuoca, & quædam sunt æquiuoca à consilio: Illa vocantur æquiuoca à casu, quãdo videlicet dantur aliqua plura, quorum vnũ nomen est commune, ita tamen quòd illud nomen, significat illa sine aliquo ordine, hoc est, non prius vnum, & posterius alterum, vt canis est æquiuocum à casu, quia significat plura, scilicet animal domesticum, piscem marinum, & sydus cæleste sine aliquo ordine. Illa verò dicuntur æquiuoca à consilio, siue analoga, quando videlicet dantur aliqua plura, quorum vnum nomen est commune, ita tamen quod illud nomen significat illa plura cũ quodam ordine, sicut homo, est nomen analogum, significans plura, nimirum hominem viuum, & pictum, cum ordine quodam, quia per prius dicitur homo, de homine viuo, & posterius de picto, nam homo viuus est animal rationale, homo autem pictus est imago animalis rationalis, similiter sanum est nomẽ analogum, respectu medicinę sanæ, & animalis sani, nam prius dicitur, de animali in quo

ſanitas ſubiectatur, & poſterius de medicina, quia effectiua eſt ſanitatis: vnde manifeſtũ eſt, quod analoga continentur ſub definitione æquiuocorum & ita definiuntur. Analoga dicuntur illa, quorũ nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eſt aliquo modo eadem & aliquo modo diuerſa. In quo aũt conſiſtat ratio Analogiæ, & quo pacto diuidatur, nõ eſt pręſentis negotij examinare. *Definitio Analogorum.*

Concluſio. Analoga continentur ſub definitione æquiuocorum, quam dedit Ariſtoteles.

Probatur ex Caietano ſuper hoc caput. Nam Ariſtoteles poſtquam attulit definitionem æquiuocorum, ſubiunxit in exemplo, hominẽ, qui dicitur de homine viuo, & de homine picto. Tũc ſubſumo, ſed homo pictus, & homo viuus, non ſunt purè æquiuoca, ſed potius analoga, ergò analoga continentur, ſub definitione æquiuocorum.

Præterea. Ideò Ariſtot. definit æquiuoca in Anteprędicamentis, vt nos doceat cognoſcere illum reſpectum, quem habent Prædicamenta ad ens tranſcẽdens vt diximus Artic. primo. Sed ens analogicè conuenit omnibus prædicamentis, vt ſtatim dicam: Ergo Analoga cõtinentur ſub definitione æquiuocorum.

Ad primum igitur dicendum, diſtinguo Minorem. Illa quę ſunt æquiuoca non habent inter ſe ſimilitudinem, aut proportiõnem: Si ſunt æquiuoca purè aut à caſu, concedo Minorem, ſi ſunt æquiuoca à conſilio ſeu analoga, nego Minorem. *Reſp. ad 1.*

Ad

Resp. ad II. *Ad secundum*, nego consequentiam. Ad cuius probationem dico, quod doctrina Aristotelis non est diminuta ex eo quia ipse dedit exemplum de homine viuo & picto, de quibus prædicatur homo cum quodam ordine, & non purè æquiuocè, vt patet.

ARTICVLVS IV.

Vtrum definitio Vniuocorum sit conueniens?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò.* Nam Aristoteles docet in Textu huius capitis quod illa dicuntur Vniuoca, quorum nomen est cōmune & ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem, sed homo & equus sunt Vniuoca in animali, & habent idem nomen commune animalis, rationem verò seu naturam non habent eandem: sed omninò diuersam: ergò definitio Vniuocorum nō est conueniēs. *Minor prob.* Nam alia est ratio Substantiæ siue naturę hominis, & alia substantiæ & naturæ equi, vt est manifestum ex eorum definitionibus.

Argum. II. *Secundò.* Albedo & nigredo sunt vniuoca in genere coloris: sed albedo & nigredo non habent eandē rationē substantię, quia ista duo sūt accidentia & non substantiæ. Ergò nulla est definitio. *Minor prob.* Nam ratio seu definitio substantię est, quod sit ens per se completum, & per se existens, albedo autem & quilibet color existit non per se, sed in alio.

Tertiò

Tertiò. Illa definitio est bona, quæ cõuenit omnibus contentis sub definito, sicut animal rationale, est definitio conueniens homini: quia dicitur de omnibus indiuiduis, quæ sunt sub homine. Sed est aliquod vniuocum cui non conuenit hæc definitio Vniuocorum. Ergò non est bona. Minor probatur. Omne genus est vniuocum respectu specierum. Sed genus non habet vnicam & eandem rationem, quia teste Aristotele in septimo Metaphysicæ, in genere latent multa: ergò est aliquod vniuocum cui non conuenit hæc definitio. *Argũ. III.*

Respondeò, quod tota ista definitio vniuocorum ita est explicanda sicut & præcedens, quã dederat Aristoteles de æquiuocis, vltimâ solummodò particulâ exceptâ, in qua dicitur, quod in vniuocis ratio substantiæ secundum illud nomen est eadem: verbi gratia. Homo, & equus, sunt vniuoca vniuocata, in hoc nomine animal, quod est vniuocum vniuocans, & ista duo, scilicet homo, & equus, habent nomen commune, nimirum animal, & ratio substantiæ animalis, hoc est natura & definitio animalis, tã in homine quàm in equo, est eadem. Eadem enim est definitio equi, in quantum est animal, quæ est definitio hominis, in quantum similiter est animal, hoc est, esse substantiam, animatam, sensibilem. *Resolutio.* *Definitionis Vniuocorũ explicatio.*

Aduerte igitur: quod hæc particula, *eadem*, dupliciter accipitur, vel pro identitate simpliciter, vel secundum quid. Illa sunt idem *NOTA.*

ſimpliciter, quæ habent eãdem definitionem ſimpliciter, ſicut Petrus & homo: illa verò ſunt idem ſecundum quid, quæ non habent eandem definitionem & naturam, tamen in aliquo extrinſeco conueniunt, ſicut Petrus albus eſt idem cum equo albo, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc eſt, ſecundum albedinem. In prædicta igitur definitione vniuocorum, accipitur hæc vox, eadem, pro identitate ſimpliciter: & in hoc differunt Vniuoca ab æquiuocis, quoniam ad hoc vt aliqua ſint æquiuoca, ſufficit aliqualis diuerſitas etiam rationis: cæterum ad vniuocationem requiritur vt ea quæ dicuntur vniuoca, conueniant totaliter in eadem ratione, & definitione ſui communioris, Optimã huius dicti rationem ſolebat adferre Dionyſius cum Ariſtotele, quia malum contingit omnifariam ex quolibet defectu particulari, bonum verò ex cauſa integra reſultat, ſicut ad pulchritudinem hominis requiritur quod omnia membra habeat optimè & decenter compoſita, ad turpitudinem verò & malitiã hominis ſufficit vnius membri tantum, vtputa, oculorum vel capitis deformitas. Cum igitur æquiuocatio ſit velut quoddã malum, quia in æquiuocis ratio ſubſtantiæ, ſecundum illud nomẽ eſt diuerſa, idcircò, ſiue aliqua ſint diuerſa ſimpliciter, ſiue etiam ſecundum quid, poſſunt dici verè æquiuoca, non autem vniuoca quæ ex quodam bono vnitatis conſurgunt, vt patet diſcurrenti.

Con-

Conclusio. *Definitio Vniuocorum, quam dedit Aristoteles, conueniens est, scilic. Vniuoca illa dicuntur, quorum nomen est commune & ratio substantiæ, secundum illud nomen, est eadem.*

Probatur. Illa est definitio bona, quæ explicat naturā definiti, & distinguit ipsum ab omni alio. Sed hæc definitio explicat naturam Vniuocorum, & distinguit ipsā ab alijs Antepræ-dicamentis, vt patet ad sensum, ergò est bona. Tamen hæc Conclusio intelligenda est, iuxta illam doctrinam quam expressi in Articulo secundo huius capitis, vbi æquiuocum & vniuocum diuiditur in primam & secundam intentionem.

Ad Primum igitur dicendum: distinguo Minorem, sed homo & equus non habent eandem rationem seu naturā, prout cōparantur inter se, cōcedo Minorem, prout comparantur in tertio scilicet in animali, nego Minorem: vnde licet equus nō habeat naturam hominis, nec è contra, tamen equus & homo eandem habent naturam animalis vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum distinguo Minorem, albedo & nigredo non habent eandem rationem substantiæ, si sumatur substantia propriè pro omni ente quod per se existit, concedo Minorem cū sua probatione: si verò sumatur substantia communiter, prout idem significat, quod definitio rei seu essentia, nego Minorem. *Resp. ad II.*

Ad Tertiū nego Minorem, ad cuius probationē, distinguo Minorem, Sed Genus nō habet *Resp. ad III.*

vnam & eandem rationem, si sumatur Genus physicè, concedo Minorem, & hoc conuincit authoritas adducta ex Aristotele. Si verò sumatur Genus logicè, nego Minorem. De hac distinctione poteris consulere ea, quæ diximus supra in Prædicabilibus capite primo De Genere, articulo primo in corpore.

ARTICVLVS V.

Vtrum definitio Denominatiuorum sit conueniens?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Frigidum & album sunt denominatiua, sed ista duo non differunt à se solo casu & terminatione. Ergò nulla est definitio Denominatiuorum. Minor prob. Nam frigidum & albũ, in principio dictionis sunt omninò diuersa, vt ex se patet.

Argum. II. *Secundò.* Si Denominatiua illa dicerentur quæ habent appellationem ex aliquo nomine, sequeretur quod Denominatiuum seu cõcretum appellaretur ex abstracto, vt de facto exemplificat Aristoteles in textu, dicendo, quòd à Grammatica dicitur aliquis Grammaticus & à fortitudine fortis. Sed hoc est falsum, ergò & prius: Minor prob. Nam Priscianus cũ pluribus Grammaticis docet, quòd abstractum habet denominationem & formationẽ à concreto, vt iustitia deriuatur à iustus, & sapientia ab hoc nomine sapiens.

Respon-

Respondeo. Quod definitio Denominatiuorum tradita ab Aristotele in textu erat huiusmodi: Denominatiua illa dicuntur, quæcunque ab aliquo solo casu differentia, secundum illud nomen, habent appellationem. Pro cuius definitionis intelligentia

Resolutio. Tria requisita ad Denominatiuum.

Aduerte: quòd in omni Denominatiuo tria possumus considerare: Primum est, Forma denominans: secundũ, subiectum denominatum: tertiũ, ipsum Denominatiuum. Si loquamur de Forma denominante, tunc non omnis Forma potest esse denominans, sed tantum illa quę est accidentalis & abstracta, vel saltem habet se ad modum accidentis, & idcircò vocatur denominans, quasi de se aliud nominãs, nam Philosophia, verbi gratia, de se alicui homini dat, vt ab ea nominetur philosophus, & sic de alijs.

Denominatiuum verò illud vocatur, quod est subiectum alicuius formæ, quæ in illo recipitur, verbi gratia, in hac Propositione. Petrus est musicus, Denominatum est Petrus, quia subijcitur musicæ.

Cæterùm denominatiuũ est aliquid tertiũ quod distinguitur à forma denominante, quæ vt dixi, est accidens in abstracto, non vt Forma ab alia forma, sed vt forma in concreto sumpta, à seipsa vt sumitur in abstracto: ideò enim vocatur Denominatiuum, vt benè aduertit Magister Versorius in hoc capite, quia est de alio nominatiuum: album enim est nomina-

minatiuum ab albedine, & vt verbis textus vtamur,secundum illud nomen albedinis, habet appellationem. *Hoc igitur supposito,* manifestè colligitur quod tres conditiones requiruntur ad hoc,vt aliquid dicatur denominatiuum: Prima conditio,vt forma denominãs distinguatur à suo subiecto quod denominatur,ita quod non sit de essentia subiecti: nam v.g. Homo nõ dicitur denominatiuè animal ab animalitate, sed essentialiter, quia esse animal,non habet naturam diuersam ab homine, imò verò si Grammatica non distingueretur ab aliquo homine, sed esset idem essentialiter cum homine, non posset denominari homo Grammaticus,& sic de alijs. Et propter hanc conditionẽ addidit Aristoteles in definitione Denominatiuorũ hęc verba: quęcunq; ab aliquo,h.e. à forma distincta,habẽt appellationẽ. *Secundò requiritur,* vt Forma illa vel sit inhærẽs,vel saltẽ significetur tanquã inhærens,vnde ista Propositio,annulus est aureus, domus est lignea,est denominatiua,quia quamuis aurum & lignum non sint re vera aliquid inhærens,tanquam accidens, accipiuntur tamen in hoc casu,per modum inhærentis, & propter hanc rationem dixit Aristot. in definitione secundum illud nomen habent appellationem. *Tertia verò & postrema* cõditio est,ꝙ Denominatiuum seu cõcretum, & forma denominãs seu abstractum,cõueniunt in principio dictionis,& differũt in fine, vt albũ denominatur ab albedine,& vtriusq; dictionis idẽ est principiũ;

terminatio aũt diuersa, & ita Aristoteles, dixit solo casu differentia, hoc est, solâ terminatione. Applicando igitur prædictas particulas ad definitionem Aristotelis, & recolendo quod hic definitur intentio secunda formaliter, quæ est relatio denominatiui, secundario verò, illa forma in concreto, facillimè tota hæc definitio comprehendi potest.

Conclusio. *Definitio Denominatiuorum quam dedit Aristoteles est conueniens. Scilicet, Denominatiua illa dicuntur, quæcunque ab aliquo solo casu differentia secundum illud nomen habent appellationẽ.* Probatur *ad eum* modum, quo præcedẽs conclusio manet probata.

Ad primum igitur dicendum, nego consequentia, nã frigidum & album non sunt denominatiua ab vno, sed à diuersis: frigidum à frigiditate, & ab albedine album, vnde licet non conueniant frigidum & album in principio dictionis, conuenit tamen frigidum & frigiditas, sicut albedo & album. *Resp. ad I.*

Ad secundum, nego Minorem, ad cuius probationem dico, quòd denominatiuum aliter consideratur à Grammatico & aliter à Logico: nam quia Grammaticus est artifex sensualis, qui principaliter voces considerat, idcircò apud ipsum, abstractum denominatur à concreto, vt iustitia à iustus, Logicus autẽ quia est artifex intellectualis à forma abstracta per intellectum denominat aliquid, vnde Priscianus loquitur in hac parte tanquam Grammaticus, vt patet. *Resp. ad II.*

CAPVT SECVNDVM DE COMPLEXIS ET IN- complexis.

SVMMA TEXTVS.

PRIMA *Conclusio.* Eorum quæ dicuntur quædam sunt complexa, vt homo currit, paries est albus: quædam verò sunt incomplexa, vt currit, audit, bos &c.

Secunda Conclusio. Eorum quæ sunt, quatuor gradus inueniuntur: *quædam enim* sunt quæ dicuntur de aliquo subiecto, sed in nullo sunt subiecto, vt homo, dicitur de hoc & illo homine, sed non est in aliquo subiecto tanquam accidens, similiter bos, equus, & vniuersaliter, omnia genera, & species substantiarum.

Alia verò sunt quæ è conuerso se habent, nimirum sunt quidem in subiecto, sed de nullo subiecto prædicantur, vt hoc album, in subiecto quidem est, nimirum in corpore, vel tabula, sed de nullo subiecto dicitur, quia est indiuiduum.

Tertiò. Quædam sunt quæ dicuntur de aliquo subiecto, & in subiecto sunt, quemadmodum sciētia, pietas, & vniuersaliter, omnes Species & Genera accidentiū, nā scientia est in anima tanquam in subiecto, & prædicatur de Logica, Physica &c. tanquā de subiecto inferiori: *Alia insuper* sunt, quæ nec sunt in subiecto aliquo, neq; dicūtur de subiecto, vt Plato, Pe-

to, Petrus, & vniuersaliter omnia indiuidua substantiæ, non dicuntur de subiecto inferiori, nec etiam sunt in subiecto tanquam accidens. Hæc de Textu huius capitis.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum Diuisiones prædictæ sint conuenienter assignatæ ab Aristotele?

VIdetur quod non. *Primò* contra primam Diuisionem. Illa quæ dicuntur de aliquo sunt Prædicabilia. Sed prædicabile est quid incomplexum; ergò illa quæ prædicantur debent esse tantum incomplexa & per consequẽs mala erit Diuisio. *Argum. I.*

Secundò Nullus est conceptus cõplexus. Ergò etiam nulla vox seu dictio complexa. Consequentia probatur. Quia voces significant conceptus. Antecedens probatur. Nam alias sequeretur quod intellectus posset simul plura intelligere, & sic esset æquiuocatio in mente, cuius oppositum dicemus inferius. *Argum. II.*

Tertiò, contra secundam Diuisionem. Dici de, præsupponit esse in. Ergò omne quod dicitur de subiecto, est in subiecto. Ergò frustra multiplicat Aristoteles membra illius diuisionis secundæ. *Argu. III.*

Quartò. Omne subiectum prius est eo cuius est subiectum: sed nullum inferius est prius suo superiori. Ergò inferius non potest dici subiectum superioris, cuius tamen oppositum videtur Aristoteles docere in Textu. *Argu. IV.*

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam Aristoteles in capite pręcedente exposuit primum Anteprędicamentũ, scilicet, tres Definitiones, hic consequenter aggreditur secundum Antepraedicamentum, hoc est, duas Diuisiones. Quarum prima datur de his quæ dicuntur, & altera de his quæ sunt, vt patet manifestè in textu.

NOTA. Dici dupliciter accipitur. *Aduerte igitur* pro intelligentia Diuisionis primæ, quod hæc vox, dici, dupliciter considerari potest: *primò* quatenus idẽ valet quod referri ad suum inferius, & prædicari de illo, iuxta quam acceptionem determinauimus in procemio Prædicabilium, quod prædicabile & vniuersale in hoc differunt, quia vniuersale est in multis, & prædicabile dicitur de multis, & hoc modo dici non accipitur in hoc loco ab Aristotele, & ratio est, quia Aristoteles non benè doceret si vellet affirmare in hac Diuisione, quod datur aliquod prædicabile complexum ex diuersis naturis.

Alio modo, dici accipitur, quatenus idem valet sicut exprimi, vel per vocem significari, & hoc modo vtitur Aristoteles in præsenti, dum inquit: Eorum quę dicuntur &c. ac si esset sensus, eorum quæ per vocem significantur & exprimuntur, quædam sunt complexa, quæ significantur conceptibus complexis, & quædam incomplexa, quę simplicẽ cõceptũ significant v. g. hæc Propositio, Homo est animal, est dicibile complexum, id est, exprimitur per voces quæ significant complexionem inter conceptus, nam antequam expressero hãc pro-

positionem, prius habet conceptum hominis, deinde conceptum animalis, & tandem ex istis simplicibus, formo complexionē seu Propositionē, dicēdo, Homo est animal, & hæc est intelligentia vera huius Diuisionis primæ. Valet autem ista diuisio anteprædicamētalis ad cognitionem plurium, imò omnium Prædicamentorum, docemur enim exinde, quod ad hoc vt aliquid reponatur in Prædicamentis, debet esse incomplexum, hoc est, simplicis naturæ: vnde hæc Propositio, Homo currit, in nullo est Prædicamento, quia alia est natura Subiecti, & alia Prædicati. Quodlibet autem prædicamētum vnicam habet essentiam. Pro intelligentia autem Diuisionis secundæ *Vtilitas Antepræ-dicamentorum.*

Aduerte: quod subiectum dupliciter considerari potest, vno modo pro subiecto Prædicationis, & alio modo pro subiecto Inhæsionis. Illud est subiectum Prædicationis, de quo aliquid prædicatur tanquā superius. v. g. homo est subiectum respectu animalis, & animal respectu corporis, quia de animali prædicatur corpus, & de homine animal. Illud autē vocatur subiectum Inhæsionis, cui aliquid inhæret & in quo sustentatur, iuxta quē modū dicitur à Logicis, ꝙ subiectum accidentium est substantia, quia nimirum accidētia inhærēt substantiæ. Aristot. igitur in hac diuisione secunda ęquiuocè vtitur nomine subiecti, interdū accipiēdo ipsū subiectū pro subiecto inferioritatis, & interdū pro subiecto inhęsionis. *Quod subiectum prædicationis & inhæsionis.*

Conclusio. Vtraq; *Diuisio rectè assignata est ab*

Aristotele in hoc capite. Probatur assignando sufficientiam vtriusque Diuisionis: Nam quod prima Diuisio sit sufficiens sic ostendo: quia omne quod exprimitur per vocē, debet significare, & repręsentare cōceptum entis: sed quilibet conceptus aut est simplex & sine complexione, aut etiam complexus. Ergò ea quæ dicuntur quædam sunt complexa & quædā sine complexione. Quod autem Diuisio secunda sit etiam sufficiens.

Probatur. Quia omne ens dicibile incomplexum, aut est substantia, aut accidens: si est substantia, hoc dupliciter, vel enim est Vniuersalis, quæ nimirum dicitur de aliquo subiecto inferiori, & non est in subiecto inhærens, tanquam accidens, verbi gratia, homo, equus &c. & propter hanc acceptionē statuitur primum membrum Diuisionis. Si autem est particularis substātia, quæ videlicet non est in subiecto inhæsionis nec dicitur de subiecto inferiori, vt Petrus, tunc constituit quartum modum assignatū in Textu. Si verò illud dicibile incomplexum fuerit accidens, hoc etiam erit dupliciter: aut enim est accidēs Vniuersale, quod nimirū dicitur de subiecto inferiori, & est in aliquo subiecto existens, vt albedo, nigredo, &c. quæ omnia sunt in aliquo corpore, tunc hoc modo pertinet ad tertium modū, si verò fuerit accidēs Particulare, quod nimirum est in subiecto, sed de nullo inferiori prędicatur, vt hęc albedo, hęc nigredo &c. tūc spe-

ſpectat ad ſecundum modum poſitum ab Ariſtotele. Ergò vtraq; Diuiſio eſt conueniẽter aſſignata ab Ariſtotele in textu, vt patet.

Ad primum igitur dicendum. Diſtinguo Maiorem. Illa quæ dicuntur de aliquo, hoc eſt referũtur, ſunt Prædicabilia, concedo Maiorem. Dicuntur, hoc eſt proferuntur voce & exprimuntur, nego Maiorem, ſicut in hoc paſſu, dici, accipitur, vt dictum eſt. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum, nego antecedens, ad cuius probationem libenter concedo, quod intellectus poteſt ſimul plura intelligere per modum tamen vnius, & non vt plura ſunt, quia ſic eſſet æquiuocatio in mente vltimata. *Reſp. ad II*

Ad tertium iam patet. Nam dici accipitur hic pro eo quod ex voce exprimi ſeu proferri, & non quatenus idem eſt, quod prædicari, vt Antecedens aſſumit. *Reſp. ad III.*

Ad quartum, Diſtinguo Maiorem. Omne ſubiectum eſt prius illo cuius eſt ſubiectum, ſi eſt ſubiectum inhæſionis, ſicut paries reſpectu coloris, & manus reſpectu frigiditatis, concedo Maiorem: ſi eſt ſubiectum inferioritatis, nego Maiorem, imò potiùs ſuperius & inferius eadem generatione naſcuntur, ſicut Petrus & homo ſimul producuntur, & non prius vnum quam alterum, licet Petrus ſit ſubiectum hominis, *Reſp. ad IV.*

CAPVT

CAPVT TERTIVM

DE REGVLIS.

SVMMA TEXTVS.

Duæ Regulæ Antepradicamentales.

Conclusio. Restant adhuc duæ Regulæ Antepredicamentales, quæ tertium Antepredicamentum constituunt. Quarum prima est: *Quando alterum de altero tanquam superius de suo subiecto prædicatur, tunc omne illud quod dicitur de illo superiori, dicitur etiam de ipsius subiecto,* verbi gratia. Plato est subiectum hominis, de quo Platone prædicatur homo, & quoniam de homine prædicatur animal directè, & etiam corpus, substantia &c. idcircò hæc eadē predicabuntur de Platone: nam ipse Plato est animal, est corpus, & insuper substantia.

Secunda Regula. Diuersorum Generum quorum vnum non ponitur sub altero, diuersæ sunt species, & differentiæ: at vero subalternorum Generum, possunt esse eædem differentiæ, verbi gratia, Animal: & scientia, pertinent ad diuersa Prædicamenta, quoniam animal est in genere Substantiæ, & sciētia in genere Qualitatis. Vnde alias species & differentias habet animal & alias scientia: nam species animalis sunt homo, equus, &c. species autem scientiæ sunt, Logica Physica, Metaphysica, &c.

ARTI-

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum Regulæ prædictæ sint conuenienter aßignatæ ab Aristotele?

VIdetur quod non. *Primò* contra primã Regulam. Superius non est alterum à suo inferiori. Ergò Aristoteles in prima Regula supponit falsum. Antecedẽs manifestè deducitur ex his quæ dicta sunt in Artic. præcedente ad quartum argumentum: nimirum quod superius & inferius eadem generatione nascuntur. Tunc sic argumentor: Illa quæ generantur eadem generatione & corrumpuntur eadem corruptione, sunt idem realiter. Sed superius & inferius eadem generatione generantur, & eadẽ corruptione corrumpuntur, vt patet in homine: nam quando generatur homo, generatur etiam animal, & quando corrumpitur homo, corrumpitur etiã animal. Ergò superius non est alterum à suo inferiori. *Argum. I.*

Secundò. Multæ sunt propositiones in quibus Prædicatum dicitur de Subiecto, & tamẽ non omne quod dicitur de illo Prædicato, dicitur etiam de illius Subiecto. Ergò nulla est Regula Aristot. Antecedens cõstat ex plurimis testimonijs, nam propositio ista est bona, Petrus est homo. De homine autem dicitur, quod sit Species, & non dicitur de Petro similiter, homo est animal, & animal est genus, non tamen homo, & sic de alijs. *Argu. II.*

Tertiò

Tertiò. Contra secundam Regulam. Dantur aliqua Prædicamenta, quæ sunt inter se omninò diuersa, & tamen habent easdem species, ergò Regula fallit: Antecedens prob. Nā substantia, & quantitas, sunt duo Genera, & tamen corpus est Species quæ continetur in Prædicamento substantiæ, & similiter in Prędicamento quantitatis, vt patebit inferius. Deinde scientia collocatur ab Aristotele in prædicamento relationis, & in Prædicamento qualitatis, ergò Prædicamenta diuersa possunt habere easdem Species.

Respondeo. Quod in isto capite tradit Aristoteles vltimum Anteprædicamentum, scilicet duas Regulas. Quarum prima erat hæc. Quando aliquid superius prædicatur de suo inferiori, quæcunq; essentialiter prædicantur de illo superiori, etiā prædicātur de inferioribus quæ sub illo continentur. Dico quæcunq; prædicantur, essentialiter, nam suppono duplicem esse prædicationem, vnam essentialem & directam, & aliam accidentalem & indirectam.

Quæ sit prædicatio essentialis & quæ accidentalis.

Illa est prædicatio essentialis, in qua prædicatum est superius quam subiectum, & continetur in recta linea prædicamentali, & vltra hoc, pertinet ad essentiam illius subiecti, sicut animal, directè prædicatur de homine, & de animali corpus, substantia &c.

Alia verò est prædicatio accidentalis, & indirecta, in qua nimirum prædicatum vel nō est

est superius in recta linea qua Subiectum, vel certè non pertinet ad essentiam illius Subiecti, vt si dicas in exemplo. Petrus est animal. Sed quoddam animal est mulier. Ergò Petrus est mulier. Nam minor propositio huius syllogismi est accidentalis, quia vir & mulier importat sexus diuersos, qui sexus est accidens hominis vel animalis, imò verò omnia Prędicata quæ attribuuntur alicui subiecto per opus intellectus precisè, ad hanc prædicationem accidētalē pertinent, vt quādo prædicatur Genus vel Species aut aliquid huiusmodi de aliquo Subiecto, dicendo, homo est species, Petrus est indiuiduū &c. Et hoc benè nota, est enim expositio D. Alberti Magni quam iniustè reijcit Dominicus Soto.

Pro intelligentia autem secundæ Regulæ oportet similiter vnicum aduertere: nimirum quod Aristoteles non vult omninò negare quod vna & eadem Species pertineat ad diuersa Genera non subalternata, sed tantum intelligendus est de vna & eadem Specie secundū eandem rationem considerata, nam si sub diuersis qualitatibus consideretur aliqua species, non inconuenit reponere eam in diuersis Prædicamentis, vt rationale potest attribui Logicæ, quæ est scientia rationalis, & similiter attribuitur homini tanquam differentia hominis. Sed est reductiuè substantia, vt dicitur de homine, qualitas autem, vt dicitur de Logica, similiter corpus est species quā- NOTA.

N tita-

titatis,& substantiæ, sub diuersa ratione, nam prout importat tres dimensiones, scilicet longitudinem, latitudinem,& profunditatem, pertinet ad Genus quantitatis, si autem sumatur pro subiecto illius trinæ dimensionis, sic est in Genere substantiæ.

Conclusio. *Vtraq; Regula est cõuenienter aßignata ab Aristotele in hoc capite.*

Probatur, Maximè de Regula secunda. Genera diuersa,& non subalternatè posita sunt diuersa Principia. Ergò habent diuersas Species & Differentias. Consequentia probatur, quia aliâs sequeretur quod eadem natura proueniret ex diuersis specie Principijs,& ita esset vna natura & multiplex simul, quod implicat.

Resp. ad I. *Ad primum igitur* dicendum, Distinguo antecedens. Superius non est alterum à suo inferiori, secundum rem, concedo antecedens,& hoc intendit illius probatio, secundum rationem, nego antecedens.

Resp. ad II *Ad secundum* Distinguo Antecedens, si prædicatur indirectè & per accidẽs, concedo antecedens cum sua probatione, si prædicatur directè & essentialiter, nego antecedens, vt in corpore dictum est.

Resp. ad III. *Ad Tertium.* Distinguo antecedens, multa sũt Prædicamenta, quæ habent easdem Species. Secũdum eandem rationem formalem consideratas, nego antecedens, sub diuersis rationibus, transeat antecedens: ex quo nihil contra nos. Et hæc de Antepredicamentis dixisse suf-

ſufficiat, ſecundum quod poſtulabat textus Authoris

CAPVT QVARTVM DE PRÆDICAMENTIS IN Genere.

SVMMA TEXTVS.

COncluſio. Eorum quæ incomplexè dicuntur vnumquodq; eorum aut ſignificat ſubſtantiam, vt homo, equus: aut quantum vt bicubitum, tricubitum: aut quale vt album: aut ad aliquid vt pater, filius: aut vbi vt in foro: aut quando vt heri, anno ſuperiore: aut ſitum eſſe vt iacere, ſedere: aut habere vt armatum eſſe: aut agere, vt ſecare, ædificare: aut pati vt vri, ſecari, &c. Eſt autem proprietas quędam conueniens his omnibus Prædicamentis, ſcilicet, quia ſi quodlibet Prædicamētum ex his enumeratis ſolitariè conſideremus, tunc illud Prædicamētum ſecundum ſe, prędicatur de aliquo, ſed non tanquam affirmatio vel negatio, & ratio eſt, quia hæc omnia ſunt incomplexa, affirmatio autem & negatio non poteſt eſſe ſine complexione, Hæc de Textu huius capitis

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Prædicamentum ſit ordinatio quidditatiua Prædicabilium?

Argum. I.

VIdetur quod non. *Primò.* Prædicamentũ debet cõſtare ex naturis realib. ſed Predi-

cabilia ſunt entia rationis, vt antea per totũ librum Porphyrij dictum eſt. Ergò Prædicamentum non eſt ordinatio quidditatiua Prędicabilium. Maior patet diſcurrenti per omnes Species prædicamentales, nam in quantitate reponitur linea, ſuperficies &c. in actione, ædificare: in relatione pater, filius &c. vt modò dixerat Ariſtoteles in textu exemplariter, quæ omnia ſunt entia realia.

Argum. II. *Secundò* Prædicamentum pro formali debet dicere relationem rationis. Sed ordinatio Prædicabilium, ſeu quod idem eſt, Prædicabilia ordinata, non ſunt relatio rationis: ergò Prædicamentum nõ eſt ordinatio Prædicabilium. Minor prob. Nam ſi ordo Prædicabilium eſſet relatio rationis formaliter, ergò haberet aliquem terminum ad quem refertur, ſed non apparet quiſnam ſit ille terminus quem reſpiciunt Prædicabilia ordinata in Prædicamentis, ergò ordo Prædicabilium non eſt relatio rationis. Et hoc argumentum videtur eſſe oppoſitum primo, vt patet.

Argu. III. *Tertiò.* Multa ſunt quæ ordinantur in Prædicamentis, & tamen non ſunt Prædicabilia. ergò Prædicamentum non eſt ordo eſſentialis Prędicabilium. Antecedens prob. Nam indiuidua particularia, verbi gratia, Petrus & Franciſcus reponuntur verè in Prædicamẽto ſubſtantiæ vt poſtea dicam, & tamen hæc duo non ſunt Prædicabilia, vt dictum eſt ſu-

pra

pra in libro Prædicabilium, cap. secundo, Artic. sexto per totum, quod indiuiduum signatum, de vno solo prędicatur, ac proinde non est vnum ex Vniuersalibus.

Respondeo. Quod ab isto capite incipit Aristoteles inuestigare naturas Prædicamentorum, tam in genere quam in specie, & hæc erat secunda pars huius Opusculi: quantum ergò attinet ad præsens dubium, sciendum est: quod sicut multoties diximus, & præsertim in procemio Prædicabilium ea quę considerantur à Logico, habent aliquid pro materiali & aliquid pro formali, ac proindè sunt entia quodammodò concreta, vt album quod pro materiali dicit corpus, vel tabulã, & pro formali albedinem, similiter Genus est quoddam Prædicabile, quod pro materiali dicit naturam communem, quę est abstracta à phãtasmate animalis vel corporis, & pro formali dicit relationem rationis quam habet animal ex intellectu, vt refertur ad suas Species. Ita ergò in proposito, in quolibet Prædicamento duo possumus considerare, vnum est materiale & alterum formale: materiale Prædicamenti nihil aliud est, nisi res quędam, seu naturæ communes & prędicabiles de se inuicem quidditatiuè, vt ordinantur sub aliquo supremo, verbi gratia, materiale in Prædicamento Substantię est corpus, viuens, animal, homo, Petrus &c. quatenus hæc ita ordinantur inter se, quòd vnum prædicatur de altero quid-

Materialis & formalis prædicamenti consideratio.

ro quidditatiuè sub Genere supremo, quod appellatur substantia,& sic de alijs Prædicamentis exemplificari potest;at verò si volumus scire, quidnam prædicamentum dicat pro formali, tunc persistendo in doctrina Thomistica, omissis quorundam recentiorũ opinionibus

Dico cum Sancto Thoma in Opusculo 48. cap.1.& Paulo Soncinate quarto Metaphysicæ,quæst. 4. & 7. quòd formale cuiuslibet Prædicamenti,est relatio rationis. Sed aduerte quòd duplicem relationem rationis possumus considerare in omni Prædicamento, ex eo quia etiam Prædicamentum quodlibet duo habet,& quia est Genus,& quia est Generalissimum.Prima ergò relatio rationis quam habet Prædicamentum, est relatio generis, qua refertur ad suas species, prout continentur ordinatè sub illo genere: & hæc relatio non constituit essentialiter aliquod Prædicamentum,propter hanc causam, quoniam referri ad aliquas species, non est proprium alicui Prædicamento, sed etiam conuenit Generibus subalternis,verbi gratia,corpori,animali, &c. secundam verò relationem possumus imaginari in Prædicamento,secundum quam ita refertur Prædicamentum ad suas species, vt omnia quæ de suis inferioribus quidditatiuè prædicantur, contineantur sub illo, ipsum autem cum sit Generalissimum, nulli subest, tanquam superiori generi, & ista rela-

Duplex in Prædicamento relatio.

Quid sit quod constituat quodlibet prædicamentum.

relatio, constituit formaliter quodlibet Prædicamentum, verbi gratia, substantia est primum Prædicamentum, quod habet aliquid pro materiali, & aliquid pro formali: pro materiali, vt dixi, habet corpus, viuens, &c. pro formali verò habet relationem rationis: sed ista relatio potest esse duplex, aut in quantum substantia est Genus, aut in quantum est Generalissima: Prima relatio quam habet substantia, est respectu corporis, viuentis, animalis, & hominis, prout hæc sunt illius species, & substantia genus, & ex hac relatione non habet substantia, quod sit Prædicamētum formalissimè, quia referri ad suas species conuenit etiam animali, corpori &c. quæ non sunt Prædicamenta, vt ad sensum potest demonstrari: alia verò est relatio in substantia secundum quam respicit species prædictas, quæ de suis inferioribus quidditatiuè prædicantur, vt contenta sub illo supremo nempe sub substantia, & ipsum supremum est velut parens omnium contentorum sub illo, vt pote quod sub nullo alio continetur, & hæc ratio est formaliter constitutiua Prædicamenti, correlatiuum autem istius relationis, sunt res ipsæ quæ continentur sub illo supremo ordinatè.

Conclusio. Prædicamentum nihil aliud est, nisi ordinatio quidditatiua Prædicabilium.

Probatur. Suppositâ inprimis doctrinâ Angelici Doctoris quam adhibet in quæstio. 7.

dePotētia, Articulo nono. Et in opuſculo 48. & alijs in locis, nimirum quod entia rationis non reponuntur in Prædicamentis, quia non poſſunt ordinari quidditatiuè. Tunc ſic argumentor: Illud tantum excluditur à Prædicamento cui nō poteſt conuenire natura Prædicamenti. Sed entia rationis ideò excluduntur ab Angelico Doctore à Prædicamentis, quia non poſſunt ordinari quidditatiuè, hoc eſt, nō poſſunt ita diſponi, vt vnum eorum ſit ſuperius, & prædicetur de altero, vt patet in multis exēplis, ergò ordinatio quidditatiua Prædicabilium eſt de natura cuiuslibet Prædicamenti.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum. Diſtinguo Maiorem; Prædicamentum debet conſtare ex naturis realibus, pro materiali, concedo Maiorem, pro formali, nego Maiorem vt dictum eſt.

Reſp. ad II Ad ſecundum, nego Minorē, ad cuius probationem, nego ſimiliter Minorem: nam terminus illius relationis, ſunt res ipſæ quę continentur ſub illo Genere ſupremo ordinatè.

Reſp. ad III. Ad Tertium, nego Conſequentiam. Nam licet indiuidua non prædicentur, verbi gratia, Petrus, Paulus &c. tamen ſunt veluti primū ſubiectum reſpectu omnium Prædicabilium, & hoc ſufficit vt ſint in Prædicamentis.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum Prædicamenta ſint decem?

VIdetur quod non. *Primò* Partes compoſiti ſubſtantialis vt puta materia, forma, caput, brachium, ſunt verè entia realia, ſed iſta non ponuntur in aliquo ex decem Prædicamentis, ergò oportet conſtituere aliquod Prędicamentum vndecimum, in quo reponerentur eiuſmodi partes: Minor probatur: nam ſi caput & brachium hominis reponerentur in aliquo Prædicamento, certè in ſubſtantia. Sed caput, & brachium, &c. non ſunt ſubſtantiæ, ſed tantummodò partes Subſtantiæ, ergò non ponuntur in aliquo Prædicamento. *Argum. I.*

Secundò. Authoritate Ariſtotelis Libro quinto Topicorum, vbi dicit quod quando aliqua ſunt inter ſe oppoſita, tot modis diuiditur vnum eorum, quot modis & alterum. Tunc ſubſumo: Accidens & ſubſtantia ſunt quodãmodò oppoſita, quia accidens eſt ens quod inhæret ſubiecto, ſubſtantia autem per ſe exiſtit, & non in ſubiecto, ergò ſi accidens diuiditur in nouem Prædicamenta, etiam Prædicamẽta ſubſtantiæ debent eſſe nouem, vel è contra, ſicut ſubſtantia conſtituit vnum Prædicamẽtum, ita & accidens. *Argu. II.*

Tertiò. Ideo aliquid vocatur Prædicamentum, quia habet aliquem modum prędicandi, ſed omnia Prædicamenta accidentium vnicum habẽt modum prædicandi, ergo ſunt *Argu. III.*

vnum Prędicamentum. Minor prob. nam, vt dictum est in libro Prædicabilium cap. 5. & nos in Articulis, accidẽs prædicatur in quale.

Quartò. Omnis multitudo reducenda est ad vnitatem, sicut verbi gratia, multę prouinciæ, reducuntur ad vnum regnum, & multæ ciuitates ad vnam prouinciam, & multa regna, ad vnum vniuersum: sed decem prædicamenta, est quędam multitudo, ergo reducẽda est ad vnitatem entis. Et ita ens vnum tantum erit prædicamentum.

Duplex prædicamenti acceptio.

Respondeo. Quod quia dictum est multoties, quod Prædicamentum est quoddam dicibile incomplexum idcircò dupliciter potest hoc intelligi: vno modo, quatenus dicibile incomplexum idem significat, quod omnis vox incomplexa, vt sumebatur ab Aristotele in cap. secundo Antepprædicamentali, & à nobis in illo articulo vnico, & hoc modo non accipitur hic, quia plurima sunt dicibilia incomplexa, secundum hanc considerationem, quæ tamen non possunt reponi in aliquo certo Prædicamento, vt Chimæra est vox simplex, & tamen non est in Prædicamentis, sicut & alia entia rationis: alio modo sumitur dicibile incomplexum, pro omni eo quod est quidem simplex, sed vltra hoc, est ordinabile in aliquo Genere, per modum superioris vel inferioris. Et hoc modo dicendum est, quod omne dicibile incomplexum reducitur ad decem Prædicamenta.

Vt au-

Vt autem aduertas, quęnam sint huiusmodi incomplexa quæ in Prędicamentis constituuntur, sciendum est ex Magistro Versorio super summulas Petri Hispani Tractatu tertio; quod 4. conditiones requiruntur, ad hoc, vt aliquid sit ordinabile in Prædicamentis. *Quatuor requisita ad Prædicamentum.*

Prima conditio est, quod tale dicibile sit vnum formaliter & virtualiter, & propter hanc causam nullũ æquiuocum potest reponi in Prædicamento, quia est quodammodò multiplex, nam si quispiam percontaretur, in quo Prædicamento reponitur canis, vt dicitur de animali domestico, de sydere, & de pisce marino? Dices & benè in nullo, quia quodlibet Prædicamentum habet vnam & certam naturam, canis autem minimè. I.

Secunda conditio est, vt tale dicibile sit omninò simplex, nam si fuerit complexum, secundum diuersas partes, in diuersis Prædicamentis potest reponi, vnde si quis rogaret in quo prędicamento sit homo albus? Respõdebis in nullo, vt est quædam propositio cõplexa: at verò si istæ partes seorsim considerentur, tunc benè possunt pertinere ad aliquod Genus. II.

Tertia conditio, quod tale dicibile sit ens reale, & habeat certum ordinem in rebus, vnde Chimæra & Hircoceruus, & pręterea prędicatum, subiectum, &c. in nullo sunt Prædicamento, quia indifferenter dicuntur, tam de sub- III.

de ſubſtantia quã de accidente, nam homo poteſt eſſe prædicatum & ſubiectum, ſimiliter album, calidum, poteſt eſſe prædicatum & ſubiectum &c.

4. *Quartò* & vltimò requiritur quod ſit vniuerſale vel particulare, hoc eſt, vt ei conueniat ſub vel ſupra, & propterea Deus glorioſus non ponitur in Prædicamento, non enim eſt vniuerſalis reſpectu plurium, quia nõ ſunt plures Dij, imò nec poſſunt eſſe, neque etiam eſt particularis, quia non habet aliquod ſuperius vniuocum, quod de illo prædicetur, exceſſus enim eſt & ſuper cælos.

Concluſio. Decem tantum ſunt Prædicamenta, ita vt nec plura, nec pauciora.

Probatur à ſufficienti diuiſione omnium entium: omne ens quod eſt ordinabile in aliquo Genere Prædicamentali aut eſt per ſe exiſtens, aut in alio: ſi per ſe exiſtit, tunc eſt in Prædicamento ſubſtantiæ: ſi autem exiſtit in aliquo ſubiecto, tunc vel eſt abſolutè inhærẽs, propter materiam ſubiecti, & ſic eſt quantitas quæ conſequitur res propter materiam: vel eſt inhærens abſolutè propter formam ſubiecti, & ſic eſt qualitas, quia res diuerſarum formarum diuerſas habent qualitates: ſi verò eſt accidens quod inhæret ſubiecto, & reſpicit aliquid aliud, tunc eſt Prædicamentum relationis ſeu ad aliquid, ſed hoc diuerſimodè poteſt intelligi, aut enim reſpicit aliud, tanquam actiuum ſuum paſſiuum, vel è contra,

& ſic

& ſic eſt Prædicamentum actionis & paſſionis,aut reſpicit tanquam menſurās ipſum per modum temporis, & ſic eſt quando, aut per modum loci, & ſic eſt Vbi, præſertim ſi ſumatur menſura reſpectu totius corporis, ſi verò reſpectu partium ſic eſt ſitus, ſi autem ſubſtantia corporea fuerit tantum habituata per aliquas veſtes aut arma, vocabitur Prædicamentum habitus.

Ad primum igitur dicendum. Diſtinguo Minorem. Sed iſta nō ponuntur in Prædicamento,per ſe & directè,concedo Minorem, per aliud & reductiuè, nego Minorem: vnde differentię omnes ſubſtantiales ponuntur reductiuè in Prędicamento ſubſtantiæ, cum alijs partibus ſubſtantiarum: ſimiliter punctus, vnitas, non directè ſed reductiuè ponuntur in quantitate,& inſuper omnes priuationes, reducuntur ad illa Prædicamenta in quib. ſunt formæ oppoſitæ, hoc eſt habitus. *Reſp ad I.*

Ad ſecundum. Admitto authoritatem Ariſtotelis,& explico illā, quādo aliqua duo ſunt inuicem oppoſita,tot modis diuiditur vnum illorum, ſicut & alterum, ſi vtrumque fuerit vniuocum reſpectu ſuorum inferiorum, cōcedo, ſi vnum fuerit vniuocum, & alterum æquiuocum,nego. Vnde in propoſito Prędicamentum ſubſtantiæ eſt vnicū propter hanc cauſam quia de omnibus inferioribus vniuocè prædicatur, at verò accidens non æqualiter de omnibus prædicatur, ſed ſecundum *Reſp ad II*

magis

magis & minus,& ita plura sunt Prędicamēta accidentis.

Resp. ad III. *Ad tertium. Distinguo Minorem.* Sed omnia Prædicamenta accidentium, habent vnicum modum prædicandi, communem seu transcendentalem, concedo Minorem, contractū seu specialem, nego Minorem: licet enim omnia prædicentur in quale cōmuniter sumptum, tamen hoc quale diuersificatur, quia aliud est quale simpliciter, &aliud quale quantum, quotum, ad aliud se habens &c.

Resp. ad IV. *Ad quartum.* Dico quod hoc argumentum petit Specialem difficultatem. Pro qua sit

ARTICVLVS III.

Vtrum Ens prædicetur vniuocè de Substantia & Accidente?

Argum. I. VIdetur quod sic. *Primò.* Illud est Genus vniuocum, quod contrahitur à suis speciebus per differentias oppositas, sed Ens cōtrahitur ad substantiam & accidens per differentias oppositas, ergò est Genus vniuocum respectu substantię &accidentis. Minor prob. Nam Ens per se, dicitur de substantia: Ens autem in alio, contrahitur ad accidens.

Argum. II *Secundò.* Vniuoca illa dicuntur, quorū nomen est cōmune,& ratio substantiæ secūdum illud nomen est eadem. Sed substantia & accidens, habent idem nomen commune entis & rationem seu naturam illius entis eandem, ergò sunt vniuoca in ente. Minor

prob.

prob. nam de natura entis eſt, vt ſit aliquid extra nihil. Sed tam ſubſtãtia, quam accidens, ſunt aliquid extra nihil. Ergò habent eandem rationem entis.

Tertiò. Authoritate Ariſtotelis quarto Metap. vbi dicit: quod tot ſunt ſpecies ẽtis, quot ſunt ſpecies vnius. Tunc ſubſumo: ſed omne illud quod habet ſpecies, eſt verè Vniuocum tanquam Genus, ergo ens quod habet ſub ſe ſubſtantiam & accidens, erit Vniuocum reſpectu ſubſtantiæ & accidentis. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod hæc difficultas antiqua eſt apud D. Thomam, & Scotiſtas, vt videre eſt in ipſo Scoto libro 1. ſentent. diſtin. 3. quæſtio 1. & 3. vbi aſſerit, quod Ens prædicatur vniuocè de ſubſtantia & accidente, Deo & creatura. Sed pro intelligentia doctrinæ Thomiſticæ

Aduerte, ꝙ hæc eſt differẽtia inter vniuocũ, æquiuocum, & analogum: quia Vniuoca illa dicuntur quorum nomẽ eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eſt eadem ſimpliciter. Sicut Petrus, & Franciſcus, ſunt Vniuoca in ratione hominis, & ſunt homines ſimpliciter: Æquiuoca autem ſunt quorũ nomen eſt commune, & ratio ſecũdum illud nomẽ eſt diuerſa ſimpliciter, vt canis pro animali domeſtico cõſideratus, & canis, vt eſt ſydus cæleſte, ſunt purè æquiuoca in hoc nomine Canis. Analoga verò illa dicũtur, quorum nomen eſt commune & ratio ſubſtantiæ

ſecun-

ſecundum illud nomen, eſt aliquo modo eadem,& aliquo modo diuerſa, verbi gratia, animal, & medicina, ſunt analoga ſub hoc nomine, ſanum, nam idem nomen commune eſt vtrique & definitio etiam tam animalis quam medicinæ in quantum ſunt ſana eſt aliquo modo eadem,& aliquo modo diuerſa: animal enim in quantum ſanum eſt, habet ſanitatem & medicina in quantum eſt ſana, eſt cauſa ſanitatis, & ita videntur iſtæ definitiones aliqua ratione eſſe eędem, quia in vtraque includitur ſanitas, attamen ſunt etiam aliquo modo diuerſæ, quia diuerſis modis ſanitatem reſpiciunt. Hoc igitur analogum eſt medium inter vniuocum purè & æquiuocum, & participat de vtroque extremo, nam ęquiuocum purè, non prædicatur de pluribus cum aliquo ordine vt ſupra in cap. 1. artic. 3. dictum eſt. Analogum autem prædicatur de pluribus ſecundum prius & poſterius, hoc eſt, prædicatur de vno abſolutè, de alijs verò cum reſpectu ad illud vnum, verbi gratia, ſanum prædicatur de animali abſolutè ſine reſpectu ad dietam, medicinam, & vrinam, de iſtis verò prædicatur in quantum reſpiciunt animal, nam vrina dicitur ſana, quia eſt ſignum ſanitatis in aliquo animali, & dieta ſimiliter ſana, quia eſt conſeruatiua ſanitatis ipſius animalis &c. & hoc eſt, quod docet S. Thomas cum ſuo Commentatore multis in locis, & maximè de Ente & Eſſentia cap. ſecundo, q. 3. quod

quod ſubſtantia & accidens, ſunt analoga in ratione Entis, quia ipſum Ens abſolutè prædicatur de ſubſtantia, de accidentibus verò non niſi relatiuè ad ſubſtantiam: vnde ſubſtantia in quantum eſt ens,ſeu natura quædã,non includit accidens,accidens autem,inquantum eſt Ens,includit Subſtantiam: nam vt bene docuimus in lib.Prædicabilium cap. 5.de accidente Art.3.per totum,inhærere ſubiecto ſecundum aptitudinem radicalem,eſt de eſsẽtia cuiuſsibet accidentis.

Prima concluſio.Ens non dicitur vniuocè de Subſtantia & Accidente,nec etiam purè æquiuocè.

Probatur quo ad primam partem, contra Scotũ. Illa quæ ſunt Vniuoca in aliquo ſuperiori,ita ſe habent adinuicem,quod vnum eorũ, nihil habet plus in illo vniuoco ſuperiori, quam alterum.Ergò Subſtantia & accidens,ſi ſunt Vniuoca in ente,non habet accidens aliquid plus in ratione entis, quam ſubſtantia, quod eſt falſiſſimum,quia Ariſtoteles in ſeptimo Metap.apertè docet, quod in ratione accidentis in quantum eſt ens, ponitur ſubſtãtia, & quod ſubſtantia eſt prior accidente,naturâ, tẽpore, & definitione.Et quarto Metap.ſatis manifeſtè declarat, quod accidentia dicuntur ex eo entia, quia ſunt entis, hoc eſt, ſubſtantiæ.

Secunda verò pars probatur.Scilicet,quod non prædicatur purè æquiuocè. In purè æquiuocis vnum non cognoſcitur ex alio,ſed

O acci-

accidens cognoſcitur per Subſtantiam, ergò Subſtantia & accidens non ſunt purè æquiuoca in ratione Entis. Maior patet in exemplo: nam animal domeſticum ſeu canis latrabilis, non cognoſcitur per piſcem marinum, vel per ſidus cœleſte, nec è contra, quia hæc sũt purè æquiuoca, nec aliquam habent ſimilitudinem.

Concluſio ſecunda. Ens analogicè prædicatur de Subſtantia & accidente.

Probatur. Illud eſt analogum, quod prædicatur ſecundum prius & poſterius. Sed ens prædicatur de ſubſtantia prius, quam de accidēte, ergò eſt analogum. Minor probatur, nã ſubſtantia eſt cauſa accidentis, & prior accidente vt dictum eſt.

Reſp. ad 1. Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, ad cuius probationem dico: quod eſſe per ſe, & eſſe in alio, non ſunt differentiæ entis ſed ſunt modi entis, neque eſſe per ſe contrahit ens ad ſubſtantiam, ſed tantummodò eſt circumlocutio coarctans analogiam entis, ſicut etiam in exemplo ſimili, ſi quis diceret, canis latrabilis, tunc latrabile, non eſt differentia contrahens ſed tantum coarctans multiplicitatem illius nominis, canis, ad canes latrabiles tantum.

Reſp. ad II Ad ſecundum, explico Maiorem: vniuoca illa dicuntur quorum nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ ſecundum illud nomen eſt eadem, & æqualiter participata, concedo Maiorem

iorē, est eadē non tamē participatur æqualiter ab vtroque vniuocato, sed ab vno secundum prius, & ab altero secundū posterius, nego Maiorem, nam hoc conuenit Analogis vt dictum est.

Ad Tertium admitto authoritatem Aristotelis, & explico illam. Tot sunt species entis, quot sunt species vnius, si species sumatur propriè pro prædicabili secundo, nego Minorem, si autem species sumatur prout idem significat, quod modus, concedo Maiorem, vnde tot modis dicitur ens, quot modis dicitur vnum. *Resp. ad III.*

CAPVT QVINTVM DE SVBSTANTIA.

SVMMA TEXTVS.

PRima Conclusio. Duplex est Substantia, Prima & Secunda. Substantia Prima hoc modo definitur: nihil est aliud, nisi illud, quod propriè, principaliter, & maximè substat, & nō dicitur de subiecto, neque est in subiecto, vt Petrus, Franciscus, & consequenter omnia indiuidua substantiæ vocantur substātiæ primæ. Secunda vero Substantia sic definitur: nihil aliud est, nisi Species & Genera, in quibus sunt primæ substātiæ, v.g. homo, & animal, *Substantia prima quid.* *Substantia secunda quid.*

sunt Secundæ Substãtiæ, in quibus continentur indiuidua, nam Petrus est in homine, tanquam in Specie, & est in animali, tanquam in Genere.

Aliter prædicantur Secundæ substantiæ de primis quã accidentia.

Sed aduerte: quod non eodẽ modo Secundæ Substantiæ comparantur ad Primas, sicut accidentia comparantur: nam Secundę Substantiæ, hoc est Genera & Species, prædicantur de Primis vniuoè, hoc est, secundum idem nomen & secundum eandem definitionem. verbi gratia. Petrus, est Prima Substantia, Homo autem, & animal sunt Substãtiæ Secundę, & ista duo prædicantur de Petro vniuocè, nã homo, & animal, conuenit Petro, & similiter definitio hominis, & animalis. Vnde Petrus est animal rationale sicut homo, & Petrus, est substantia animẽta sensibilis, sicut animal. At verò accidentia, hoc non habent, si enim sunt concreta, prædicantur de Prima Substãtia denominatiuè, & secundum nomen tantum, vt Petrus est albus, est iustus &c. & non prædicantur secundum definitionem. Si autem sunt accidentia abstracta, vt albedo, iustitia, color &c. tunc nec secundum nomen, nec secundum definitionẽ prædicãtur de Prima Substantia, hoc est, de indiuiduis, nã malè dicitur, Petrus est albedo, est iustitia, est color, vt patet. Conueniunt tamen Secundæ Substantiæ cum accidentibus, in hoc quia tam Secũdæ Substãtiæ, quam accidentia dependent à Prima Substantia: Secundę Substantiæ quidem, tanquam à suo

à ſuo inferiori,accidentia aũt tanquam à ſubiecto.

Habitudo vnius ſubſtantiæ ad aliam.

Secunda Concluſio·Si volumus ſcire,quo modo omnes Subſtantiæ(omiſſo iam accidente) comparentur inter ſe,oportet aduertere:quod inter Subſtantias Secundas,magis Subſtantia eſt Species quam Genus.Tum quia Species, verbi gratia, homo propinquior eſt Primæ Subſtantię ſeu Indiuiduis,nimirum Petro & Franciſco.Tum etiam quia ſicut Primæ Subſtantiæ ſubſtant Speciei & Generi,&omnibus ſuperióribus prædicatis,ita Species,verbi gratia, Homo,ſubijcitur Generi,& illis omnibus quæ prædicantur de Genere.Cęterum ſi loquamur de ſolis Speciebus tantum quæ etiã ſunt Secundæ Subſtantiæ, tunc vna Species non eſt magis Subſtantia,quam altera,ſicut equus,non eſt magis Subſtantia Secunda quã homo,quia iſta duo ſunt Species æqualiter. Eodem pacto etiam de Primis Subſtantijs eſt iudicandum,nempe quod vna Prima Subſtãtia,non eſt magis Subſtantia quam altera.

Sex proprietates ſubſtãtiæ.

*Tertia Concluſio.*Sex ſunt proprietates quæ conueniunt Subſtantiæ.

*Prima eſt:*commune eſt omni Subſtantiæ nõ eſſe in ſubiecto.Nam Subſtantia prima nec eſt in ſubiecto,nec dicitur de ſubiecto,vt in Antepredicamentis dictum eſt. ſecunda etiam ſubſtãtia,verbi gratia,Genera & Species,dicũtur quidem de ſubiecto inferiori,vt homo de Petro,Franciſco &c. non tamen eſt in ſubiecto

iecto tanquam inhærens, quia prædicatur & ſecundum nomen, & ſecundum eandem rationem.

Secunda proprietas. Ineſt hoc Subſtantijs & differentijs ſubſtãtiarum, vt omnes vniuocè prædicentur. Hæc tamen proprietas non conuenit Subſtantiæ primæ, quia à prima Subſtãtia nulla eſt prædicatio: Species enim prædicatur de indiuiduis, & Genus tam de ſpeciebus, quam de indiuiduis.

Tertia proprietas. Omnis Subſtãtia videtur hoc aliquid ſignificare. Et in Primis quidem Subſtãtijs hoc eſt manifeſtum, quoniam Primæ Subſtantiæ ſunt verè indiuidua, & ſignificant hoc aliquid, Secundæ verò Subſtantiæ, licet ſecundum quandam appellationem hoc aliquid ſignificent, tamen magis proprie important quale quid circa ſubſtantiam.

Quarta proprietas. Subſtantiæ nihil eſt contrarium, ſicut homini vel animali nihil contrariatur. Hæc tamen proprietas non ſolum Subſtantiæ conuenit, ſed etiam alijs Prædicadicamentis, vt patet in quantitate, nam bicubitum, triangulus, ſeptem &c. non habent aliquid contrarium.

Quinta Proprietas. Subſtantia non recipit magis & minus. Explico; non enim ita eſt intelligendum, quod vna Subſtantia non ſubſtet magis quam altera, quia hoc falſum eſt, diximus

mus enim ſtatim à principio huius textus, quod Prima Subſtantia principaliter,propriè, & maximè ſubſtat, ſed ita eſt explicandum, quod quælibet Subſtantia hoc ipsũ quod eſt, non eſt magis, nec minus, verbi gratia. Homo in Petro, non eſt magis vel minus homo, quam ſit in Franciſco, ſicut videmus quod vnum album, eſt magis album quam alterum.

Sexta & vltima proprietas. Maximè proprium eſt Subſtantiæ,quod vna & eadẽ numero permanens,eſt ſuſceptiua contrariorum. Dico hoc eſſe maximè proprium,nam nulli alteri pręter ſubſtantiam conuenit, ſicut homo idem numero manens, poteſt eſſe calidus & frigidus, magnus & paruus. At verò ſi acceperis aliquod accidens,vt puta colorem, tunc iſte color vnus & idẽ numero,non poteſt eſſe albus & niger,& actio vna & eadem non poteſt eſſe peruerſa & bona.

Neq, hic oportet obijcere Orationem ſeu Propoſitionem,quæ videtur etiam hanc proprietatem habere: nam ſi quis profert hanc Propoſitionẽ,Petrus ſedet,& ego video,quòd ipſe ſit ſedens, erit Oratio vera, ſed ſi ipſe ſurrexerit profectò eadem numero oratio eſt falſa. *Obiectio.*

Sed hęc obiectio facilè ſoluitur,nam ſubſtãtia vna & eadem manens,recipit contraria per mutationem ſui ipſius, at verò Oratio vna & eadem manens, mutatur de *Solutio.*

vera in falsam, propter mutationem alterius, & ita oratio non recipit contraria. Hæc de Textu, imò de toto prædicamento Substantiæ,

ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrum substare accidentibus sit ratio formalis Substantiæ?

Argum. I. VIdetur quod sic: *Primò.* Aristoteles cõderat in hoc Prædicamento substantiã, quatenus substat omnibus accidentibus, ergò substare accidentibus constituit formaliter substantiam. Antecedens est omnium fermè Logicorum, & præsertim S. Thomę in Opusculo suæ Logicæ, Tractatu de substantia, cap. 2. imò & nos diximus supra in Antepręd icamentis cap. 1. artic. 1. in corpore, quod omnia Prædicamenta dicuntur de Substantia denominatiuè, ac proinde illa substat omnibus.

Argu. II. *Secundò.* Si substare accidentibus non est ratio formalis substantiæ, sequeretur quod ens per se constitueret substantiã formaliter, sed hoc non est dicendum, ergò vt prius. Sequel. Maioris patet, quia in substãtia, hæc duo solum possumus considerare, nimirum, aut quia existit per se, aut in quantum substat accidentibus. Minor verò probatur: aut hæc dictio, ens per se, idem significat, quod ens nõ per accidens, aut idem, quod ens nõ per aliud: sed nihil horum potest dici. Ergò ens per se non est ratio formalis substãtiæ. Minor prob.
non

non primum, nam eſſe ens non per accidens, omnibus Prædicamentis eſt commune, & non ſolum ſubſtantiæ: non ſecundum, nam omnis ſubſtantia prædicamentalis eſt per aliud, vel tanquam per cauſam efficientem, vel materialem, aut formalem, & ita doctrina eſt falſa.

Reſpondeo. Quod hoc nomen Subſtantia, tripliciter accipitur à Philoſophis: *Primò,* prout idem valet quod eſſentia, & hoc modo vſus eſt Ariſtoteles nomine ſubſtantiæ, in definitione Vniuocorum, & Æquiuocorum: vbi dixerat, quod in Æquiuocis, ratio ſubſtantiæ ſecundum nomen eſt diuerſa, hoc eſt, natura diuerſa. Et de ſubſtantia hoc modo ſumpta, non eſt nobis ſermo in præſenti, quoniam omnia Prædicamenta ſunt ſubſtantiæ ſecundũ hanc rationem. *Reſolutio.* *Triplex nominis Subſtantiæ acceptio.*

Alio modo accipitur Subſtantia pro omni Ente quod per ſe exiſtit & non in alio, & nihil habet plus: ſicut Deus & Angeli, ſunt ſubſtantiæ; & ſecundum hanc conſiderationem, ſubſtantia idem ſignificat, quod ſubſiſtentia, ſeu per ſe exiſtentia.

Tertiò & vltimò accipitur Subſtantia, pro omni eo quod exiſtit quidem per ſe, ſed vltra hoc ſubſtat nõnullis accidentibus, & ſic quælibet res huiuſmodi dicitur ſubſtãs, quaſi ſub alio ſtans, & aliud ſuſtentans, verbi gratia, paries eſt ſubſtãtia à ſubſtando, quia ſuſtentat albedinem, vel aliquid ſimile.

Quærimus ergò in præsenti, vtrum Substantia prout est Prædicamentum primum, constituatur formalissimè, per hoc quia est ens per se existens, an verò quia sustentat accidentia. Pro cuius rei intelligentia

Qualis sit diuisio entis in substantiam, & accidẽs.

Aduertendum est: quod Ens quando diuiditur in Substantiam & Accidens, non contrahitur ad illã, per aliquid superadditum, sicut animal contrahitur ad hominem per rationale, quod distinguitur ab animali præcisè, sed quando dicunt Logici, quod ens diuiditur, in substantiam, in quantitatem &c. intelligendũ est, quod ibi diuiditur per diuersos modos essendi, ita tamen quòd ille modus essendi non distinguitur à quolibet Prædicamento, vnde ipsa Substantia in quantũ est ens, dicit determinatum gradum entis in mundo, & similiter quantitas, actio &c. qui modus non distinguitur realiter à substantia, quantitate, relatione &c. sed multiplicatur, sicut & ipsa genera Prædicamentorum multiplicantur. Quis ergò sit iste modus essendi quem habet Substantia, & secundum quem constituitur formalissimè, maximè dubitatur inter Philosophos vt videre est in Magistro Sanches, qu. 18. in Prædicamentis, & in Paulo Sõcinate lib. 5. Metaph. quæst. 14. Veritas tamen est, quòd esse ens per se completum & perfectum, est ratio formaliter constitutiua huius Prædicamenti, propter hanc causam: quia illa vocatur ratio formalis alicuius rei, per quam res il-

Quis sit modus essendi quẽ habet substantia.

res illa constituitur, & distinguitur sufficienter ab alijs, sicut rationale in homine: substantia aũt per hoc quia est ens per se distinguitur ab accidente; & quia est ens completum & perfectum, distinguitur à qualibet substantia incõpleta, cuiusmodi sunt partes, v.g. caput, manus &c. Ista autem entitas per se est quid positiuum & reale, licet oppositum sustineat M. Soncinas in prædicta quæstione, asserens quòd ens per se idem valet quod ens non in alio, & quia ens non in alio est mera negatio, & ens rationis, hinc est, quòd ipse coactus est fateri, rationem formalem Prædicamenti substantiæ esse ens rationis, nimirum illam negationem, quod tamen ego sustinere non possũ: impossibile enim mihi videtur, vt Substantia, quę est ens reale & maximè perfectum inter alia Prædicamenta, constituatur formaliter per ens rationis, seu per negationem, quę vt sic, imperfectissima est: quomodo ergo negatio, seu ens rationis, cum sit aliquid in se diminutum constituet prædicamentum ita perfectũ? Et hoc est fundamentũ contra Sõcinatẽ.

Refutatio sententiæ Soncinatis.

Contra alios verò qui dicunt quòd substantia constituitur formaliter per hoc, quia substat accidentibus, dicendum est, quod hoc etiam est impossibile, nã substare accidentibus, supponit iam substantiam esse de facto constitutã in sua ratione formali, & vltimata, ac proindè, est quidã modus substãtiæ, modus autẽ cuiuslibet rei, nõ est de essentia rei, tãquã eius

forma.

forma. Hoc tamen nō possumus negare, quod Aristoteles in isto Prædicamento, considerauit Substātiam, quatenus est sustentatiua omnium Prædicamentorum, & quatenus alia prædicantur de ipsa denominatiuè, vt videre est in hoc Textu, conclusione prima.

Conclusio. Ratio formalis constitutiua huius Prædicamenti, est ens per se completum, & perfectum.

Probatur. Illa est ratio formalis alicuius rei, quę ipsam rem determinat, ad certam naturam, ac distinguit ab omni alio. Sed ens per se completum, determinat substantiam ad certam naturam, & distinguit ab omni alio. ergò est ratio formalis Substantiæ. Minor patet, ex corpore. Maior verò probatur: nam rationale ideò constituit hominem in certa specie & natura sub Genere animalis, & distinguit ipsum hominem à quacunque Specie animalis, quia est de ratione formali hominis.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum,* nego consequentiam: nam licet Aristoteles considerat substantiā in hoc capite, prout accidentibus substat, non tamen valet cōsequētia: si dicas quod hæc sit ratio formalis substantiæ, quia in hoc Libro non erat opus disputare de formalitate substātiæ. Sed hoc spectat ad Metaphysicam.

Resp. ad II *Ad secundum*, nego Minorem: ad cuius probationem dico, quod ens per se, nihil ex illis quæ obijciuntur in argumento significat, sed tātum importat ens completum per se, vt dictum est.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum diuisio Substantiæ in Primam & Secundam sit conueniens?

VIdetur quod non. *Primò*. Est aliqua substantia quæ nec est Prima, nec etiam Secunda, ergò diuisio prædicta est insufficiens. Antecedens prob. Nam rationale & irrationale, similiter animatum & inanimatum &c. sunt differentiæ substantiales, & tamen nec sũt Primæ, nec Secundæ, substantiæ, non Primæ: nam aliâs essent indiuidua: nõ Secundæ, quia sic essent Genera & Species, quod est falsum, cum sint differentiæ. *Argum. I.*

Secundò. Si hæc diuisio esset bona, maximè ideò quia in hoc loco diuiditur Substãtia tanquam Genus Generalissimum diuisione vniuocâ. Sed hoc est falsum. Ergò non est bona diuisio. Minor patet in Textu præcedente, vbi dixerat Aristoteles, quòd Substãtia Prima principaliter, propriè, & maximè substat. Tũc subsumo: Ergò Substantia Secunda posterius substat, & minus principaliter, ergò est diuisio analoga, quia est secundum prius & posterius, vt est manifestum. *Argum. II.*

Respondeo. Quod sicut iam in artic. præcedente dictum est, Substantia hic accipitur ab Aristotele prout substat accidentibus & sustentat illa, hoc ergò modo considerata dupliciter adhuc potest intelligi, Primò intentionali- *Resolutio. Duplex consideratio substãtiæ.*

naliter & secundò intentionaliter. Substantia primò intentionaliter nihil aliud est, nisi ens quoddam reale, quod est per se completum, & sustentat accidẽtia realiter, v.g. paries, animal, homo &c. & de hac substantia locuti sumus in dubio præcedente, per totum, quod substãtia entitatiuè sumpta constituitur per hoc, quia est quid per se completum, Substantia verò secundò intentionaliter, est quædam relatio rationis, quam format intellectus noster, ex eo quia videt, ꝙ multę sũt res in mũdo, quæ existunt per se realiter, & substant accidẽtibus.

Hoc igitur supposito dico: quòd tam Substantia primò intentionaliter sumpta, potest diuidi in primam & secundam, quam secũdò intẽtionaliter, licet cũ hoc discrimine, nã si diuidimus Substãtiã secundò intentionaliter, in Primam & Secundã volo dicere, quod si diuidimus relationem rationis ipsius substantiæ, in relationem rationis, quæ est de prima substantia, & in eam quæ est de secunda, tunc ista diuisio est analoga, propter hãc caussam, quia Prima Substãtia secundũ prius habet relationẽ rationis, & quasi independenter ab alio. Secunda verò habet relationem rationis dependenter à Prima Substantia, & ista relatio vocatur à modernis relatio Substantis. Cæterũ si volumus diuidere Substantiã realẽ, & primò intẽtionaliter cõsideratã, sicut hic de facto diuidit Aristoteles, tunc dicendum est: quod diuisio Substãtiæ in Primã & Secundã,

non

nõ eſt, diuiſio alicuius ſuperioris in ſua infe-riora, ſed tantũ eſt diuiſio ſubiecti in accidẽ-tia, accidit.n. Subſtãtię reali eſſe Primam, hoc eſt, eſſe particularẽ, ſicut etiam eſſe Secundam; quia nullũ ex iſtis eſt de ipſius eſſentia, vt alibi Doctor Angelicus pulcherrimè deducit: nam ſi de eſſentia Subſtantiæ realis quæ hic diuiditur eſſet, vt ſit ſecũda, vtiq; eſsẽtialiter erit vniuerſalis, & nõ poterit diuidi in Primam, quia hoc membrũ repugnaret diuiſo, ſicut è cõtra ſi de eſſentia Subſtãtię realis quę hic diuiditur eſſet, vt ſit prima, procul dubio eſſentialiter erit particularis & indiuidua, & non poterit diuidi in ſecundam, vt optimè quiſq; colligere poteſt diſcurrendo. Tutior ergò videtur eſſe opinio illa, quæ eſſerit, ꝙ Subſtãtia, quæ diuiditur in primã & ſecundã, eſt quædam res, cui eſſentiale eſt eſſe per ſe formaliter, ſubſtare aũt primò vel ſecũdò eſt illi accidẽs tãquã modus illius, v.g. ſi etiam tu in ſimili diuideres parietẽ vniuerſaliter cõſideratum, dicendo omnis paries quicunq; reperitur in rerum natura, aut eſt coloratus, aut nõ coloratus: vel omnis mẽſa, aut eſt quadrangularis, aut non quadrangularis: profectò hæc diuiſio eſt ſufficiens, ſed tunc non diuides menſam vel parietẽ tanquam quid ſuperius, ad eſſe coloratum & non coloratum, quia & illud ſuperius debet eſſe coloratum vel nõ coloratum. Relinquitur ergò dicendũ, quod iſta diuiſio ſit ſubiecti per diuerſos modos, & per diuerſa accidentia, ita

Diuiſio Subſtantiæ in Primam & ſecundã non eſt de eſſentia ſubſtantiæ.

ita vt sit sensus, nullum alium modum essendi habet paries vniuersaliter consideratus, nisi quia aut est sub colore, aut non, & sic de alijs. Ita ergò in proposito, Substantia realis & primò intentionaliter considerata, conuenienter diuiditur in Primam seu particularem, & Secundam hoc est, vniuersalem, non tanquam superius in sua inferiora, quia illud superius deberet etiam esse vniuersale vel particulare, & consequenter si esse vniuersale est illius essentia, non poterit diuidi in Primam Substãtiam: & è contra, si esse Substantiam Primam seu particularem, est de essentia illius Substantiæ quæ hic diuiditur, non poterit diuidi in Substantiam Secundam. Et huiusmodi diuisiones vocantur à Scholasticis diuisiones rei per modos essendi, vel alijs verbis, subiecti in accidentia: accidit enim enti completo & per se existenti, hic modus qui est substare accidẽtib⁹, principaliter & per se, sicut substare secũdariò & propter aliud, vt ad sensum est euidens. Si tamen vis certior fieri de hac doctrina, lege ea quæ dicit S. Thomas de Potentia Dei quæst. 9. artic. 2. ad 6.

Conclusio. Diuisio Substantiæ in Primam & Secũdam est conueniens, illa tamen non est analoga.

Probatur, Prima pars. Illa diuisio est bona, quæ exhaurit totam naturam diuisi, sed substantia Prima seu particularis, & Secunda seu vniuersalis exhaurit totam naturam substantię, vt dictum est, ergò est bona.

Secunda

Secunda verò pars probatur. Illa est diuisio analoga, secundum quam participatur aliqua natura à multis secundum prius & posterius, sed substantia secundum suam rationem formalem; non participatur à Prima & Secunda Substātia secundū prius & posterius. Ergò diuisio Substātiæ in Primā & Secundā non est analoga. Minor probatur. Nam ratio formalis Substantiæ, quæ est ens per se completum & perfectum, participatur simpliciter à Prima Substātia, verbi gratia, à Petro, Francisco &c. & similiter à Secunda, nimirum ab homine, adeò vt si discurras per totam lineam rectam prædicamentalem, & peruenias vsque ad generalissimam Substantiam, quæ est ens per se, nullum ens ibi reperias, quod non sit Prima aut Secunda substantia.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: nego antecedēs. Ad cuius probationē dico, quod differētię substantiales, hoc est, corporeum, sensibile, vel rationale, nō sunt Substantiæ per se & directè, sed tantum per aliud & reductiuè, quia principaliter significantur vt partes Primę vel Secundæ Substantiæ.

Resp. ad II. Ad secundum: nego sequelam Maioris. Ad cuius probationem dico, quod si substantiam quæ hic diuiditur, consideremus secundò intentionaliter, tunc diuisio illius Substantiæ in intentionem Primæ substantiæ & Secundæ est diuisio analoga, si verò sumatur Substantia quæ hic diuiditur realiter, prout de

fa... accipit Aristoteles, tunc est diuisio non alicuius superioris, sed tantum subiecti per diuersos modos vt dictum est.

ARTICVLVS III.

Vtrum definitio Primæ Substantiæ sit conueniens?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Nam Aristoteles definit Primam Substātiam hoc modo: substantia prima est, quæ nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto. Tunc sic argumentor: Prima substantia siue sumatur formaliter pro intentione secunda, siue etiam fundamētaliter pro natura substrata, quod est ipsum indiuiduum, est quoddam ens verè positiuum. Ergò non benè definitur per istas negationes, nimirum, non dicitur de subiecto, neque est in subiecto. Consequentia probatur: nam ens positiuum non benè definitur per negationes, sicut si ego definirem hominem, hoc modo. Homo non est paries, neque est lignum aut tabula: nā per hanc definitionem magis scio quid non sit homo, quam quid sit.

Argu. II. *Secundò* Hæc definitio conuenit alteri præter Substantiam Primam. Ergò non est bona. Antecedēs prob. Nam Deus neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto inferiori, similiter hæc manus, hoc caput &c. & tamen ista omnia non sunt Primæ Substantiæ.

Arg. III. *Tertiò.* Si hęc definitio conueniret Substantiæ Primæ. Ergò iam erit vniuersalis ipsa Sub-

Substantia, quod est contra Aristotelem. Consequentia prob. Quia omne quod definitur est aliquid abstractum per intellectum, & consequenter est Vniuersale.

Respondeo. Quod Aristoteles volens definire Primam Substantiã addidit imprimis has particulas, quæ propriè, principaliter, & maximè substat, propterea vt eam distinguat ab alijs entibus: nam per istam particulã, Propriè substat, differt Substantia Prima à Quantitate v.g. à Superficie quæ etiã existit in pariete, & sustentat quodammodò accidentia, vt puta albedinem, sed tamen non est propriè Substantia, quia non virtute suâ sed alterius substat accidentibus, nimirum virtute Subiecti. *Resolutiõ.* *Explicatiõ definitionis substãtiæ.*

Per hoc verò, q̃ dicitur, Principaliter substat, excluduntur Substantiæ Secundæ, nimirũ Species & Genera substantiarum: nam etiam homo, verbi gratia, & animal substat accidẽtibus, vt patet dicendo, homo est albus, animal est longum, tamen non est Substantia Prima propter hanc causam, quia non substat principaliter, sed tantum secundariò, ratione primæ Substantiæ: si enim Petrus, aut aliquod indiuiduum hominis nunquam esset album, profectò hæc Propositio esset disparata, homo est albus.

Tertia autem particula, Maximè substat, ponitur ad significandum quòd nullum ens datur, cui conueniat esse substantiam Primã, nisi sit indiuiduum substantiæ, quod maximè substat.

Hoc igitur supposito aduertendum est, quòd postquam intellectus meus apprehendit aliquã rẽ quæ prædictas habet particulas, nimirũ quia est res substans omnibus accidentibus ratione sui ipsius, statim illi attribuit intentionẽ, quæ dicitur Substantia Prima, & est formaliter Ens rationis, cuius definitionem dat Aristoteles in illis verbis. Substantia Prima est, quæ nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto. Vbi duæ conditiones requirũtur ad Primam Substantiam. *Vna est*, vt sit Substantia per se & nõ per aliud, nam caput, brachia, & manus ob eã causam non possunt vocari Primę Substantię, quia sunt partes substantiarum.

Requisita ad substãtiam primam.

Altera verò conditio est, vt sit primũ substãs respectu omnium accidentium, ex merito suę naturæ, ac proinde debet esse quid particulare. Et h. e. quod dicit Aristot. in ista definitione, Substantia prima non dicitur de subiecto, hoc est, est particularis, nec est in subiecto, id est, est vera Substantia. Accidens autem vel Genera & Species Substãtiarum, quia deficiunt penes aliquam conditionem requisitam ad rationẽ primæ substantiæ, nullo pacto possunt appellari primæ substãtiæ, quia accidens est in subiecto, Genera autem & species substantiarum de subiecto dicuntur, vt patet.

Conclusio. Definitio Primæ Substantiæ aßignata ab Aristotele, est conueniens, scilicet Prima Substãtia est illa, quæ nec dicitur de subiecto, nec est in subiecto.

Probatur. Illa definitio est bona quæ explicat naturam

naturam definiti, & distinguit ipsum ab omni alio: sed hæc definitio explicat naturam substantiæ primæ, & distinguit illam à substantia secunda, & ab accidentibus. Ergò est bona. Minor patet ex corpore: nā si non est in subiecto, differt ab accidente, quod inhæret alicui substantiæ: & si nō dicitur de subiecto, differt à substantia secūda, nimirum à Genere & Specie.

Ad primum igitur dicendum. Nego consequentiam. Ad cuius probationē dico, quod ens positiuum non benè definitur per negationes si sumantur illæ negationes formaliter, & in quantum negationes; attamen negationes sumptæ pro materiali seu radicaliter, benè possunt nos ducere in cognitionem alicuius entis positiui, & hoc modo in præsēti accidit, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego antecedens. Ad cuius probationem dico: quod hæc definitio non conuenit Deo, quia Substantia accipitur in præsenti pro quodam ente completo quod substat accidentibus: Deus autē gloriosus nemini substat; de partibus autem manifestum est, quid sit dicendum. *Resp. ad II*

Ad tertium, dico quod argumentum hoc postulat speciale dubium, pro quo sit *Resp. ad III.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum Substantia Prima, quæ hic definitur, sit vniuersalis?

VIdetur quod non. *Primò.* Substantia prima prout hic definitur est indiui- *Argum. I.*

 duum

indiuiduũ & particulare, vt puta Petr', Franciscus &c. Sed particulare nõ est vniuersale. Ergo substantia 1. q̃ hic definitur nõ est Vniuersalis.

Argu. II. *Secundò*: si substantia prima quæ hic definitur esset Vniuersalis, certè hoc erit propter hãc causam, quia substare accidentibus primò est quidam modus conueniens multis, imò omnibus indiuiduis substantiæ. Sed hæc ratio non est sufficiens, Ergò Substantia Prima non habet vnde possit dici Vniuersalis. Minor probatur. Nã iste modus, h.e. primò & per se substare, neq; est Substãtia Prima, neq; Secũda: nõ Prima, quia substantia prima est ens completum: non secunda, alias erit genus vel species.

Resolutio. *Respondeo*. Quod vt iam supra dictum est, Substantia prima dupliciter cõsiderari potest: vno modo Logicè seu formaliter & pro secũda intentione, & alio modo Metaphysicè seu entitatiuè & fundamentaliter quod idem est. Tunc Prima Substantia consideratur Metaphysicè & entitatiuè, quando ego considero omnes res particulares prout per se existunt, & substant nonnullis accidentibus, verbi gratia, Petrus, Franciscus, hic paries &c. tunc aũt sumitur Prima Substantia secundò intentionaliter, quando ego considero ipsam relationem in intellectu, quã formauit intellectus, ad hoc vt per illam referatur Substantia Prima ad ea quibus subijcitur, hoc est ad Substantias Secũdas & ad accidẽtia, & hæc relatio vocatur relatio primi substantis. Hoc supposito.

Aduerte, quod si volumus considerare Pri-

mas Substantias pro substrato materiali, tunc dicendũ est, quod est aliquid cõmune illis tanquam natura Specifica, & etiam est aliquid cõmune tãquã modus realis, v.g. Petrus & Frãciscus, sunt Primæ Substantiæ pro materiali, & isti habent pro natura communi ipsum hominem in sua Specie, & vltra hanc communitatem naturalem, est alia communitas modalis, hoc est, quia tam Petrus, quam Franciscus, est Substantia Prima, quæ primò & per se substat accidentibus, non tamen iste modus est ita communis sicut genus aut species, quia sic esset substantia secunda, sed est communis tãquam Prima Substantia vt quo, non vt quod, hoc est, tanquam formale constitutiuũ Primæ Substantiæ, & quemadmodum dictum est in Prædicabilibus cap. 2. Artic. 7. circa indiuiduum vagum, quod aliquis homo importat modum particularẽ in communi, qui modus vocatur subsistere in natura humana, ita & nũc dicendum est, quod substare primò est quidam modus communis omnibus primis substantijs, & constitutiuus Primæ substantiæ.

Conclusio. Substantia Prima, si sumatur pro illo modo per quem constituitur realiter in ratione Primæ Substantiæ, est verè vniuersalis.

Prob. Modus qui cõstituit substãtiã Primam, nihil aliud importat nisi substare primò accidẽtib. & etiã ꝑ se subsistere: sed hoc est cõmune omnib. Primis Substãtiis. Ergo Substãtia Prima si sumatur ꝑ illo modo, est vere cõmunis.

 Maior

Maior & Minor facilè deducitur ex his quæ dicta sunt in Corpore.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum Distinguo Minorem. Sed particulare non est Vniuersale, si sumatur particulare realiter formaliter, cōcedo minorem, modaliter nego. Vnde licet particulare non sit vniuersale, tamen esse particulariter est multis commune, vt patet.

Resp. ad II Ad secundum negoMinorē. Ad cuius probationem dico, quod iste modus, hoc est, primò substare accidentibus, est Substantia Prima vt quo, non vt quod, quia constituit formalissimè primam substantiam pro materiali.

ARTICVLVS V.

Vtrum definitio Secundarum Substantiarum sit conueniens?

Argum. I. VIdetur quod nō. *Primò.* Aristot. cōsiderat hic Substantiam vt substat accidentibus, sed Genera & species non substant accidentibus. Ergò non debent vocari substantiæ, & per consequens immeritò ab Arist. definiūtur, Maior patet ex Artic. I. huius capitis. Minor verò probatur. Nam substare accidentibus est quoddam accidēs commune, sed accidens cōmune conuenit tantum indiuiduis, & non generi aut speciei, vt in Prædicab. cap. 4. Articulo I. in corpore dictum est. Ergò substare accidentibus nō conuenit generi aut speciei.

Argum. II *Secundò:* omnis substātia per se existit: sed species & genera non existunt per se. Ergò non

sunt

ſunt Subſtantiæ,& ita Ariſtoteles fallit in ſua doctrina. Minor prob. Nam ſi Genera & Species per ſe exiſtunt , redibit opinio Platonis aſſerentis vniuerſalia ſubſiſtere extra intellectum, quam reiecimus in procemio Prædicabilium.

Tertiò. Si Genera & Species eſſent Secundæ Subſtantiæ, ſequeretur, quòd hoc ideò erit, quia Genera & Species ſubſtant accidentibus ſecundariò, hoc eſt, propter ſubſtantias Primas. Sed hoc non eſt dicendum, ergò Genera & ſpecies non ſunt ſecundæ ſubſtantiæ. Minor prob. Secundæ Subſtantiæ ſunt in Primis, verbi gratia, animal, eſt in Petro, Franciſco &c. ergò primæ ſubſtantiæ ſubſtant propter ſecundas, & non è conuerſo.

Reſpondeo. Quod Ariſtoteles definiebat ſecundam ſubſtantiam hoc pacto: Secūdę ſubſtantiæ ſunt Genera & Species, in quibus ſunt primæ ſubſtantię, verbi gratia, homo, animal, corpus, &c. ſunt ſubſtantiæ ſecundæ præſertim ſi conſiderentur pro ſubſtratis, non autem pro ipſa intentione , & in iſtis ſecundis ſubſtantijs inueniuntur Primæ, nimirum Petrus, Franciſcus, &c. propter quas primas ſubſtantias ſecundę ſubſtantię ſubſtant accidentibus, nam quia Petrus eſt albus, ideò homo eſt albus: quia Petrus eſt religioſus, & ſubſtat accidenti religionis, homo dicitur religioſus, non è contra. Vt ergò intelligas definitionem prędictam, *Reſolutio*

Quomodo substantiæ secundæ contineant primas, & è conuerso.

Aduerte: quòd multoties inueniuntur in mundo res huiusmodi, quarum vna continet aliam, secundum vnam rationem,& tamen continetur ab illa secundum aliam rationem considerata: patet hoc in ipsó homine, de quo potest dici,quod continet domum, & est domus in illo: nam si loquamur de homine volente ædificare domum, revera ille homo continet domum, hoc est, possidet in intellectu suo quoddam exemplar & quandã idęam, ad cuius similitudinem producit domum ad extra,& præterea idemmet homo artifex continetur à domo facta, hoc est, in quantum habitat in domo, & per eam circumscribitur. Sic ergò in proposito, Substantiæ Secundæ & Substantiæ Primę ita se habent, quòd Substantiæ Primæ continentur in secundis, v. g. Petrus in homine,& in animali,& etiam animal,& homo,in Petro,diuersa tamen ratione: nam Substantiæ Secundæ continent Primas virtualiter & potestatiuè, Primæ autem substantiæ continent secundas actualiter & quidditatiuè,v.g. animal est substantia secunda, & Petrus,Franciscus &c. sunt Primæ Substantiæ,in quo Petro continetur & homo,& substantia,& corpus,continentiâ actuali, hoc est, quia intra essentiam & actualitatem naturalem Petri,clauditur natura hominis, animalis,corporis,&c animal autem & corpus, quæ sunt Substantiæ Secundæ, continent etiam Petrum,sed tantum virtualiter & in confuso,

hoc

hoc est, quia cognoscendo ego per intellectum quod sit animal nondum scio integram & perfectam essentiam Petri. Recolligẽdo igitur ea, quæ iam sępè diximus, scilicet, quomodò Substantia Prima & secunda, accipitur secundò intentionaliter, & primò intentionaliter, hic autem Aristoteles definit Substantiam secundã pro substrato & materiali, hoc est, pro ipsis rebus quæ denominantur, facillimè tota hæc difficultas comprehendi potest.

Conclusio. Bona est definitio Secundarũ Substantiarũ, in qua dicit Aristot. Quòd Secundæ Substantiæ sunt Genera & Species in quib. sunt primæ substãtiæ.

Probatur. Illa definitio est bona, quæ explicat naturam definiti, & distinguit ipsum ab omni alio, sed hæc definitio explicat naturam Secundæ Substantiæ, & distinguit ipsam ab omni alia Substantia & ab omni accidente. Ergò est bona definitio. Minor prob. Nam per hanc definitionem differt Substantia secunda ab omni accidente, quia dicitur in definitione quod in secundis substantiis continẽtur Primæ tanquam inferius in suo superiori, porrò in accidentibus non continentur indiuidua substantiæ, vt patet de Petro, & albedine. Præterea per hanc definitionem differt Substantia Secunda à Prima, quia dicitur in definitione, quod secundæ substantiæ sunt Genera & Species Vniuersales, Prima autem substantia vt Petrus, & Franciscus nullo modo est Vniuersalis.

Ad primũ igitur dicẽdũ: distinguo Minorẽ.

Sed Genera & Species non substant accidētibus, per se primò, & secundum illud esse, quod habent in se absolutè, concedo Minorem: per se secundò & secundum illud esse quod habent in primis substantijs, quas continent vt dixi, nego Minorem.

Resp. ad II Ad secundum, distinguo Maiorem. Omnis Substantia per se existit, per se primò tantùm, nego Maiorem: per se primò, aut per se secundò, concedo Maiorem, & sic secundæ substantiæ per se secundò existunt, & etiam substant per se secundò, cuius oppositum docuit Plato.

Resp. ad III. Ad tertium, nego Minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens, secundę substantiæ sunt in Primis virtualiter, & tanquā in suo prædicato superiori, nego antecedens, actualiter & tanquam superius in inferiori, transeat, quia ad hoc vt aliquid substet accidētibus secundò, opus est omninò, vt actualiter & secundum essentiam contineatur in illo inferiori quod substat per se primò. Sed pro maiori explanatione huius resolutionis sit,

ARTICVLVS VI.

Vtrum secluso omni opere intellectus Substantia Secunda substet realiter Accidentibus?

Argum. I. Videtur quod sic. *Primò.* Secluso omni intellectu, substantia secunda est realiter substantia, ergò realiter substat accidentibus. Antecedens probatur, nam homo & animal, etiamsi

etiamsi non cognoscantur ab intellectu, sunt substantię secundæ, quia nō ideò homo substat,& dicitur substare,quia cognoscitur,aliâs enim ille homo qui non cognoscitur ab intellectu meo,non esset vera substantia,sed tantum accidens,quod est ridiculum.

Secundò. Accipio pro secunda substantia hominem, & sic argumentor. Ideò homo est secunda substantia, quia substat accidentibus secundariò,nimirum per sua indiuidua, ergò quia Petrus vel Franciscus substat accidentibus,substat homo. Tunc vltra:sed Petrus absque omni opere intellectus sustentat in se accidentia,ergò etiam &homo qui dicitur substantia secunda. *Argum. II*

Respondeo. Quod Resolutio totius difficultatis præsentis in vnico puncto consistit,&est huiusmodi : quod in omnibus secundis substantijs, possumus duo considerare, scilicet, substratum intentionis secundæ, & ipsam intentionem formaliter,si loquamur de substantia secunda formaliter, prout est quædam relatio seu respectus rationis, tunc ista relatio cū sit ens rationis non est extra intellectum, alias enim esset quid reale vt patet. Si verò loquamur de substrato secundarum substantiarum, tunc aliter est iudicandum:nam substratum in secundis substantijs vocantur illę naturæ cōmunes, quæ abstrahuntur per intellectum,& denominantur species, aut Genera, vt homo est substratum secundæ substantiæ, quia abstrahi- *Resolutio. Duo consideratur in secundis substantijs.*

trahitur à Petro & Frãcisco, & ex vi abstractionis habet hoc, vt denominetur Secũda Substãtia, ab illa relatione rationis, quæ vocatur relatio secũdi substãtis, sicut multoties in Prædicabilib. de Genere & Specie dictum est. Et hoc modo sumẽdo secũdas substãtias, nihil ꝓhibet eas reperiri realiter extra intellectũ in Primis Substantijs, seu in singularibus; datur enim Vniuersale in reb. pro materiali extra intellectũ.

Conclusio. Substantia Secunda sumpta formaliter, non substat accidentibus secluso omni opere intellectus.

Probatur. Tunc substantia secunda sumitur formaliter, quando accipitur pro illa relatione rationis, quæ vocatur relatio secundi substantis, & vt verbis textus vtamur, quando accipitur pro Genere & Specie formaliter. Sed Genus & Species formaliter, non habent esse secluso omni opere intellectus: ergò secundaSubstãtia formaliter nõ subest accidentibus secluso omni opere intellectus. Minor patet sæpius ex Porphyrio in Prædicab. & maximè in articulis quos formauimus circa proœmium.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum, distinguo antecedens; secluso omni intellectu Substantia Secunda est realiter Substantia, Sumpta pro substrato & materialiter, concedo antecedẽs; nam homo & animal est realiter extra intellectum, Sumpta pro formali, nego antecedens, cum sit ens rationis, vt patet.

Ad se-

Ad secundum, eadem responsione distinguo consequentiam: Ergò etiam & homo qui est Secunda Substantia, substat accidentibus; qui est substantia formaliter, nego consequentiam, pro substrato & materialiter, concedo consequentiam. *Resp. ad II*

ARTICVLVS VII.

Vtrum tertia & quarta proprietas Substantiæ sint conuenienter aßignatæ ab Aristotele?

VIdetur quod non. *Primò.* Contra tertiam Proprietatem. Nam tertia proprietas Substantiæ erat hæc: omnis Substantia videtur significare hoc aliquid. Tunc sic argumẽtor: Petrus est Substantia. Sed Petrus non significat hoc aliquid. Ergo non omnis Substantia significat hoc aliquid. Minor prob. illud significat hoc aliquid quod potest cognosci ab intellectu, sed Petrus non potest cognosci ab intellectu cum sit materialis, ergò Petrus non significat hoc aliquid. *Argum. I*

Secundò. Genera & Species sunt verè substãtiæ vt dictum est. Sed Genera & Species non significant hoc aliquid sed tãtum quale quid. Ergo vt prius. Minor est manifesta in Textu. *Argum. II*

Tertiò. Contra quartam Proprietatem: multæ sunt Substantiæ, quæ habent sibi aliquid contrarium, vt patet in igne, & aqua, quæ sunt substantiæ; & tamen contrariantur inter se, & simi- *Arg. III.*

omnis Subſtantia, hoc aliquid ſignificat. Excipitur tamen ab hac proprietate ſubſtãtia ſecũda; verbi gratia, homo, animal. &c. eò quòd illa nõ eſt indiuidua, ſed potius eſt Vniuerſalis; vnde Subſtantia ſecunda magis ſignificat quale quid, & non hoc aliquid: volo dicere, quod Subſtantia ſecunda ſignificat naturã ſeu formã ſubſtantialẽ, quæ poteſt multis communicari; verbi gratia, Homo, ſignificat naturam humanam, quæ cõmunicatur Petro, Franciſco &c. & ita homo ſignificat, quale quid, hoc eſt, formam quidditatiuã, quæ forma ſeu natura vocatur Quale, quia concipitur per modum abſtracti. Pro declaratione autem Proprietatis quartæ, in qua dixit Ariſtoteles: quod ſubſtantiæ nihil eſt contrarium;

Aduerte: quod contrarietas ſumitur dupliciter: propriè & communiter, *Illa* vocãtur cõtraria propriè, quæ habẽt formas repugnãtes, & non poſſunt manere ſimul in eodem ſubiecto; ſed vnâ adueniente altera recedit, ſicut calor & frigus, ſiccitas & humiditas ſunt contraria propriè. Et hoc modo intelligitur Ariſtoteles, in hac Proprietate, dum ait, quod vna Subſtantia nunquam habet aliam ſibi contrariam. *Duplex cõtrarietas.*

Illa autem dicuntur contraria impropriè & cõmuniter, quæ aliquo modo sũt inter ſe oppoſita ex eo quia nõ poſſunt eſſe ſimul, & hoc pacto poteſt dici ꝙ in ſubſtãtijs inuenitur cõtrarietas, vt eſt videre in omnibus differentijs

substantialibus, verbi gratia, rationale & irrationale, sunt quodammodò cõtraria, quia idē numero animal, non potest simul aut successiuè, vtramq; differentiam in se recipere. Ignis autem, & aqua, sicut & alia elementa, non cõtrariantur in suis naturis substantialibus, sed tãtum penes qualitates, quia nimirum in igne est qualitas siccitatis, & in aqua humiditatis, præterea in igne est calor, & frigus in aqua.

Conclusio. Tertia proprietas & Quarta, conuenienter attribuuntur Substantiæ ab Aristot.

Probatur prima pars: Illud quod est per se completum & perfectum, est quodammodò hoc aliquid seu particulare. Sed omnis Substantia est in se perfecta, ergò omnis substantia videtur hoc aliquid significare.

Secunda verò pars probatur: Illa dicuntur cõtraria propriè quæ maximè distant abinuicem sub eodem genere & ab eodē subiecto mutuò se expellunt. Sed Substantiæ non inhęrent alicui subiecto, à quo se mutuò possint expellere. Ergo Substantiæ nihil est contrarium. Maior est Aristotelis 6. Metaph. & in Postprędicamentis inferius.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendũ. Nego Minorē: ad cuius probationem distinguo Maiorem, illud significat hoc aliquid quod potest cognosci ab intellectu, directè & per se primò, nego Maiorem: indirectè & quasi secundariò, concedo Maiorem, & ita Petrum cognoscit intellectus: nam primò cognoscit quidditates & natu-

naturas rerum, deindè secundariò cognoscit illa particularia, quæ habent tales naturas, vt puta Petrum, Paulũ, primò ergò natura Petri cognoscitur & secundariò Petrus.

Ad secundum cõcedo totum, scilicet quod Genera & Species non significant hoc aliquid, sed quale quid, hoc est, significant naturã Vniuersalem, quæ est veluti quidditatiua & essentialis qualitas suorum inferiorum, vt homo, animal &c. *Resp. ad II.*

Ad tertium nego antecedens, ad cuius probationem dico, quod ignis & aqua non contrariantur inter se ratione substantiæ formaliter, sed ratione qualitatum contrariarum, vt dictum est. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum quinta & sexta proprietas Substantiæ sint cõuenienter aßignatæ ab Arist?

VIdetur quod non. *Primò* contra quintam. Nam quinta proprietas Substantiæ erat huiusmodi: Substantia non recipit magis & minus. Tũc sic argumẽtor: anima intellectiua est substantia, saltem partialiter & reductiuè. Sed hæc potest esse magis & minus perfecta essentialiter vt docet S. Thomas prima parte quæst. 85. Artic. 7. Ergò substãtia recipit magis & minus.

Secundò. Substãtia suscipit maiorẽ & mino- *Argu. II.*

rem quantitatem. Ergò suscipit magis & minus. Antecedens patet ad sensum. Nam vnus homo maioris est magnitudinis & extensionis quam alius.

Tertiò contra vltimam proprietatem: nam vltima Proprietas erat talis, maximè propriũ est substantiæ quod, vna & eadem numero, suscipiat contraria. Tunc sic argumẽtor: multæ sunt res quæ recipiunt in se contrarias formas & tamen illę res nõ sunt Substãtiæ. Ergò hoc nõ est maximè propriũ substãtiæ. Antecedẽs prob. Nã superficies recipit albedinem & nigredinẽ, similiter linea recipit curuum & rectũ, & præterea actio eadẽ numero manẽs, potest esse iusta & mala, vtpote si modò non sit prohibita & postea prohibita. Sed superficies, linea, & actio, non sunt substantiæ, ergò multæ sunt res quæ recipiunt in se formas contrarias, & tamen illæ res non sunt substantiæ.

Resolutio. *Respondeo*. Quod proprietas quinta Substãtiæ, vt dictum est, erat huiusmodi: Substantia non recipit magis & minus, vt vnus homo, non est magis homo in vno tempore quam in alio. Ad cuius euidentiã sciendũ est, quod proprietas ista in triplici sensu potest intelligi.

Suscipere magis & minus tripliciter potest considerari.

Primò, substantia non recipit magis & minus, hoc est, substantia vna non est magis perfectior quam alia, & iste sensus est falsus: nam manifestè videmus quod bruta perfectiora sunt secundum naturam & substantiam suam quam

quam plantæ, vel arbores, ſicut anima ſenſitiua perfectior eſt quam anima vegetatiua, ſimiliter natura hominis excellit naturã bruti &c. Vnde dicit Ariſtoteles in lib. decimo Metap. quod in omni genere inuenitur aliquod primum, quod eſt menſura omnium eorum, quę continentur ſub illo genere, verbi gratia, in genere ſubſtantiæ perfectiſſimum eſt Lucifer ſeu primus Angelus, quæ eſt veluti quædam menſura, ſecundum quam menſurantur omnia quæ continentur in ſubſtantia, non menſura per replicationem, ſicut vlna ſępius replicata menſurat pannum, ſed eſt menſura ſecundum perfectionem tantum, adeò vt etiam tanto aliqua Subſtantia animata eſt perfectior, quanto magis naturæ ſuperiori fuerit propinquior, ſicut ouis eſt animal perfectius quam aſinus, quia magis accedit ad naturam hominis per quandam manſuetudinem, & ſimiliter inter corpora cæleſtia, luna eſt perfectius ſydus quam taurus, quia luna magis accedit ad ſolem & ſic de alijs.

Secundus ſenſus poteſt eſſe in hunc modum: Subſtantia nõ recipit magis & minus, hoc eſt, vna Subſtantia non magis ſubſtat accidentibus, quam alia, & iſte etiam ſenſus non eſt intentus ab Ariſtot. Et ratio eſt, nam ipſe docuit in ſuo Textu, quod ſubſtantia quatenus dicitur à ſubſtando quædam eſt prima, quæ magis, principaliter, & maximè ſubſtat, vt Petrus Franciſcus & alia indiuidua, & quædam eſt

secunda, quæ secundariò & minus substat quã prima, vt homo, animal, &c. ac si diceret Aristoteles, substantia prima magis est substantia quam secunda.

Tertius tandem & vltimus sensus prædictorum verborum est iste: substantia non recipit magis & minus, hoc est, si accipiamus aliquã substantiam in mundo, tunc illa substantia est ens per se existens, non magis in vno tempore quam in alio, v. g. Petrus, qui hodie viuit, est substantia, & iste nunquã erit magis aut minus substantia, quam nunc. Cum hoc tamen stat, quod licet vnus homo, non sit magis homo in vno tempore quam in alio, tamen potest vti ratione magis in vno tempore, quam in alio, propter varias corporis dispositiones: nam pueri licet sint rationales, non tamen possunt vti ratione, propter indispositionem potentiarum organicarum: sic etiam vnus homo est maior in vno tempore quam in alio, secundum quantitatem molis, sed non est magis homo: & in hoc tertio sensu intelligenda est Proprietas tradita ab Aristotele.

Sexta autem & vltima Proprietas Substantiæ erat huiusmodi. Maximè propriũ est substantiæ, vt vna eademque numero permanens, sit susceptiua contrariorum. Pro cuius intelligentia, vnicum tantummodò est aduertẽdum, scilicet quod recipere in se contraria stat dupliciter: vel tanquam subiectum quo, vel vt quod. Illud recipit contraria vt subiectum quod, quod virtute suâ & nõ alterius subijcitur

Dupliciter aliquid recipit in se contraria.

formis cõtrarijs, v. g. homo recipit albedinẽ & nigredinẽ, frigus & calorẽ &c. & hoc pacto est intelligẽd' Arist. dũ ait: quod recipere formas cõtrarias est proprium Substantiæ. Illud autẽ recipit cõtraria tanquã subiectum quo, quod non virtute suâ sed virtute alterius sustentat cõtraria, v. g. quantitas & superficies non reciperet albedinẽ, nisi illam reciperet substãtia, nec linea fieret recta aut curua, nisi ferrum vel tabula in qua est huiusmodi linea, reciperet curuitatem vel rectitudinem.

Conclusio. Duæ proprietates postremæ conuenienter aßignatæ sunt ab Aristotele.

Probatur prima pars. Illud ens recipit magis & minus quod in vno tempore magis participat de naturali perfectione quam in alio. Sed substantia non est huiusmodi, vt dictum est. Ergò.

Secunda verò pars probatur. Illud est propriè susceptiuum contrariorum, quod est subiectum sustentans suâ virtute contraria. Sed sola substantia suâ virtute sustentat accidentia. Ergò sola substantia est susceptiua contrariorum.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, scilicet quod vna anima intellectiua possit esse perfectior essentialiter, quam altera, hoc enim implicat cum sint eiusdem speciei: concedo tamen, quod vna potest esse perfectior in vno quam in alio indiuidualiter, hoc est, ex parte corporis, adeò vt in *Resp. ad I.*

 cor-

corpore melioris cõplexionis sit anima quodammodò melior, iuxta illud quod dicit Aristot. lib. 2. de Anima: molles carne mente sunt aptiores: sed de hoc suo loco tractãtes de Anima dicemus, interim videatur Magister Soto in hoc dubio.

Resp. ad II Ad secundum nego consequentiam, nam ideò quia substantia recipit maiorem vel minorem quantitatem recipit maius & minus, non tamen magis & minus, vt patet.

Resp. ad III. Ad tertium, nego Maiorem. Ad cuius probationem distinguo Maiorem. Superficies, linea &c. recipiunt contraria tanquam subiectum quo, concedo Maiorem, vt quod nego, quod erat omninò necessariũ, ad hoc vt ista proprietas alteri præter substantiam conueniret. Et quoniam nihil amplius de substantia dicendum occurrit, idcircò hęc sufficiant, nam quæstiones illę quas nonnulli excitant in hoc capite de Deo, & Angelis, vtrum reponantur in Prædicamento, propriam sedem obtinent in Theologia, & non in Logica.

CAPVT SEXTVM DE QVANTITATE.

SVMMA TEXTVS.

Quantitas duplex, cõtinua & discreta. PRima conclusio. Quantitas dupliciter diuiditur. Prima diuisio est, quędam quantitas est continua, & quædam discreta. Illa vocatur

catur quantitas continua, cuius partes copulantur ad vnum terminum communẽ: quantitas autem discreta est, cuius partes non copulantur ad vnum terminum communem, verbi gratia, quantitatis continuæ sunt species quinque, videlic. Linea, cuius partes copulantur puncto.

Quantitatis continuæ species quinque.

Secunda species dicitur Superficies, cuius partes copulantur, vnico termino communi, hoc est, lineā, nam si quis viderit aliquam superficiem, vt puta mensæ aut tabulæ, tunc ibi apparet, quod superficies vna continuatur ex lineis, adeò vt superficies ipsa, nihil aliud esse appareat nisi lineæ plurimæ simul concurrentes.

Tertia verò species vocatur Corpus, cuius partes copulantur termino communi, hoc est, superficie, nam si diuidas aliquod corpus in duas partes, tunc si postea illas partes volueris componere, iam redditur corpus continuũ seu coniunctum per medias superficies, ita vt vna pars coniugatur alteri, per suam superficiem.

Quarta Species est Tempus, cuius partes copulantur vnico termino communi, nimirum instanti, nam partes temporis sunt præteritũ & futurum, & istæ partes efficiuntur vnicum tempus propter instans.

Quinta & postrema species quantitatis continuæ vocatur Locus, cuius partes copulantur adinuicem sicut & partes illius rei quæ con-

Quãtitatis discretæ species duæ.

tinetur à loco. Et hæ sunt species quantitatis continuæ. Quantitas autem discreta, duas tantum habet species, hoc est, Numerum & Orationem, hæc enim sunt quantitates discretæ seu separatæ, quia partes earum non copulantur aliquo termino communi, vt patet ad sensum. Accipias namque ipsum numerum vt 5. tunc iste numerus habet aliquas partes, v.g. duo & tria, & si apposueris aliquam vnitatem mediam, quæ possit coniungere adinuicem partes prædictas iam efficies alium numerum, scilicet 6. & hoc idem est dicendũ de Oratione vocali, ista enim quod sit quantitas, exinde deducitur, quia mensuratur syllabâ longâ & breui, quæ sunt quantitates. Quòd vero Oratio sit aliquid discretum, manifestum est, quia partes orationis, nimirum syllabæ, nõ copulantur aliquo termino communi.

Alia quantitatis diuisio.

Secunda diuisio. Quantitas quædam est quæ habet positionem & permanentiam partium in toto continuo, vt est videre in linea, superficie, corpore & loco, nam partes omnium horum permanent alicubi. Quædam verò quantitas est, quæ non habet positionem & permanentiam in aliquo continuo, vt numerus, tempus, & oratio: nemo enim potest certò demonstrare vbi sint positæ partes alicuius numeri, nimirum vnitates, & quomodò copulentur: similiter in tempore, nulla pars temporis permanet, & pręterea oratio non habet positionẽ partiũ, nã si profers aliquam dictionem,

nem,tunc ibi nulla pars dictionis permanet, sed omnes syllabæ transeunt, postquam sunt prolatæ.

Secunda Conclusio. Tres sũt proprietates quãtitatis. *Prima* est. Quantitati nihil est contrarium, nam si quis assumat Lineam, Superficiem, Bicubitum &c. apertè hoc videre potest, quod vna linea non contrariatur alteri, nec vna superficies alteri. *Proprietates quantitatis tres*

Si quis autem obijciat. Quod magnum & paruũ sunt quãtitates & tamẽ contrariantur. *Obiectio.*

Ad hoc facillimè respondetur. Quod magnum & paruum non sunt quantitates, sed potius relationes, quia mons dicitur esse magnus, non absolutè, sed per respectũ ad miliũ vel ad infantẽ vel etiã potest dici aliter: quod magnũ & paruũ nõ sunt cõtraria, & ratio est, quia põt esse vna & eadẽ res q̃ dicitur magna & parua simul, secundum diuersos respectus, contraria autem non possunt simul esse in eodem subiecto, & hoc idem applicandum est ad multum & paucum, quæ etiam non sunt contraria. *Solutio.*

Secunda proprietas. Quantitas non recipit magis & minus, nam vnum bicubitum, non est magis bicubitum quam alterum, & vnũ tempus non est magis tempus, quam aliud, & sic de aliis speciebus.

Tertia proprietas. Maximè proprium est quãtitati, quod secundũ eam dicatur aliquid æquale vel inæquale: nã duo corpora si habent eãdẽ longitudinẽ, æqualia sũt, propter eandẽ

quantitatem, longitudo enim quantitas eſt. Hæc de textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Quantitas diſtinguatur à re quanta.

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Illud quod non eſt de eſſentia alterius, poteſt ſine illo cognoſci, ſed ſubſtantia corporea de qua in Prædicamento præcedente determinauimus, nõ poteſt abſque quantitate cognoſci. Ergo quãtitas eſt de eſſentia ſubſtantiæ corporeæ, & conſequenter non diſtinguitur ab illa. Maior eſt manifeſta, nam benè poſſum cognoſcere lupum, neſciendo quid ſit cælum aut lapis, quia hæc non ſunt de eſſentia lupi. Minor verò probatur: accipiamus enim aliquam rem quantam verbi gratia, hominem vel menſam aut aliquid ſimile, tunc ſic argumentor: in definitione hominis vel menſæ cadit corpus, quia reuera homo eſt animal, & animal eſſentialiter eſt corpus. Sed corpus eſt quantitas. Ergo in definitione hominis ſeu rei quantæ, cadit quantitas, & conſequenter ſubſtantia quanta non poteſt intelligi abſque quantitate.

Argum. II *Secundò.* Si quantitas diſtingueretur realiter à ſubſtãtia quanta. Ergò poterit Deus cõſeruare ſubſtantiam ſeorſim abſque quantitate. Tunc ſic argumentor: in hoc caſu ſi ſubſtantia remaneret in mundo ſine quantitate, illa ſubſtantia eſſet vna, ergò haberet partes con-

continuas, vtputa caput, manus, brachia: ſed eſſe continuum eſt ſpecies quantitatis. Ergo etiã in illo caſu ſubſtantia quanta ſeu corporea, non diſtingueretur eſſentialiter à quantitate.

Reſpondeo. Quod vt ſciamus de quanam quantitate ſit hæc controuerſia inter Philoſophos, aduertendum eſt ex S. Thoma in prima parte quęſt. 42. artic. 1. ad 2. quod quantitas dupliciter ſumitur: quędã eſt quantitas molis, ſeu alicuius magnitudinis: & quædam eſt quantitas virtutis ſeu perfectionis: quantitas molis nihil aliud eſt, niſi quoddam accidens, quod inhæret alicui corpori, & partes eius extendit ad aliquã molem ſeu magnitudinem, verbi gratia, Petrus eſt quantus, quantitate molis, quando ego conſidero quod in Petro eſt quoddam accidens, & iſtud accidens hoc habet officium, vt partes corporis Petri, nimirum manus, brachia, pedes, diuidat abinuicem, & extendat ad maiorem magnitudinem. Quantitas autem virtutis, nihil eſt aliud, niſi perfectio eſſentialis alicuius rei, ſecundum quam aliqua res dicitur magna vel parua, hoc eſt, in maiori vel minori gradu perfectionis. Et iuxta hunc modum ſolemus dicere: quod angelus eſt maior homine, & homo eſt maior leone, & formica maior eſt quam cœlum, aut aliqua arbor, quia eſſentialiter eſt perfectior. Et quoniam hæc quantitas virtutis ſeu perfectionis inuenitur in omnibus decem Prædicamen-

Reſolutio.

Duplex acceptio quãtitatis Molis & Virtutis.

camentis, quia vnum eſt altero perfectius, idcircò de illa modò non currit quæſtio, ſed tãtum de quantitate molis, ſeu magnitudinis, & quærimus, Vtrum diſtinguatur eſſentialiter à re quanta, hoc eſt à ſubſtantia corporea. Pro cuius difficultatis reſolutione,

Quæ ſint idem eſſentialiter.

Dico, quod tunc nos cognoſcimus aliqua eſſe idem eſſentialiter, quãdo formaliter de ſe ipſis prædicantur. Voco autem prædicationem formaliter, omnem illam propoſitionem quæ non eſt denominatiua ſicut eſt hæc, Paries eſt albus, Homo eſt Logicus &c. & de iſtis Propoſitionibus conſtat, quod eſſentialiter diſtinguuntur, quia vt diximus antea in cap. 1. de Anteprædicamentis artic. 5. forma denominans aliquod ſubiectum debet habere eſſentiã & naturam diſtinctam ab eſſentia ſubiecti, adeò vt hæc Propoſitio, Homo eſt animal, non ſit denominatiua, propter hanc cauſam, quia nimirum animal, eſt de eſſentia hominis. Applicando ergo ad propoſitum: quia omnia Prædicamenta accidentium dicuntur de ſubſtantia denominatiuè, vt homo eſt albus & nõ albedo, eſt magnus Logicus, & non magna Logica &c. hinc eſt quòd tam quantitas quã reliqua omnia prædicamenta diſtinguuntur realiter à ſubſtantia corporea ſeu quanta.

Concluſio. Quantitas diſtinguitur realiter à ſubſtantia quanta.

Probatur. Illa diſtinguuntur realiter, quæ ita ſe habent, quod vnum eorum poteſt tranſmutari

tari & alterum non. Sed quantitas & ſubſtantia corporea ita ſe habent adinuicem quod poteſt tranſmutari quantitas,& non ſubſtãtia. Ergò quantitas diſtinguitur realiter à ſubſtãtia corporea ſeu quanta. Minor probatur: nam quando Petrus, v.g. mutatur & creſcit, tunc ibi augetur & mutatur quantitas ſeu magnitudo Petri, & tamen eadem eſt corporeitas & ſubſtantia.

Præterea multis replicis poſſet hoc idem confirmari: ſi enim quantitas eſſet idem quod ſubſtantia, profectò eſſet ſubſiſtens, & quod magis vrget, neceſſum eſſet concedere quod ſubſtantia cognoſcitur per ſenſum ſicut & quantitas, quod abſurdum eſt: nam quid ſit ſubſtantia ſolus intellectus cognoſcit, vt in libris de Anima Deo iuuante dicemus.

Ad primum igitur dicendum, diſtinguo Minorem. Sed Subſtantia corporea non poteſt cognoſci ſine quantitate, in ratione entis, hoc eſt, vt eſt ſubſtantia, nego Minorem: in ratione quanti, hoc eſt, vt eſt quanta, concedo Minorem. Ad probationem autem iam dictũ eſt ſupra in Antepręd.cap. 3. de Regulis. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum nego conſequentiam, non enim omnia illa quæ diſtinguũtur realiter poteſt Deus ſeparare, ſicut etiam de Proprio & de materia prima eſt manifeſtum: nam riſibile diſtinguitur realiter ab homine, & tamen non poteſt ab homine ſeparari, ſicut & materia nunquam eſt ſine Forma. *Reſp. ad II*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum quando diuiditur Quantitas in continuam, & discretam, diuidatur Genus generalissimum in suas species?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò.* Illud est Genus vniuocum quod æqualiter participatur à suis speciebus. Sed quantitas non æqualiter participatur à quantitate continua & discreta. Ergò quantitas non est genus vniuocum ad quantitatem continuam & discretam. Maior est manifesta: nam animal est genus ad hominem & equum, quia prædicatur de illis æqualiter. Minor verò probatur: nam quantitas vt sic, prius prædicatur de quantitate continua, quam de discreta.

Argum. II *Secundò.* Nunquam dantur in rerum natura tales species quarum vna fiat ex altera, sicut albedo non est ex nigredine, nec asinus potest fieri ex homine, quia istæ species distinguuntur secundum suas proprias naturas. Sed quãtitas discreta fit ex quantitate continua. Ergò ista duo non sunt Species quantitatis. Minor est manifesta ex illo axiomate communi, numerus causatur ex diuisione continui.

Argu. III. *Tertiò.* Quando dantur aliqua duo, quæ ita se habent quod vnum eorum est quædam essentia, & alterum est propria passio, tunc cuicunque conuenit essentia, eidem conuenit & propria passio, sicut in exemplo, rationale & ri-

& risibile ita se habent adinuicẽ, quod rationale est natura hominis,& risibile est propria passio,vnde cuicũq; cõuenit rationalitas,eidẽ conuenit risibile,& è contra. Tunc sic: Sed diuisibilitas seu posse diuidi est propria passio quantitatis,quæ nõ cõuenit quantitati discretæ. Ergò neq; essentia quãtitatis vt sic cõuenit quantitati discretæ, & consequenter non erit species quantitatis vt sic. Minor probatur: nã quantitas discreta: verbi gratia,numerus iam habet partes de facto discretas seu diuisas,hoc est, diuersas vnitates. Ergò non potest diuidi amplius quia est diuisus.

Respondeo. Quod quantitas secundum rationem formalissimam cõsiderata nihil aliud est, nisi quædam forma accidentalis quæ dum inhæret alicui subiecto,efficit hoc in illo quod illud subiectum habeat partes extensas,hoc est, vnam partem extra aliam,verbi gratia. Quando ego audio ab aliquo Philosopho, quod Paulus habet quantitatem, nihil aliud debeo intelligere,nisi quod in Paulo est quoddam accidẽs,quod illi inhæret & efficit hoc,vt Paulus habeat brachia extra manus,& pedes extra caput &c.& hoc totum vocatur à Philosophis extensio partium,& est de essentia quantitatis. Possumus autem de ipsa quantitate iudicare sicut de luce solis: nam quemadmodum lux, est causa vt ipsamet videatur ab oculo,& vltra hoc,facit etiam vt omnia quæcunq; vidẽtur in mundo videantur propter hanc causam, quia

Resolutio.

Ratio quãtitatis formalissima.

R sunt

sunt lucida, ita similiter & quantitas considerata in communi & absolutè est ratio quędam propter quam aliqua substantia corporea habet partes extensas, hoc est, vnam partem extra aliam, & vltra hoc ipsamet quantitas reddit se ipsam quantam, & extensam in aliquo subiecto, sicut lux reddit se ipsam visibilem, vnde si daretur aliquod ens quod esset quidem substantia, sed tamen non haberet quãtitatem, tũc non possumus ibi demonstrare, vbinam sint partes eius distinctè, nimirum caput, manus, brachia &c. sicut de facto docet Durandus & alij Scholastici cum ipso in. 4. sentent. distinct. 10. qu. 2. quod in Sacramẽto altaris est corpus Christi sine propria quantitate. Ac si diceret, quod habet quidem caput, pedes & manus, sed ista õnia nõ sũt extẽsa, secũdũ quod extẽditur Sacramentum. Cõsiderando igitur quãtitatẽ metaphysicè seu entitatiuè, omnia hæc prædicta conueniunt illi formaliter.

Cæterum si quantitas consideretur Logicè seu prædicatiuè, tunc pro formali dicit quãdã relationẽ rationis, quã format intellectus ex eo, quia videt aliquod accidẽs quod inhæret subiecto, & dat illi extẽsionẽ partiũ, & illa relatio vocatur à Logicis quãtitas, quam hic Aristot. inter Generalissima constituit. Diuiditur autem cõmuniter in continuã & discretã, tãquã Genus Generalissimum in suas Species subalternas, quæ quidem species diuersæ sunt, sicut homo & equus sub animali, atq; adeò alia est extensio & alterius rationis in quantitate

continua, & alterius in quantitate discreta, sicut alia est definitio animalis in homine vt homo est, & alia in equo. Nam in quantitate cõtinua est extensio partium continuarum, & in discreta partium discretarum, sicut animal in equo est irrationale, & rationale in homine.

Conclusio. Quando diuiditur quantitas in continuam & discretam, diuiditur Genus Generalissimum, in Species Subalternas.

Probatur. Ad hoc vt aliquid sit verè genus, requiritur omnino vt contrahatur à suis speciebus per differentias oppositas. Sed quãtitas in communi sumpta, contrahitur à quantitate continua & discreta per differẽtias oppositas. Ergò quantitas diuiditur in quantitatem cõtinuã & discretam, tanquã Genus in suas species. Maior patet in animali, quod cõtrahitur ab homine & equo, per medias differẽtias, cuiusmodi sunt rationale & irrationale. Min. verò probatur: nã extẽdere partes cõtinuas, quæ nimirum copulãtur aliquo termino cõmuni, & similiter extendere partes discretas, sunt diuersę extensiones, & sunt differẽtiæ oppositę, vt patet ad sensum.

Ad primum igitur dicẽdum, nego Minorẽ: *Resp. ad I.* ad cuius probationem dico, ꝙ licet quantitas discreta dependeat à quantitate continua, quo ad existentiam, non tamen dependet in sua definitione & natura, sicut in exemplo; omnia corpora inferiora depẽdent à corpore cælesti quo ad existentiã, nõ tamẽ quo ad definitione,

poſſum enim ego definire corpus aliquod, vt puta bouem, vel menſam, aut domum, non ponendo cœlum in illa definitione, ac proinde corpus vt ſic, eſt ſuperius vniuocum ad corpus cæleſte, & ad alia corpora inferiora. Ita ergò in propoſito.

Reſp. ad II Ad ſecundum, diſtinguo Maiorem, nunquã dantur in rerum natura tales ſpecies quarum vna fiat ex altera, ſi vtraque conſideretur formaliter, & inquantum ſunt ſpecies, concedo Maiorem, ſi autem conſideretur materialiter ſeu pro indiuiduis, tunc indiuiduum vnius ſpeciei benè poteſt fieri ex indiuiduo alterius ſpeciei, v.g. ex hac particulari aqua poteſt eſſe ignis, ſi tamen aqua prius corrumpatur, & ex hoc numero ternario poteſt fieri quaternarius, & ſic eſt in propoſito.

Reſp. ad III. Ad tertium nego Minorem, ſcilicet, quòd diuiſibilitas non conueniat quantitati diſcretæ: ad cuius probationem diſtinguo antecedens, numerus diſcretus iam habet partes de facto diuiſas, ſi conſiderentur illæ partes ſeu vnitates ſecundum eſſe proprium, & in quantum ſunt entia materialiter, concedo antecedens: ſi verò conſiderentur illæ vnitates vt habent eſſe numeri, verbi gratia, ternarij, vel etiam alterius, nego antecedens: ſed de hoc poſtea ſermo redibit.

ARTICVLVS III.

Vtrum ſpecies quantitatis continuæ ſint tantum tres, vt puta Linea, Superficies, & Corpus?

VIdetur quod non. *Primò.* Nam Ariſtoteles in hoc capite expreſſe enumerat quinq; ſpecies quantitatis cõtinuæ: videlicet lineam, ſuperficiem, corpus, Locum, & tempus. Ergò non tantum ſunt illæ tres ſpecies quantitatis continuæ. Conſequentia probatur, nã Ariſtot. falsò enumeraret tempus, & locum inter illas. *Argum. I.*

Secundò, quando inueniuntur aliquæ ſpecies in mũdo, quæ eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur, tunc in vna earum non includitur altera, ſicut albedo & nigredo, ſimiliter equus & homo, quia ſunt ſpecies eſſentialiter diſtinctæ, in definitione albedinis nõ cadit nigredo, nec in definitione hominis, cadit equus, nam alias de natura hominis eſſet equus. Tunc vltra ſubſumo: ſed ſic eſt in propoſito, quod in ſuperficie cõtinetur linea, & in corpore cõtinetur ſuperficies ſimul cum linea. Ergò linea, ſuperficies, & corpus, non ſunt ſpecies inter ſe diſtinctæ, ſed vna & eadem. Minor probatur, nam ita à pluribus hæc tria ſolent definiri. Linea eſt ſola longitudo, cuius extremitates ſunt duo puncta: & Superficies eſt longitudo & latitudo, cuius extremitates ſunt duæ lineę. *Argu. II.*

Corpus autem est longitudo, latitudo & profunditas, cuius extremitates sunt duæ superficies, vbi manifestè apparet, quod longitudo, quæ est linea, & latitudo quæ est superficies, continentur in definitione corporis.

Resolutio. *Respondeo.* Quod quantitas continua, quæ hic diuiditur ab Aristot. nihil aliud est, nisi, quoddam accidens cuius partes copulantur ad aliquem terminum communem, v.g. partes lineæ terminantur, ad punctum.

Duplex punctum accipitur in linea. Sed aduerte, quod duplex punctum in omni linea accipi potest. Primum est in actu, & aliud in potentia. *Illud punctum* est actu in linea, quod terminat & distinguit lineam. verbi gratia, si quis protenderet aliquam lineam ab ista cathedra vsque ad illum parietem, tunc illud punctum quod est propè parietem est actu in linea tanquam terminus lineæ, & illud quod est in cathedra est etiam actu in linea tãquam principium lineæ & ratio est, quoniam hæc duo puncta terminant & distinguunt actualiter lineam.

Punctus in potentia ille vocatur, qui non terminat neque distinguit lineam, sed tantummodò continuat partes lineæ adinuicem, & iste punctus nõ est in principio vel in fine lineę, sed vagatur per totã lineã, dicitur autem esse in potentia, non quod ibi non existat actu, sed quia non distinguit partes lineæ actu. Quãdo ergò dicit Aristot. quod linea est quãtitas continua, cuius partes copulantur ad vnicum terminum cõmunem, intelligendus est

de termino cõmuni, qui est punctus in potentia. Et hoc quantum attinet ad lineam. Quantum verò ad superficiem & corpus. *Sciendum est*: quod istæ duæ Species, nimirum superficies & corpus, ita se habent quòd quælibet earum duas dimensiones importat, vnam pro materiali & quasi præsuppositiuè, & alteram pro formali & quasi vltimatè, v.g. superficies dicit duas dimensiones, nimirũ longitudinem pro materiali & præsuppositiuè, latitudinem verò pro formali. Et corpus similiter pro materiali importat longitudinem & latitudinẽ, & pro formali profunditatem. Ratio huius dicti potest esse talis, nam lineã non alio modo nos intelligimus, nisi quando concipimus aliquem punctum, qui fluit in longitudinem, & quoniam punctus vt sic, non potest fluere in latum nec in profundum, cum sit omnino indiuisibilis, hinc est, quòd linea est sola longitudo sine latitudine & profunditate, cuius extrema sũt duo puncta, & ita punctum in linea est materiale, q̃a substat fluxui lineæ, fluxus verò puncti, h.e. lõgitudo ipsa, est ratio formalis lineæ. De superficie verò simile est iudicium, nã Superficiẽ tũ demũ intelligim⁹, quãdo imaginamur, ꝙ aliqua linea fluit in latũ, v.g. si esset aliqua lõgitudo seu linea recta, quæ inciperet fluere ab hoc lectorio vsq; in forũ, reuoluẽdo se multoties in latũ, tunc ibi ex illo fluxu & reuolutione, causaretur supficies seu latitudo ꝓ formali, cui⁹ tamẽ materiale esset illa linea. De corpore v. dicẽdũ est: ꝙ ipsum corp⁹ seu trina di-

NOTA.

Quæ sit ratio formalis & materialis lineæ, superficiei & corporis.

mensio ex eo causatur, quia nos concipimus, aliquam superficiem fluere in profundum, & idcircò superficies est materiale corporis immediatum, fluxus autem superficiei seu profunditas, est ratio formalis corporis. Et ita tres tantum sunt Species quantitatis continuæ, distinctæ inter se essentialiter, nimirum Linea, Superficies, & Corpus, quia etiam tres tantum sunt extẽsiones cuiuslibet quãtitatis, hoc est, longitudo, latitudo, & profunditas vt benè aduertit Angelicus Doctor, in prima parte quæstione tertia. Articulo. 1.

Conclusio. Tres tantum sunt Species completæ in quas diuiditur adæquatè & sufficienter quantitas cõtinua, adeò vt nõ possint assignari plures vel pauciores.

Probatur. De ratione quantitatis continuæ, est, vt sit quædam extensio partium continuarum, vt dictum est: sed tribus tantum modis potest fieri prædicta extensio. Ergò tres tantũ erunt species quantitatis continuæ. Minor probatur. Nam extenditur aliquid vel secũdũ longitudinem tantum, vel secundum longitudinem & latitudinem simul, vel secundum longitudinem, latitudinem & profunditatem: sed Linea est extensio secundum longitudinem essentialiter, & Superficies est extensio secundum longitudinem & latitudinem, Corpus autem secundum longitudinẽ, latitudinẽ, & profunditatem, Ergo tres tãtum sunt species quantitatis seu extensionis continuæ, quæ species essentialiter inter se distinguuntur.

Ad

Ad primum igitur dicēdum. Admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Nam quando distinguebat Aristoteles quantitatem continuam in illa quinque, non distinguebat eam tanquam in Species completas, sed linea tantum superficies, & corpus, sunt completæ species, vt dictum est. Locus verò & tempus non sunt completæ, nec ponuntur in recta linea huius prædicamenti, vt statim dicam. *Resp. ad Argum. I.*

Ad secundum. Distinguo Maiorem. In vna Specie includitur altera, si consideretur illa altera formaliter, & secundum suam essentiā, concedo Maiorem, materialiter autem nego Maiorem, sicut etiam in numero denario includitur numerus quaternarius, non formaliter, ita quod forma & definitio numeri denarij, sit eadem cum quaternario, sed materialiter, hoc est, illæmet vnitates quæ componebant vel possunt componere numerum quaternarium. Sed vt melius percipias naturam quantitatis continuæ, sit *Ad II.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum Locus, Tempus, & Motus sint veræ species quant. continuæ?

VIdetur quod sic. *Primò* de Loco. Cuicūq; conuenit propria passio alicuius rei, eidem conuenit essentia illius rei: sed propria passio quantitatis continuæ, conuenit loco. Ergo & essentia quantitatis continuæ eidem conuenit. Ergo locus essentialiter est quanti- *Argum. I.*

tas. Maior est certa, nam homo v.g. habet pro sua passione risibilitatem, & ita, cui conuenit esse risibilem, conuenit esse hominem. Minor verò probatur, nam esse mensuram est propria passio quantitatis quæ conuenit Loco vt patet, quia locus mensurat locatum.

Argum. II. *Secundò.* De Tempore. Quantitas, vt iam supra dictũ est, nihil est aliud essẽtialiter nisi extensio quędam partium. Ergò omne quãtum debet esse extẽsum & diuisibile in suas partes. Sed Tempus est diuisibile in partes. Ergò Tẽpus essentialiter est quantitas. Minor prob. Nã præteritum & futurum sunt partes temporis quæ distinguuntur ab instanti, quia illud est indiuisibile.

Argu. III. *Tertiò.* De motu: prædicamentum est coordinatio Prædicabilium, vt iam supra dictum est. Sed motus est quoddam prædicabile. Ergò est in aliquo Prædicamento. Sed in nullo alio præter quantitatem. Ergò motus est Species quantitatis. Minor prob. Nã motus est quoddam Genus quod habet sub se Species diuersas, vt puta. Augmentum, Decrementum, Alterationem, &c. prout enumerãtur ab Aristotele in Postprædicamentis.

Respondeo. Quod in omni ente possumus cõsiderare duo, videlicet naturam seu essentiam, & propriam passionem, verbi gratia, in igne est natura ignis, & est calor, tanquam proprietas, & in homine animal rationale, est natura hominis, & risibilitas est accidens proprium,

& sic

& sic de alijs entibus. Ita ergò in proposito, quantitas duo habet, naturam & propriam passionem. Natura quantitatis nulla alia est, nisi extensio partium, vnde illud ens quod pertinet directè ad Prædicamentum quantitatis, debet habere aliquam extensionem, ex his tribus, cuiusmodi sūt, lōgitudo, latitudo, & profunditas, si autem volumus lōqui de proprietate quātitatis, tunc inter alias proprietates, est etiam hæc, nimirum esse mensuram, ita quod vna quantitas debet mensurari per aliam, vt benè aduertit Magister Ruuius in hoc Prædicamento quæstione prima. Hoc itaq; supposito.

Quæ sit natura & propria passio Quātitatis.

Dico. Quod si consideremus locum in ratione extensionis, nullo pacto est Species quātitatis continuæ, distincta à superficie, quia sicut superficies est extensio secundum longitudinem, & latitudinem tantum, ita & locus: Si autem consideremus locum secundum rationem mensuræ, quæ mensura vt dixi est proprietas quantitatis, tunc benè possumus concedere, quod locus pertinet reductiuè ad Prædicamentum quantitatis, ex eo videlicet, quia mensura est aliquid ipsius quantitatis, h.e. est illi⁹ propria passio: sicut in simili si poneremº aliquod ens in mundo, quod non esset homo, nec esset rationale, tamē haberet proprietatem hominis scili. esse risibile, tunc illud ens pertineret reductiuè ad Prædicamētum qualitatis, sicut

Quomodo locus distinguatur à superficie.

ſicut & ipſa proprietas hominis, ſed hęc ſimilitudo non eſt omninò certa. Hoc etiam dicendum eſt de motu & tempore: nam tempus verbi gratia, in ratione extenſionis, non eſt ſpecies quantitatis, in linea recta Prædicamẽtali, quia tempus eſſentialiter neque eſt longitudo, neque latitudo, neque profunditas, vt patet. Cæterum ſi conſideretur tempus, in ratione menſuræ, ſic poteſt reductiuè pertinere ad quantitatem vt optimè declarat Ariſtoteles libr. quinto Metaphyſicæ, capite 13. vbi ponit hæc verba formalia. Motus & tempus ſunt quantitates per accidens, ex eo, quia illa diuiſibilia ſunt, quorum hæc ſunt paſſiones. Ac ſi diceret Philoſophus, quod motus & tẽpus, non ſunt per ſe in quantitate, quoniam non diuiduntur in partes ſuas ſecundum ſe, ſed tantum per accidens, hoc eſt, quia motio & actio aliqua eſt diuiſibilis & eſt quanta. Sed de his amplius in Phyſicis.

Concluſio. Locus, Tempus & Motus, non ſunt ſpecies quantitatis eſſentiales & præſertim ſi quantitas conſideretur ſecundum quod eſt extenſio.

Probatur. Ad hoc vt aliquod ens ſit vera ſpecies quantitatis, requiritur omninò, quod ſit ens per ſe quantum & extenſum. Sed locus, tempus & motus non habent extenſionem per ſe diſtinctam eſſentialiter, ergò non ſunt in Prædicamento quantitatis, & in ſignũ huius rei motus reponitur ab Ariſtotele inter poſtprædicamenta.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem. Sed propria passio quantitatis conuenit loco, hoc est, locus habet passionem quantitatis in se, nego Minorem: conuenit loco, hoc est, locus est ipsa passio quantitatis, seu mensura, transeat minor, sicut in exemplo, risibilitati conuenit passio hominis, non quod risibilitas habeat passionem denominatiuè, sed est ipsa propria passio formaliter. *Resp. ad I.*

Ad secundum distinguo Minorem: sed tempus est diuisibile in partes, per se, nego Minorem: per accidens, concedo Minorem. *Resp. ad II*

Ad tertium nego Minorem: Ad cuius probationem dico, quod ad hoc vt aliquid dicatur Genus, non sufficit hoc solum, quia habet aliqua inferiora de quibus prædicetur, sed debet esse ens completum, imò verò stando in doctrina superius allata: in capite quarto, articulo secundo, debet habere certum ordinem in rebus, vel tanquam substantia, vel tanquam accidens, quod non est in præsenti, quia motus si est ad terminum substantialem, sicuti est generatio, & corruptio, pertinet ad Prędicamentum substantiæ, si ad terminum accidentalem, est accidens: sed de his postea. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS V.

Vtrum Numerus & Oratio sint verè Species quantitatis discretæ?

VIdetur quod non. *Primò.* De numero. Dictum est enim supra, cap. 4. huius libri *Argum. I.*

artic.

artic. ſecundo in corpore, quod ad hoc vt aliquid ponatur in Prædicamento, debet eſſe vnum & ſimplex, quia æquiuoca, & propoſitiones cõplexę excluduntur à Prædicamẽtis, ſed numerus neq; eſt aliquid vnum, nec ſimplex. Ergò in nullo eſt Prædicamento. Min. prob. Accipio enim quatuor albedines, ſiue etiam 4. lapides, tunc ibi eſt numerus quaternarius, nõ vnus, quia ſunt re vera plures vnitates, neque etiam eſt ſimplex, quia ex illis vnitatibus componitur quaternarius.

Argu. II. *Secundò*. Omne quod eſt in Prædicamento quantitatis, debet habere formam certam & determinatam: ſed nullus numerus habet certam & determinatã formam. Ergò numerus non poteſt eſſe in Prædicamento quantitatis. Minor prob. Ponamus enim caſum, ſicut etiã eſt poſſibile, quod De⁹ accipiat aliquot homines ex India occidentali, verbi gratia, quatuor, & ponat eos hic in noſtro Gymnaſio, omnes ſimul, & in eodem inſtanti, tunc in hoc caſu, non poteris aſſignare quænam eſt illa vnitas vltima, quæ conſtituit illum numerum in ſua Specie, hoc eſt, non poteſt demonſtrari, quæ eſt ibi vnitas, per quam homines illi ſunt 4. formaliter, & non quinque, numerando enim illos homines à Petro & terminando ad Frãciſcum: ſi dixeris, quòd illa vnitas vltima, quæ ponitur ſuper Franciſcum, conſtituit illum numerum in ſua ſpecie, falſum eſt, nam etiam ego in eodem inſtanti incipiam numerare il-

los

los homines, retro gradu à Frãciſco & terminabo numerationẽ in Petro, & ſic vagabimur inquirendo illam vnitatem poſtremam vbinã ſit. Hoc argumentum eſt certè Achilles Soncinatis pro ſua opinione lib. 10. Metaph. qu. 9.

Tertiò. De Oratione. Entia rationis nõ ponuntur in Prædicamentis, vt in ca. 4. dictum eſt. Sed Oratio eſt ens rationis, ergò non rectè ponitur in hoc Prædicamẽto. Minor probatur. Nã Oratio cõponitur ex Subiecto, Prædicato, & Copula, quę omnia non ſunt entia realia, vt patet. *Argu. III.*

Quartò. Si Oratio eſſet ſpecies quantitatis diſcretæ, hoc eſſet ideo, quia eſt menſura vocis prolatæ, ſed hoc non eſt dicendum. Ergò Oratio non eſt ſpecies quantitatis. Minor prob. Nam tempus eſt menſura vocis prolatæ, quia omnis vox quę profertur, aut eſt præterita, aut præſens, vel futura. *Argu. IV.*

Reſpondeo. Quod quantitas diſcreta nihil eſt aliud, niſi quoddam accidens, cuius partes nõ copulantur ad aliquẽ terminum cõmunẽ, ſed quælibet earum manet diſtincta, & ſeparata ab alio, vt numerus & Oratio, numerus .n. v. g. decem, habet ſuas partes, vt puta quinque & quinque, vel etiam 7. & tria, quæ non copulãtur ad aliquem terminum communem, qui terminus poſſit eſſe aliqua vnitas, nam ſi addideris ad quinque & quinque, vel ad 7. & tria, aliam vnitatem iam efficies non decem, ſed aliquid plus, ſimiliter in Oratione, v. g. Dominus *Reſolutio.* *Quid quãtitas diſcreta?*

minus, partes non possunt copulari per aliquē terminum, hoc est, per aliquam syllabam superadditam, nam si hoc feceris, non erit illa Oratio eadem quæ prius, & patet, dicendo Dominus, addo in medio dictionis, hanc vocem, Pro, & dico, Doprominus. Ecce iam alia dictio. Duæ igitur sunt Species quantitatis discretæ, numerus videlicet, & Oratio.

Numerus ita definitur: Est multitudo aggregata ex vnitatibus: quam definitionem vt intelligas, oportet aduertere: quod dantur aliquę partes in rerum natura ita ordinatæ, quod vna earum est veluti materia, & altera velut forma, tunc illud quod resultat per se, est totum, verbi gratia: anima rationalis, & corpus, sunt quædam partes, ex quibus anima rationalis est forma, & corpus est materia, & quando ista duo componuntur inter se, resultat homo, qui est ens totale per se, & hoc est verum, adeò vt si per impossibile crearetur aliqua anima rationalis, quæ non esset forma, tunc nullo modo ex illa anima rationali & corpore resultaret homo, sed forsitā aliquid aliud, & hoc etiam potest videri in domo, in qua pauimentum, parietes, &c. sunt materia, tectum autem est veluti forma, sub qua adunantur omnes aliæ partes domus, & sic constituunt domum, ita ergò in præsenti imaginandum est de numero: nam in quolibet numero, verbi gratia, in quaternario, ternario, &c. sunt quædam vnitates velut materia, hoc est, quatuor illæ

Quæ sit ratio materialis & formalis numeri.

illæ omnes, & illa vnitas postrema in eodem quaternario, est forma realis & physica, quæ constituit numerum, tanquam ens per se vt dicit sapientissimus Sanches, cuius ratio est manifesta, ex eo quia illa vnitas vltima determinat alias vnitates ad certã speciẽ numeri, ita vt sine illa non sit talis species, sicut homo sine anima & domus sine tecto. Hoc tamẽ fatemur quod licet vnitas illa vltima sit vera & realis forma cuiuslibet numeri, tamen ignota est nobis differentia metaphysica, per quam constituitur & differt illa vnitas vnius numeri, ab vnitate alterius numeri, & sit hoc dictum quo ad Numerum.

De Oratione verò, quæ est altera Species quantitatis discretæ, Sciendum est, quod oratio in via Aristotelis duobus modis solet accipi, vno modo prout idem est quod vox significatiua ad placitum, cuius partes separatæ, aliquid significant, iuxta quem modum in libris Perihermenias erit sermo de illa, & de hac modo nõ loquitur Aristot. quia oratio ista, nõ est in aliquo Prędicamẽto cũ sit ens rationis quod exclusimus à Prædicamẽtis c.4. huius libri. art. 2. in corpore. Alio modo sumitur Oratio, pro aliqua voce quæ aggregatur ex distinctis syllabis, siue illa vox sit significatiua, siue nõ, & hoc pacto sumitur in præsenti, non pro ipsis vocibus & sonis, cõsiderata, quia sic est in Prædicamẽto qualitatis: verbi gratia, hæc vox Dominus, vt est quædã vox, sed quatenus sumitur

Duplex acceptio orationis.

pro quadam menſura quæ quantitatē illarum Syllabarū menſurat, & vocatur à Poetis Tribrachis,& ſic ab Ariſtotele conſideratur, ſicut enim Homo pōt dici mēſuratus per lineā, ita hæc vox, Dominus, dicitur eſſe ſpecies quantitatis diſcretę, prout mēſuratur Tribrachi, & per cōſequēs oratio eſt ſpecies incompleta, & reductiua in quātitate diſcreta, quia tantummodò ſumitur in ratione menſuræ, vt etiā de tēpore & motu in ar. i. præcedente dictum eſt.

Concluſio. Numerus & Oratio ſunt Species quantitatis diſcretæ licet Oratio ſit reductiuè & imperfectè quantitas.

Prob. Prima pars: quantitas diſcreta illa eſt cuius partes non copulantur ad vnicum terminum communem, ſed diſcretæ & ſeparatæ manent: ſed numerus & oratio ſunt quædā accidentia, quæ habent partes ſeparatas abinuicem, ergò ſunt ſpecies quantitatis diſcretæ.

Secunda verò pars probatur: ſcilicet, quod oratio reductiuè ſit quantitas. Ex eo locus & tempus reductiuè ponuntur in hoc Prædicamento, quia menſurant ſubſtantiam extrinſecè; ratio autem menſuræ eſt paſſio quantitatis vt dictum eſt, ſed oratio menſurat durationem ſyllabarum, & eſt ipſa menſura ſecundum lōgitudinem vel breuitatem: ergò Oratio imperfectè, & reductiuè pertinet ad quantitatem.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum, nego quòd numerus non ſit aliquid vnum, componitur enim

enim ex pluribus vnitatibus materialiter consideratis,& per vnitatem postremã,est in vna Specie formaliter, & est ens per se vnum formaliter.

Ad secundum nego Minorẽ,ad cuius probationem admitto casum prædictum. Dico tamen quod benè possum assignare vnitatem postremam in numero hanc vel illam,sed ignota nobis est illius propria & specifica differentia,per quã talis vnitas distinguitur à quacunq; alia vnitate alterius numeri,vt dictum est. *Resp.ad II.*

Ad Tertium.Iã patet, non enim secundum illum modum sumitur hic Oratio. *Resp. ad III.*

Ad Quartum. Nego Minorem , ad cuius probationem distinguo id quod assumitur; Tempus est mensura vocis prolatæ,in quantum illa prolatio continua est,cõcedo,in quãtum est discretio literarum & syllabarum,nego,quia hoc soli tantum orationi cõuenit,vt dictum est. *Resp. ad IIII.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum Proprietates Quantitatis sint cõuenienter assignatæ ab Aristotele?

VIdetur quod non. *Primò.* Contra primã proprietatem: nam prima proprietas quantitatis erat hæc:quantitati nihil est contrariũ.Tunc sic argumẽtor , numerus & linea, sunt verè Species quantitatis,vt dictũ est,quia *Argum. I.*

numerus eſt quantitas diſcreta,& linea continua. Sed numerus vnus, contrariatur alteri, & ſimiliter vna linea alteri, ergò inter quantitates eſt contrarietas. Minor prob. Numerus impar contrariatur pari, vt duo vel quinque 4. & 3. linea etiam recta contrariatur illi quæ eſt curua.

Argum. II *Secundò.* Contra ſecundam quæ erat talis: quantitas non recipit magis & minus. Suſcipere magis, nihil aliud eſt, niſi perfici in ſua eſſentia & natura, ſeu quod idem eſt, habere naturam propriam modo perfectam in tali gradu perfectionis, & poſtea habere illam perfectionem in altero gradu. Sed hoc totum conuenit quantitati. Ergò nulla eſt doctrina Ariſtotelis. Minor prob. Nam numerus eſt vera quantitas, & tamen ſecundum ſuam propriã eſſentiam & definitionem, perfectius eſſe habet in quaternario, quam in binario: ergò illa minor eſt vera.

Argu. III. *Tertiò.* contra vltimam proprietatem: in qua dictum eſt, quod maximè proprium eſt quantitati, quòd ſecundum eam dicantur aliqua æqualia vel inæqualia. Tunc ſic: in diuinis datur æqualitas perſonarum, vt fides docet: ſed ibi nulla eſt quantitas, quia alias in Deo poneretur aliquid accidentale & extraneum à natura Deitatis, ergò non ſecundum quantitatem dicuntur aliqua eſſe æqualia.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod proprietas quantitatis ad eum modum explicanda eſt, ſicut de Subſtan-

tia

tia diximus in cap. pręcedente artic. 7. in corpore, est enim proprietas quantitatis ipsamet quantitas prout concipitur cum ordine ad aliquid aliud. Tres autem sunt huiusmodi Proprietates. Et pro intelligentia *primæ* aduertẽdum est: quod duobus modis aliqua res potest alteri contrariari, vno modo per se, secundum quod proprietas sumitur propriè, sicut album & nigrum contrariantur propriè & per se, quia omni alio excluso ab albo, & nigro, si hæc duo componantur adinuicem, proprijs virtutibus expellunt se ab eodẽ subiecto, & sibi repugnant, non enim est necesse ad hoc vt album contrarietur nigro, quod sit calidum vel frigidum, paruum vel magnum &c. Alio modo dicitur aliquid contrarium per accidens, & virtute alterius, & hoc est cõtrarium communiter sumptum, quia multis Pręedicamentis potest contingere, nam ponamus quod sint duæ superficies quarum vna est alba & altera nigra, tunc illæ superficies contrariantur per accidens, & non per se. Dico, per accidens, hoc est, per illam albedinem & nigredinem, non tamen contrariantur per se, quia eadem est definitio & natura vtriusque superficiei, vt iam dictum est. Similiter duo tẽpora, quorum alterum est serenum, & alterũ nubilosũ cõtraria sunt. Et hoc quo ad primã.

Duobus modis dicitur aliquid alteri contrarium.

Pro secunda autem Proprietate supponendum est: quod differentia est inter suscipere magis & minus, & suscipere maius & minus,

nã suscipere maius & minus, est suscipere maiorem vel minorem extensionem, & sic quantitas benè potest suscipere maius & minus, quia vna quantitas maior est altera. v. g. vna linea longior est quam altera, vna superficies latior alterâ, & vnum tempus prolixius altero: cæterum suscipere magis & minus est in entitate sua perfici & intendi, quæ intẽsio fit intra ipsam naturam rei. Et hoc modo quantitas non suscipit magis & minus, verbi gratia, si duæ lineæ comparentur inter se, tunc vna nunquam habebit maiorem perfectionem essentialem ab intrinseco, quam altera, imò verò si daretur modò aliqua linea, quæ per totum vniuersum, imò extra mundum protenderetur, & esset infinita, certe illa linea non erit magis linea quam hæc, quæ est extensa per istum parietem, quia eandem definitionem habebit hæc sicut illa, & consequenter eandẽ entitatem intrinsecam & essentialem, licet non habeat accidens illud, quod est esse infinitũ, sed hoc nõ obstat.

Differẽtia inter magis & minus & maius & minus.

Pro intellectu verò Proprietatis vltimæ, obseruandum est: quod vt superius dicebatur, duplex est quantitas, scilicet quantitas molis, seu sub alijs verbis, extensio magnitudinis corporalis, & alia est quantitas virtutis, seu perfectionis essentialis. Ita Ergò duplex etiam est æqualitas, quædam enim est æqualitas quę fundatur in quantitate molis, & nihil aliud est nisi diuersarum rerum eadem quantitas seu extensio, verbi gratia, linea vna vt octo, & altera etiam

Quantitas duplex, molis & virtutis.

etiam vt octo æquales sunt, quia eiusdem sunt extensionis, & hæc æqualitas dicitur quantitatiua. Alia verò est æqualitas quæ fundatur in quantitate virtutis, & ista est æqualitas trãscendens & inuenitur in Deo, vnde æqualia & inæqualia formaliter considerata, pertinent ad Prædicamentum relationis, pro fundamento verò dicunt quantitatem, vt patet.

Conclusio. Omnes proprietates Quantitatis conuenienter assignatæ sunt ab Aristot.

Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in Corpore.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: distinguo Minorem. Sed numerus vnus contrariatur alteri, Per se & virtute propria, nego Minorem. Per accidens, seu ratione qualitatum, concedo Minorem, vt dictum est.

Resp. ad II Ad secundum distinguo Minorem, sed hoc totum conuenit quantitati, intra eandem speciẽ quantitatis, nego Minorẽ, in diuersis, cõcedo Minorẽ. Vnde ternari⁹ manẽs in sua Specie numeri ternarij, nõ est magis modò perfectus, quã erit post ducẽtos annos, tamẽ quaternarius in sua specie perfectior est ternario, & sic de alijs, & corp⁹ similiter perfectior est quãtitas q̃ superficies, sicut homo magis quã equ⁹.

Resp. ad III. Ad tertium distinguo Minorem. Sed in diuinis nulla est quantitas: extensiua, concedo; intensiua siue virtualis, nego. Et quoniam nihil restat amplius disputandum circa hoc Prædicamentum, idcircò dicta sufficiant.

CAPVT SEPTIMVM DE HIS QVÆ SVNT AD aliquid.

SVMMA TEXTVS.

Definitio Relatiuorũ

PRima conclusio. Ad aliquid ſeu Relatiua ea dicuntur, quæcunq; hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vt pater & filius, Dominus & ſeruus relatiua sũt, quia eo ipſo quod aliquis pater eſt, filij eſt, & ſeruus hoc ipſum quod eſt, domini eſt.

Quatuor Proprietates Relatiuorum.

I. *Secunda conclusio.* Quatuor ſunt proprietates relatiuorum. Prima eſt: Relatiuo eſt aliquid contrarium, vt virtus contrariatur vitio, & ſcientiæ ignorantia, non tamen omnibus relatiuis hoc conuenit.

II. *Secunda proprietas.* Relatiua ſuſcipiunt magis & minus, vt ſimile vel diſſimile, dicũtur ſecũdum magis & minus, præterea æquale vel inæquale. Non tamen hæc proprietas omnibus relatiuis conuenit, quia duplum non dicitur ſecundum magis & minus.

III. *Tertia proprietas.* Relatiua dicuntur ad conuertentiam, vt ſeruus dicitur domini ſeruus, & Dominus ſerui Dominus, præterea duplũ reſpectu dimidij dicitur duplum, & dimidiũ dupli eſt dimidiũ; hæc tamẽ proprietas multis cõuenit, in quibus etiã oportet mutare caſũ & terminationem alterius relatiui, v. g. ſcientia eſt

est scibilis scientia,& scibile est scientiæ scibile,similiter sensus & sensibile.

Quarta & vltima proprietas. Relatiua sunt simul natura,nam si seruus est,etiam dominus est, & è cõtra si seruus nõ est, nõ est dominus. Videtur autem quod hæc proprietas nõ omnibus relatiuis conueniat, nam scibile & scientia ,similiter sensus & sensibile,non sunt simul hoc pacto. Tũ quia scibile est illud,quod est obiectũ alicuius sciẽtiæ, ac proinde prius debet esse quam scientia. Tum quia scientia propterea est,quia est scibile,non è contra,potest enim esse aliquid scibile,cuius tamen non habetur scientia.

Tertia conclusio: supposita hac definitione relatiuorum,& etiam suppositis proprietatibus, est hic quædam difficultas , si aliquæ substantiæ possint dici relatiua,& non quæritur de Substantijs primis, neq; de secundis,sed tãtum de partibus secundarum Substantiarum, cuiusmodi sunt manus,caput &c.nam caput dicitur esse alicuius caput,& manus alicuius est manus. Ergò fortè ista dicẽtur esse relatiua. Et quidẽ hoc verũ est,nimirũ,quod partes istę essẽt relatiua,si definitio illa relatiuorũ posita à principio esset cõueniens. Quocirca altera definitio relatiuorum est adhibenda, quæ est huiusmodi: Relatiua illa sunt,quorũ esse nihil aliud est nisi ad aliud quodãmodo se habere. Vnde qui nouit definitè vnũ relatiuorũ , definitè etiam nouit & reliquum,& consequenter

An partes Substantiæ possint dici Relatiua.

ex hac definitione apparet, quòd caput, manus &c. non sunt relatiua, quia potest aliquis scire distinctè quid sit caput & manus, & nescire naturam animalis cuius caput pars est, Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Prædicamentum Relationis pro formali sit aliquid reale?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò.* Prædicamentũ hoc pro formali est relatio. Sed relatio vt sic neque est realis, neq; rationis. Ergò Prædicamentum istud pro formali, nõ est aliquid reale. Minor prob. nam si relatio vt sic, est tantum realis. Ergò nulla est relatio rationis, & sic relatio vt sic est tantum rationis. Ergò nulla est realis & ita vtrobique angustiæ.

Argu. II. *Secundò.* Prædicamentum istud conuenit cum alijs Prædicamentis, in hoc quia est ens reale, ergò non distinguitur ab illis per relationem realem, ergò tantum per relationem vt sic. Ergò non est formaliter aliquid reale. Consequentia prima prob. Nam relatio realis conuenit omnibus Prędicamentis accidẽtium, quia illa definiuntur per respectum ad subiectum, vt multoties in Prędicabilibus dictum est.

Argu. III. *Tertiò.* Nõ datur aliqua relatio, quæ sit cõmunis ad relationẽ realem & rationis. Ergò frustra est hęc quæstio, quia videtur istud supponere. Antecedens prob. Omne ens, aut est reale aut rationis. Sed relatio vt sic continetur

sub

ſub ente, ergò vel eſt realis tantum vel rationis tantum, & per conſequens nulla eſt communis, ad relationem realem & rationis.

Reſpondeo. Quod præſens difficultas non eſt circa relationem logicè & prædicatiuè ſumptam, certum enim eſt quod formale Prædicamenti relationis vt ſumitur Logicè eſt quidam reſpectus ſeu relatio rationis, quam formauit intellectus ex eo, quia videt quod aliquę res in mundo adinuicem referuntur, & iſte reſpectus ſecundò intentionalis, appellatur hoc nomine, Ad aliquid ſeu relatio. Eſt ergò præſens quæſtio de ſola relatione prout metaphyſicè & entitatiuè conſideratur. *Reſolutio.*

Pro cuius intelligentia ſciendum eſt: quòd relatio tripliciter ſumitur.

Primò abſolutè, hoc eſt, quatenus abſtrahit à relatione reali & rationis, & ſic nihil eſt aliud, niſi reſpectus ad aliquem terminum. *I. Relatio tripliciter ſumitur.*

Secundò ſumitur pro relatione reali tantum, & eſt quidã reſpectus modificãs ſeu limitans relationem abſolutè ſumptã ad relationẽ realẽ v.g. relatio inter patrẽ & filiũ, inter dominũ & ſeruũ, eſt realis, quia etiã termini sũt reales. *II.*

Tertiò ſumitur pro relatione rationis tãtũ, v.g. Subiectũ & Prędicatũ, Gen⁹ & Species &c. referũtur adinuicẽ per intellectũ tãtũ, quia etiã termini ſunt entia rationis. Hoc igitur ſuppoſito. Dico, quòd Prędicamẽtũ iſtud eſt verè reale, & cõſequẽter, med⁹ cõſtituẽs hoc Prædicamẽtũ formaliter debet eſſe realis, adeò vt non poſ- *III.*

possit aliquis concipere hoc Prędicamentum conceptu præscindente ab ente reali. Et hoc ita ostendo: nam dictum est superius, quod ens reale diuiditur in substantiam & accidẽs, tanquam analogum ad omnia Prædicamenta, vnde sicut videmus quòd quando aliquod inferius subordinatur essentialiter alicui superiori non potest concipi absque illo, sicut homo & animal, viuens & substantia &c. ita similiter quia Prædicamẽtum relationis subordinatur essentialiter enti reali, quod est superius analogum, profectò non potest hoc Prædicamentum concipi, conceptu præscindente ab ente reali, & ita essentialiter est Prædicamentum reale. Nihilominus tamen possumus considerare in ista essentia reali, aliquid quod non est reale. Volo dicere: quod licet Prædicamentum istud habeat pro formali relationem realem, tamen possumus nos per intellectum concipere in hoc formali relationẽ vt sic, & non concipere explicitè in quantum est realis, sicut in homine, animal est rationale, tamẽ benè ego possum cõcipere animal quod est in homine, sine conceptu explicito rationalis. Illa autem relatio vt sic considerata, cõmunis est ad relationem realem & rationis, & non est inferior sub ente, quia ens vt diuiditur in ens reale & rationis, non est quid superius ad omnia entia, sed potius vox æquiuoca diuiditur: neque hoc est inconueniens, plurima enim sunt entia quæ prædicantur de multis

Quomodo relatio Prædicamentalis sit realis.

enti-

entibus, & tamen ipsa non sunt inferiora sub ente, v. g. si quis diuideret ens in vniuersale, hoc modo, dicendo. Omne ens aut est creatum aut increatum, vtique egregiè diuideret, sed rogo, persona in communi considerata, est ne quid creatum vel increatum? minimè, sed abstrahit ab istis: similiter si quis diceret, omne ens aut est finitum aut infinitum, benè diuidit, tamen perfectio absolutè sumpta neq; est finita essentialiter, neque infinita, sed abstrahit ad istis. Ita ergò in proposito, relatio Prædicamentalis, est realis formaliter, à qua relatione Prædicamentali, quando nos abstrahimus relationem vt sic, tunc illa relatio cõmunis est ad relationem realem & rationis. Et hoc benè nota, est enim doctrina S. Thomę, & Commentatoris Caietani in prima parte qu. 28. art. 1.

Conclusio. Formale constitutiuum Prædicamenti relationis, est Relatio realis. Probatur. Illud est formale constitutiuum alicuius rei, per quod res illa est intrinsecè perfecta, & distincta ab omni alio. Sed prædicamentum hoc, est perfectum intrinsecè ex eo quia est relatio seu respectus realis, & distinguitur per hoc ab omni alio Prædicamento. Ergò formale constitutiuum huius Prædicamenti est relatio realis. Maior est certa, nam etiam rationalitas constituit hominem perfectũ, & distinguit eum ab alijs animalibus. Minor verò probatur. Quia Prædicamentum relationis, non distin-

guitur

guitur ab alijs Prædicamentis per hoc solum, quia est ens reale. Ergo distinguitur per hoc, quia est relatio realis: Et hoc est quod intendit S. Thomas in artic. 1. quæstionis supra dictæ, vbi distinguit relationē ab alijs Prædicamē-tis, quia alia genera secundum propriam & formalem rationem, significant aliquā formā accidentalē, quæ inhæret alicui subiecto, relatio verò, vltra hoc quod est forma accidentalis inhærens subiecto, importat etiā respectum ad aliquid aliud tanquam ad terminum.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum, distinguo Maiorem. Prædicamentum hoc pro formali est relatio, absoluta & communis, nego Maiorem, modificata ad relationem realem seu specialem, concedo Maiorem. Ex quo nihil contra nos.

Resp. ad II Ad secundum nego consequentiam primā. Ad cuius probationem concedo gratis, quod omnibus Prędicamentis præter Substantiam, conuenit relatio realis ad subiectum: at verò relatio vt est hoc Prædicamentum, est etiam ad aliud tanquam ad terminum, vt dictum est.

Resp. ad III. Ad tertium, nego antecedens: ad cuius probationem nego Minorem, scilic. quòd relatio contineatur sub ente, quatenus diuiditur in ens reale & rationis, imò verò nihil est inferius ad ens isto modo consideratum, quia ens ita diuisum est analogum, ac per consequens, non dicit vnam rationem cōmunem, sed solum vocem, sicut quando diuiditur, canis in

canem

canē latrabilem, & ſydus cæleſte, tunc ibi impropriè dicimus quod iſta membra ſint inferiora. Satis ergò eſt ad hoc,vt diuiſio entis in reale & rationis ſit bona, quod nihil in particulari detur,quod non ſit reale vel rationis,at verò abſtracta entia, & in communi conſiderata, non eſt neceſſe quod ſint realia vel rationis,de quorum numero eſt relatio.

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio ſecunda Relatiuorum ſit conuenienter aßignata ab Ariſtot?

VIdetur quod non. *Primò.* Definitio ſecunda quam dedit Ariſt. erat hæc: Relatiua illa ſunt,quorum eſſe nihil eſt aliud, niſi ad aliud quodammodò ſe habere. Tunc ſic: in iſta definitione videtur Ariſtoteles docere, quod totum eſſe relationis conſiſtat in hoc, quia reſpicit terminum. Sed hæc doctrina eſt contra ſuperius iam dicta: ergò nulla eſt definitio. Minor prob: dictum eſt enim in Prædicabilibus,quod omne accidens dicit ordinem eſſentialem ad ſubiectum: ergò cum relatio ſit accidens,debet etiam eundem ordinem ſignificare,ergò non dicitur relatiuè ad terminum. *Argum. I.*

Secundò. Relatio diuina non ponitur in aliquo Prædicamento, quia cum ſit infinita, nō eſt vniuerſalis aut particularis, vt etiam de ipſo Deo in capite quarto articul. 2. dictum eſt, *Argum. II*

est, sed hæc definitio conuenit relationibus diuinis, ergo non est bona. Minor prob. Nam accipio paternitatem diuinam, & sic argumẽtor: Paternitas ista habet hoc ex sua ratione quod refertur ad aliud suppositum tanquam ad terminum, scilicet ad filiationem. Ergo habet definitionem relationis prædicamentalis.

Argu. III. *Tertiò*. Illa definitio non est bona, quæ cõuenit alteri à definito: sed hęc definitio conuenit alteri à relatione. Ergò nõ est bona. *Minor prob.* Nã materia prima secundũ suum esse nihil aliud est nisi ad aliud quodãmodò se habens, h. e. ad formam. Et similiter forma est ad aliud, nimirum ad materiam. Et tamen ista duo non sunt relationes, vt patet, quia sunt partes compositi substantialis.

Resolutio. *Respondeo*. Quod Prædicamentum relationis habet conuenientiam cum alijs prædicamentis accidentium, & etiam differt ab illis, conueniunt enim in hoc, quia sicut alia Prædicamenta accidentium inhærent subiecto, & nõ sunt de essentia ipsius, ita & relatio. v. g. Paternitas vel quæcunq; alia, inhæret animali tanquam subiecto, & denominat ipsum patrem, neque est de essentia alicuius animalis. Differt autem relatio ab alijs Prædicamẽtis, quia alia Prædicamenta accidentium tantũmodo subiectum respiciunt, & concipiuntur cum ordine ad subiectum. Cæterum relatio nõ tantum subiectum respicit, sed aliquid aliud, hoc est, terminum, & conceptus proprius relationis non

In quo cõueniat & differat Relatio ab aliis accidentibus.

non sumitur ex ordine ad subiectum, sed tantum ad terminum. Vnde propter hāc causam, vocatur Prædicamentum relatiuum, alia verò Prædicamenta sunt absoluta à termino, sed non à subiecto, v.g. Paternitas est relatio, quæ non tantum respicit patrem, sed etiam filium, nam quia paternitas est accidens & non substantia, inhæret Patri, quia verò respicit filium tanquam terminum suum, est relatio formalissimè, vt statim dicam. Hæc igitur relatio seu respectus ad terminum est duplex, quædam est relatio secundum esse & quædam secundum dici. Illa est relatio secundū esse, quæ essentialiter includit respectum ad aliud, vt pater & filius. Relatio verò secundū dici, vocatur, quæ non includit essentialiter respectum ad aliud, sicut sciētia dicitur relatio secundū dici in ordine ad scibile, nam scientia non est essentialiter relatio, sed importat principaliter quandam qualitatem animæ, per quam aliquis est sciens formaliter, cui tamen qualitati annexa est relatio ad obiectum scibile. Hoc igitur supposito *Relatio duplex.*

Sciendum est: quod duplicem definitionē relatiuorū adhibet Aristoteles in Textu præsenti, primam statim in fronte Capitis: & alteram in Cōclusione postrema, sed illa prima quā opposuit in principio à Platone fuit inuenta, teste Diuo Alberto Magno & Caietano, cum alijs antiquioribus, vnde communis est tam relatiuis secundum esse, quam secundum dici. *Primæ definitionis relatiuorū explicatio.*

dici. Cuius ſenſus eſt iſte: Relatiua illa dicuntur, quæcunq; hoc ipſum quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, hoc eſt, relatiua id quod ſunt, nõ abſolutè ſunt, nec ſui, ſed aliorũ ſunt, ita quod per eſſe aliorum intelligendum eſt, quod relatiua non ſunt abſoluta, vt album, quantum, nigrum, & quod non ſunt ſuimet, ſeu quod non referantur ad ſe ipſa, quoniam hoc eſt ſimpliciter impoſſibile, v.g. Dominus relatiuũ eſt, quia hoc quod eſt eſſe dominum, non eſt res abſoluta, ſicut eſſe album, eſſe iuſtum, eſſe hominẽ &c. Nam Petrus intelligitur benè homo, vel iuſtus, etiamſi nihil aliud præter humanitatẽ aut iuſtitiã cointelligatur. Cæterum Petrus non eſſet Dominus, niſi aliquid aliud eſſet, quia Dominus hoc ipſũ quod eſt, nõ eſt ſui Dominus, ſed ſerui, & ſimile eſt in alijs.

Secunda definitionis explicatio.

Secunda verò definitio, quam ex propria mente dedit Ariſtoteles erat talis: relatiua illa ſunt, quorum eſſe nihil aliud eſt, niſi ad aliud quodammodò ſe habere: quæ definitio ſolis relatiuis ſecundum eſſe conuenit & multum differt ab illa prima: quia illa definitio prima competit relatiuis non ſecundum naturam, ſed quatenus ſtant ſub cognitione aut dictione vt nonnulli dicunt, & ideò dicebat illa definitio relatiua dicuntur, hæc autem ſecunda veram eſſentiam & quidditatem relatiuorum explicat, cum additur, relatiua illa ſunt. Non tamen hęc definitio eſt in rigore quidditatiua, quia ſupponimus modò tanquam certũ, quod relatio & omnia alia Prædicamẽta nõ poſſũt

habere definitionẽ quidditatiuã, licet habeant definitionẽ quidditatis: & ratio est, quia ens nõ diuiditur vniuocè in 10. pdicamẽta tãquã genus in suas species per differẽtias oppositas, vt diximus supra, ꝙ erat omninò necessariũ ad hoc, vt talis definitio sit in rigore qdditatiua.

Conclusio. Definitio secunda Relatiuorum, quam dedit Aristoteles, est conueniens.

Probatur. Hæc definitio explicat naturam relatiuorum, & distinguit illa ab omnibus entibus, quæ nõ sunt essentialiter relatiua. Ergò est cõueniens. Antecedens est manifestũ cõparãdo definitionẽ Platonis cũ illa, vt dictum est.

Ad primũ igitur dicẽdũ, nego Minorem. Ad cuius probationẽ iam patet ex dictis: ꝙ omnis relatio dicit respectũ essẽtialẽ, tã ad subiectũ, quã ad terminũ, sed respectꝰ ille qui est subiectum, cõmunis est tã accidẽti absoluto, quam respectiuo: cęterum respicere terminum, conuenit relationi, ex proprio cõceptu, in quãtum inhęrẽdo subiecto, refert ipsum ad aliquid aliud, vt relatio Paternitatis vel Dominij, inhærẽs animali, refert illud ad filium, vel ad seruũ. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorẽ, ad cuius probationẽ dico: quod paternitas diuina hoc ipsum quod est respicit filium, tamen neque est accidens patris, de quo hic loquimur, neq; est inhærens alicui subiecto, sed potius subsistens, vnde esse patrem in diuinis non accidit. *Resp. ad II.*

Ad tertium nego Minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens, materia *Resp. ad III.*

ſecundum ſuum eſſe, eſt ad aliud, tanquam ad actum & perfectionem ſuam, concedo antecedens, tanquam ad terminum, nego antecedens: & hoc erat neceſſarium vt prædicta definitio conueniret materiæ, alias enim & ſecuris eſſet relatio, & viſus, vel auditus, & plura alia: quia & ſecuris eſt ad ſecandum, & viſus ad videndum, non tamen tãquam ad terminum, ſed tanquam ad actum & operationem, vt autem plenius hunc articulum percipias, ſit

ARTICVLVS III.

Vtrum Relatio deſumat Speciem à termino?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Relatio patris & matris differunt ſpecie vt concedit S. Thomas in 3. ſenten. diſtinct. 8. art. 5. ſed iſtæ duæ relationes reſpiciunt vnicum terminum ſpecie, hoc eſt, filium. Ergò relatio non ſumit ſpeciem à termino.

Argu. II. *Secundò.* Similitudo & diſſimilitudo ſunt relationes differentes ſpecie, ſed iſta duo eundem habent terminum: ergò Species relationis non eſt ſumenda ex termino. Maior eſt manifeſta, quia ſimilitudo & diſſimilitudo diuerſas habent deſinitiones. Similitudo enim eſt conuenientia aliquorum in eadem qualitate ſeu forma: diſſimilitudo autem eſt diſcõuenientia. Minor verò probatur: nam accipio vnicum album, verbi gratia, iſtum parietem, & ſic argumentor: hic paries albus vnus & i-

idem manens, & est similis alteri parieti albo, & idemmet est dissimilis alteri nigro. Ergò iam similitudo & dissimilitudo eundem habent terminum.

Tertiò Authoritate S. Doctoris 3. parte. q. 35. artic. 5. in Corpore vbi dicit: quod vnitas & pluralitas specifica relationum desumitur ex fundamentis & non ex terminis. Ergo oppositum asserere contradicit angelico Doctori. *Argu. III.*

Respondeo quod in omni relatiuo possumus considerare tria, videlicet Subiectum, Fundamentum, & Terminum. Subiectum relationis nihil aliud est nisi res ipsa quæ denominatur ab aliqua relatione. v. g. relatio Dominij subiectatur in homine illo, qui denominatur Dominus, & relatio paternitatis, filiationis &c. in patre, in filio &c. Fundamentum verò relationis, est id quo mediante producitur seu consequitur relatio in aliquo subiecto, verbi gratia, paternitas est relatio, quæ habet pro Fundamento potentiam generandi siue actiuam generationem, nam quilibet homo mediante generatione, efficitur paternitatis subiectũ, sicut filius per esse genitum, est subiectũ filiationis, & per esse generantem paternitatis &c. Tertium verò in omni relatione potest considerari, nimirum ipse terminus, respectu cuius aliquod ens dicitur habere relationem v. g. pater respectu filij, & filius respectu patris. Similiter dominus respectu serui, & è *Resolutio.* *Tria in relatione cõsideranda.*

contra. Hoc igitur ſuppoſito

Aduerte: quod præſens Quæſtio hoc inquirit, vndenā proueniat, quod relatio patris differat ſpecie à relatione Domini, aut enim propterea quia paternitas aliud habet ſubiectū vel quia aliud habet fundamentum, vel etiam quia habet alium terminum. Dico ergò quod dupliciter aliquæ res diſtinguuntur ſpecie, vno modo cauſaliter ſeu radicaliter, & alio modo formaliter. Illæ res diſtinguuntur Specie cauſaliter quæ habent cauſas diſtinctas ſpecie, v.g. Homo & planta, equus & canis diſtinguuntur ſpecie cauſaliter, quia cauſa illa quæ produxit plantam, differt ſpecie à cauſa producente hominem. Vnde infert Magiſter Sanches & benè, quod Adam & Abel, ſi conſiderentur in quantum ſunt effectus producti per diuerſas actiones, differunt ſpecie, nam Adam productus eſt à Deo per creationem, Abel verò productus eſt ab Adam per generationē, quia eſt filius Adæ & per conſequēs eſſe genitum vt ſic, & eſſe creatū, vt ſic diſtinguitur ſpecie, ꝓpter diuerſum modū terminādi illas productiones. Ita ergò dicimus in propoſito, quod relationes diſtinguuntur ſpecie cauſaliter ex diuerſis cauſis vt patet. Deinde illæ relationes diſtinguuntur ſpecie radicaliter, quæ habent fundamenta diſtincta ſpecie, v.g. pater & Dominus ſunt relatiua, quorum fundamēta differunt ſpecie, nam fundamentum paternitatis eſt potentia generādi filiū. Fundamētū verò

Res ſpecie diſtinguū-tur dupliciter.

verò Dominij, est potentia coercendi seruum. Postremò illæ relationes distinguuntur specie formaliter, quæ habent actus & formas intrinsecè diuersas, hoc est, terminos diuersos, vnde si quis inquirat, quare relatio patris & relatio Domini, sunt relationes distinctæ specie, certè respondebis, quod effectiuè seu causaliter, ex eo quia fundamentum paternitatis diuersum est specie, à fūdamēto Dominij, & si denuò quis inquirat, quamobrem istæ relationes distinguuntur specie formaliter? Dices quia vna relatio alium habet terminum, & altera etiam alium.

Conclusio. Relationes distinguuntur Specie propter terminos non materialiter sed formaliter distinctos.

Probatur. Species cuiuslibet rei desumitur ex forma intrinseca rei, sed ordo ad terminum est forma intrinseca cuiuslibet relationis. Ergò relationes distinguuntur specie propter diuersū ordinē ad teminos. Maior patet, nam etiam & homo est diuersa species ab equo, quia alia est forma hominis, & alia equi. Minor verò patet ex ipso Textu Aristotelis, vbi ille multoties repetit dicēs, quod relatiua illa sūt quorū esse, hoc est, forma & species est ad aliud (ecce ordo ad terminum) quodāmodò se habere. Ac proinde licet termin' relationis sit aliquid extrinsecum respectu relationis, tamē ordo ad terminum est intrinsecus, sicut licet filius sit extra patrem, tamen respectus patris ad filium

eſt intrinſecus patri vt pater eſt. Vide Magiſtrum Sanches in hoc dubio.

Reſp. ad I. Ad primum igitur dicendum diſtinguo Minorem. Sed iſtæ duæ relationes reſpiciunt vnicum terminum, formaliter ſumptum, nego Minorem, materialiter concedo Minorē: vnde pater refertur ad filium, tanquam principium actiuum & efficiens, mater verò minimè, ac per conſequens filius habet duas relationes ſaltim formaliter diuerſas per quarum vnam refertur ad patrem, & ad matrem per alteram. De hac reſponſione poteris videre S. Thomam in 3. parte queſt. 35. artic. 5. & Ferarienſem lib. 2. contra gentes cap. 13. quam non reijcit Mag ſter Ruuius quæſtio. 6. ſuper hoc cap.

Reſp. ad II Ad ſecundum diſtinguo Minorem: ſed iſta duo eundem habent terminum, materialiter & vt res eſt, concedo Minorem: formaliter & in quantum eſt terminus, nego.

Reſp. ad III. Ad tertium admitto authoritatem S. Thomæ & explico illam. Vnitas ſpecifica relationum deſumitur ex fundamentis & non ex terminis, radicaliter conſiderata, concedo: formaliter nego, vt dictum eſt. Et per hanc diſtinctionem ſi benè applicetur ad obiectiones, plurima argumenta poterunt reſolui.

* * *

ARTI-

ARTICVLVS IV.

Vtrum relatio distinguatur realiter à suo Fundamento?

VIdetur quod non. *Primò*. Illa distinguuntur realiter quorum vnum aduenit alteri cum aliqua mutatione: sed relatio aduenit fũdamento sine aliqua mutatione. Ergò relatio distinguitur realiter à fundamento. Maior est manifesta: quia postquam paries vel homo receperit in se aliquid realiter distinctum, iam mutatur vel de non albo in album, vel de non frigido in frigidum &c. Minor verò probatur, nam ponamus pro exemplo vnum corpus album Cracouiæ & aliud Lublini similiter album, siue illud corpus sit paries vel homo, siue aliquid aliud, tunc si illa duo alba cõparemus ad inuicẽ, profectò dicetur vnum albũ simile alteri albo, & per consequens vnum habebit relationem similitudinis ad alterum. Tunc vltra: sed in hoc casu nulla est mutatio in aliqua albedine. Ergò relatio aduenit fundamento sine aliqua mutatione. *Argum. I.*

Secundò. Relatio non est aliqua entitas realis, ergò non potest distingui à suo fundamento realiter. Consequentia est manifesta. Quia distinctio realis debet esse inter extrema realia. Antecedens prob. Si relatio esset entitas realis, ergò posset produci: sed relationes non *Argum. II.*

producũtur teste Aristotele in Lib.5.Phys. Textu decimo. Ergò non sunt entia realia.

Argu. III. *Tertiò.* Illa quæ distinguuntur realiter possunt abinuicem separari saltim de potẽtia Dei absoluta, sed relationes non possunt separari per Dei potentiam à suis fundamentis: ergò ab illis minimè distinguuntur. Minor prob. Nam si Deus separaret paternitatem à Petro, & poneret eam in Francisco, tunc iam Franciscus qui nunquam genuit, esset pater, & Petrus qui reuera genuit, nõ esset plus pater quod est intelligibile.

Resolutio. *Respondeo.* Quod hæc difficultas maximè mouet Metaphysicos grauissimos & præcipuè Thomistas, eam puto ob causam, quia non videtur esse certum, quid hac de re Doctor Angelicus & Aristot. senserint, sed vt certa ab incertis separemus.

NOTA. Sciendũ est ex Aristot. lib.5. Metaph. cap.15. quòd omnes relationes prædicamentales triplex habent fundamentum. Primum est vnitas: secundum est actio & passio: & tertium mensura, verbi gratia, in prædicamento substantiæ identitas est relatio, & fundatur in vnitate substantiali siue generica, verbi gratia, homo & equus sunt idem in animali, siue specifica, sicut Petrus & Franciscus sunt eiusdem speciei. Similiter in Prædicamento quantitatis æqualitas est relatio, & fundatur in vnitate, nam tunc Petrus est æqualis Francisco, quãdo tantam habet quantitatẽ sicut Frãciscus. Insuper in Prædicamẽto

Relationũ triplex fundamẽtum.

qualitatis, ſimilitudo eſt relatio, & fundatur in vnitate, verbi gratia, duo alba ſecundum eundem gradum ſunt ſibi ſimilia.

Secundum verò fundamentum relationis eſt, actio & paſſio, verbi gratia, generatio per quam vnus homo generat alterum eſt actio, & fundat in ſe paternitatem, & generatio per quam vnus homo generatur ab altero, eſt paſſio, & fundat in ſe filiationem.

Tertium tandem fundamentum eſt menſura, hoc eſt, adæquatio vnius rei ad alteram, ſiue ſit adæquatio tanquam potentiæ ad obiectum, v. g. viſus ad viſibile, ſenſus ad ſenſibile, ſiue tanquam habitus ad obiectum & materiam circa quam verſatur, vt relatio ſcientiæ ad ſcibile &c.

Hoc igitur ſuppoſito vertitur nunc in dubium: Vtrum iſtę omnes relationes diſtinguãtur realiter à ſuis fundamentis, an verò ſecundum rationem tãtum, ac ſi eſſet ſenſus: Vtrum relatio paternitatis, quæ fundatur ſuper potentia generatiua, ſit alia res à potentia, an vero eadem, & ſimiliter, vtrum ſimilitudo in albedine, ſit idem quod albedo, & æqualitas idem quod quantitas, & ſic de alijs.

Dico igitur, quod ſicut iam in libro Prædicabilium cap. 4. artic. 2. diximus. Dupliciter aliqua diſtinguuntur, vel ſecundum rem, vel ſecundum rationem. Illa diſtinguuntur ſecundum rationem, quæ in apprehenſione intellectus tantum diſtinguuntur, v. g. in hac Propoſitione, Petrus eſt Petrus, Prædicatum &

Res dupliciter distinguunt.

subiectum sunt vna res realiter, sed sunt duæ secundum rationem: quia aliter apprehenditur ab intellectu Petrus vt Subiectum, & aliter vt Prædicatum. Illa verò distinguuntur secundum rem, quæ secluso omni actu intellectus distinguuntur: sed hæc distinctio realis duplex est: quædam enim est distinctio realis secundum quam aliqua distinguuntur vt res & res, verbi gratia, cœlum & lapis, distinguũtur tanquam duæ res, quia alia est natura lapidis, & alia cœli, alia materia & forma lapidis, & alia cœli, quædam verò est distinctio rationis formalis, iuxta quem modum solet dici: quod actio & passio distinguuntur formaliter, hoc est, vna est entitas materialis, scilicet motus, sed duę ipsius rationes: imò in proposito, omnis relatio realis in rebus creatis distinguitur realiter à suo fundamento, non tanquam res à re, quia non est manifestum, quænam sit alia res paternitas & alia potentia generandi &c. sed est ibi distinctio realis formalis, adeò vt istæ propositiones sint falsæ: quantitas est æqualitas. Albedo est similitudo. Et sic de alijs: propterea quia Fundamenta ista & relationes, sunt formalitates distinctæ, & talis diuersitas sufficit ad distinctionem quorundam prædicamentorum, vt optimè demonstrat sapientissimus Bannes, 1. part. qu. 28. artic. 2. dubio 2. per totum.

Duplex distinctio realis.

Conclusio Omnis relatio realis in rebus creatis distinguitur realiter à suo fundamento.

Proba-

Probatur. Illa quæ pertinent ad diuersa prædicamenta distinguuntur realiter. Sed relatio & fundamentum relationis ad diuersa prædicamenta pertinent: Ergò omnis relatio realis in rebus creatis distinguitur realiter à suo fundamento. Maior supponitur vera, quia Prædicamenta decem, sunt prima Genera entium, quæ habent diuersas naturas. Minor verò probatur ex his quæ dicta sunt in corpore, quia nimirum fundamentum relationis aut est quantitas aut actio &c.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, ad cuius probationem suppono: quod dupliciter aliquid dicitur mutari, vno modo per se, & alio modo per accidens. Illud mutatur per se, cuius mutatio intenditur à natura, sicut dum lapis mouetur de loco superiori ad inferiorem, & ignis è contra, à loco inferiori ad superiorem. Per accidens verò illud mutatur, quod propter aliquod aliud extrinsecum mutatur: verbi gratia, si quis mitteret lapidem deorsum, & demittendo ipsum frangeret tabulam, tunc illa fractio tabulæ est per accidens: distinguo ergo Minorem, sed in hoc casu nulla est mutatio albi, per se & physica, concedo Minorem, per accidens seu metaphysica vt alij volunt, nego Minorem. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego antecedens: ad cuius probationem distinguo Minorem, sed relationes non producuntur per se, concedo Minorem: per accidens, nego Minorem: quia *Resp. ad II*

motus

motus eſt ad relationem per accidens; vnde qui produxit efficienter meam albedinem, produxit conſecutiuè meam ſimilitudinem & veluti ſecundariò, vniuerſaliter autem loquendo, qui produxit extremum alicuius relationis produxit relationem.

Ad tertium ſtando in doctrina, quam ſupra dedimus in lib. Prædicab. cap. 4. art. 3. nego Maiorem, non enim omne quod diſtinguitur ab aliquo realiter poteſt ab illo ſeparari, vt patet de materia & forma, de ſubiecto & propria paſſione &c.

ARTICVLVS V.

Vtrum Relatiua habeant contrarium, & ſuſcipiant magis & minus?

Argum. I. VIdetur quod non habeant contrarium. *Primò.* Nam Ariſtoteles in Poſtprædicamentis docet, quod oppoſitio relatiua, non eſt oppoſitio contraria, v. g. non ita opponitur pater & filius ſicut album & nigrum. Ergò ſi relatiua ſunt ſibi contraria, & Ariſt. eſt ſibi contrarius.

Argum. II. *Secundò.* Vbi eſt contrarietas ibi etiam eſt motus. Sed in relatione non eſt motus, neque productio, vt dictum eſt in argumento 2. arti. præcedentis: Ergò relatiua non habent contrarium. Maior prob. nam ideo color albus, contrariatur nigro, quia poteſt aliquod ſubiectum

iectum moueri de albo in nigrum, ſicut de calido in frigidum &c.

Tertiò. Quod non ſuſcipiunt magis & minus. Illa forma non ſuſcipit magis & minus, quæ eſt indiuiſibilis: ſed omnis relatio eſt forma indiuiſibilis. Ergò nulla relatio ſuſcipit magis & minus. Maior eſt euidens, quia ſi aliqua forma ſuſcipit magis & minus, iam poteſt huiuſmodi forma extendi à minori latitudine & perfectione ad maiorem, indiuiſibile autem non poteſt extendi, vt in Prædicamento Quantitatis multoties dictum eſt. Minor verò probatur, nam relatio nihil aliud eſt, niſi habitudo ſeu reſpectus ad terminum qui tamen reſpectus eſt ſimplex forma, vt patet. *Argu. III.*

Quartò. Si aliqua relatiua ſuſciperent magis & minus, maximè eſſent illa duo, quorum exempla poſuit Ariſtot. in textu, ſcilicet ſimile aut diſſimile, æquale aut inęquale. Sed hoc nõ eſt dicendum, ergò & primum. Minor eſt eiuſdem Ariſtotelis lib. 5. Phyſic. vt ſupra annotauimus, vbi apertè docet quod ſimilitudo & ęqualitas fundãtur in vnitate, quia ſicut vnum in quantitate dicitur æquale, ita vnum in qualitate dicitur ſimile. Tunc ego ſubſumo: Sed vnitas non ſuſcipit magis & minus. Ergò neque ſimilitudo aut æqualitas. *Argu. IV.*

Reſpondeo. Quod prima proprietas relatiuorum erat hæc: Relatiuo eſt aliquid contrarium. Pro cuius intelligentia oportet aduertere: quod relatiua dupliciter conſiderari poſ- *Reſolutio. NOTA. Duplex relatiuorum acceptio.*

possunt, vno modo secundum se, & in quantum sunt relatiua formaliter, & hoc pacto relatiua non habent contrarium, imò videtur hoc esse contra eorum naturam, nam contraria propriè illa vocantur, quę respiciunt subiectum formaliter, & ab illo se mutuò expellunt. Relatiuum autem vt relatiuum est, non respicit subiectum, sed terminum, vt in artic. 2. huius cap. dictum est. Alio modo possunt considerari relatiua, quatenus eis aliquid admiscetur fundamentaliter de altero Prædicamento. Et hoc pacto Proprietas prima est intelligenda, verbi gratia, virtus est cõtraria vicio, non ratione relationis, sed propter qualitatem quam ponit in anima, nimirũ esse virtuosum, & esse vitiosum, quæ sunt qualitates omninò contrariæ, & ita relatiua pro formali & vt relatiua sunt, non habent contrarium, pro fundamento verò habent.

Vel etiam potest explicari hæc Proprietas in hunc modum. Relatiua secundum esse non habent contrarium, relatiua verò secundum dici habent, quia etiam Aristoteles apposuit exemplum de virtute & scientia, quæ sunt relatiua secundum dici, vt dictum est: Et hoc solum est notandum circa hanc proprietatem.

Secunda autem proprietas erat huiusmodi. Relatiua suscipiunt magis & minus. Et hæc quidem proprietas ad eum modum explicãda est teste Caietano sicut & præcedẽs, nimirum, quod sicut relatio in quantum est relatio non reci-

recipit contrarium, ita neq; recipit magis & minus, & ſicut relatio ſimul producitur cum ſuo fundamento, ita ſimiliter recipit magis & minus ad receptionem fundamenti. v. g. ſi tu acquireres albedinem illam, quam ego antea habebam, incipio ego tibi eſſe ſimilis, & ſi tua albedo fuerit magis intenſa, ego quoq; efficior magis ſimilis &c. ſed hic ſubſiſte. Occurrit enim difficultas huiuſmodi. Æquale & inæquale ſunt relationes, quæ ſuſcipiunt magis & minus, & fundantur in quantitate vt in Artic. præcedente dictum eſt, quantitas autem non ſuſcipit magis & minus: quomodo ergò præſens doctrina ſaluatur? *Obiectio.*

Dico igitur prætermiſſis opinionibus Authorum ſuper hunc locum, quod æqualitas in hoc loco non accipitur ab Ariſtotele rigoroſè ſed tantum abuſiuè, & ſecundum reputationem, rigoroſè enim illa dicuntur æqualia quæ in nullo prorſus ſe excedunt, ſicut duæ tabulæ bicubitales. Quando verò ſunt aliqua, quæ parum ſe excedunt, tunc illa poſſunt dici ęqualia imperfectè, ſeu abuſiuè. Et ita licet quantitas non ſuſcipiat magis & minus, tamẽ propter augmẽtũ quantitatis poteſt dici quod ęqualitas abuſiuè sũpta ſuſcipiat magis & min⁹. *Reſponſio.*

Concluſio. Relatiua non ex parte ſui, ſed ex parte fundamenti habent contrarium, & ſuſcipiunt magis & minus.

Probatur. Tum authoritate philoſophi. Tum ex his quæ dicta ſunt in corpore.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Oppositio relatiua, non est oppositio contraria, si sumantur relatiua, vt relatiua sunt, concedo antecedens: si sumantur relatiua pro suis fundamentis, nego, præterea secundum esse concedo, secundum dici, nego vt dictum est.

Resp. ad II Ad secundum distinguo similiter Maiorem. Vbi est contrarietas formaliter & per se, ibi etiam est motus formaliter & per se, concedo Maiorem. Vbi est contrarietas pro fundamento & per accidens, ibi est motus fundamentaliter & per accidens, transeat, in relatiuis autẽ est motus per accidens, vt dictum est.

Resp. ad III. Ad tertium distinguo Maiorem. Illa forma non suscipit magis & minus quæ est indiuisibilis, non suscipit pro formali, & secundum se, concedo Maiorem. Fundamentaliter & per accidens, nego Maiorem, cuiusmodi est relatio.

Resp. ad IV. Ad quartum nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Minorem, vnitas nõ suscipit magis & minus ratione sui & formaliter, concedo Minorem, ratione fundamenti, nego.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Relatiua dicantur ad conuertentiam, & sint simul natura?

Argum I. VIdetur quod non dicantur ad conuertẽtiam. *Primò*. Multa sunt entia quæ dicũtur ad conuertentiam, & tamen non sunt relatiua.

tiua. Ergò non solis relatiuis hoc conuenit. Antecedēs prob. quā omne subiectum cōuertitur cum sua propria passione. vg. dicendo, si homo est, risibile est, & si risibile est, homo est. Præterea omne denominatiuum conuertitur cum forma denominante seu abstracta. v. g. si album est, albedine est albū, si iustum est, iusticia est iustum, si calidum est, per calorem est calidū; & sic de alijs: sed ista omnia non sunt entia relatiua. Ergò sunt multa entia, quæ dicuntur ad conuertentiam, & tamen non sunt relatiua.

Secundò. Quod non sint simul natura. Scientia & obiectum scibile sunt relatiua, sed ista non sunt simul natura, ergò relatiua non sunt simul natura. Minor prob. Quia obiectum scibile prius est scientiâ, & potest esse aliquid scibile, cuius scientia nondum est inuenta, & etiā destructâ scientiâ nō oportet quod destruatur scibile, nam alter mundus quem Deus potest creare est scibilis, & tamen nondum nos habemus de illo scientiam. *Argum. II.*

Tertiò. Pater & filius sunt verè relatiua, sed pater & filius non sunt simul natura, Ergò proprietas nulla est. Minor prob. Pater prius habet esse quam filius, est enim causa filij, & etiam mortuo patre remanet adhuc filius: ergò ista duo non sunt simul natura. *Argu. III.*

Respondeo. Quod tertia proprietas Relatiuorū erat hæc: Relatiua dicuntur ad conuertentiam. Quod vt intelligas, aduertendum est, quod *Resolutio.*

Differẽtia inter conuersionem cõuertibilitatem & conuertentiam.

hæc tria scilicet, conuersio, conuertibilitas, & conuertentia, differunt inter se. Nam Conuersio nihil aliud est, nisi mutatio subiecti in prædicatum & prædicati in subiectum, v.g. dicendo, nullus homo est lapis. Ergò nullus lapis est homo. Ac proindè cõuersio est passio Propositionũ. Conuertibilitas autẽ est passio quædam terminorum qui de se inuicem vniuersaliter affirmantur, & hæc conuertibilitas inuenitur sẽper inter Subiectũ & Propriam passionẽ, v.g. homo & risibile, cõuertibilia sũt, quia homo est subiectũ, & risibile est propria passio, vnde si homo est, risibile est, & si risibile est, homo est: porrò Conuertentia est passio relatiuorum, & nihil aliud est, nisi mutuus respectus & habitudo relatiui ad suum terminũ in casu obliquo, vt pater est filij pater, & filius est patris filius, non tamen benè diceres, pater est filius, & è contra, propter hanc causam quia hic non designatur aliqua habitudo vnius ad alterum, sed significatur vnum esse idem cum altero, Pater videlicet idem cum filio, & è conuerso, quod falsum est.

Relatiua sunt simul natura dupliciter intelligitur.

Pro intelligentia autem quartæ & vltimæ proprietatis, in qua dicitur, quod relatiua sunt simul natura, Sciendum est, quod relatiua dupliciter considerari possunt: vno modo quantum ad sua subiecta & fundamenta, & sic vnum illorum præcedit, & non sunt simul natura, verbi gratia, pater præcedit filium, & Dominus

minus seruum, hoc est, illa res quæ subijcitur relationi paternitatis, prior est, quam res subiecta filiationi. Et sic de alijs. Et de relatiuis hoc modo sumptis, non loquitur hic Aristot. Alio modo possunt considerari relatiua, secundum suum esse relatiuum formalissimè, hoc est, prout stant sub ratione formali Relationis. Et sic dicendum est, quod relatiua sunt simul natura, nam quam primum ponitur aliquis homo pater, sub paternitate, statim ponitur alter sub filiatione, & Dominus statim cum seruo. ac proinde pater & filius, Dominus & seruus, sunt simul natura, & secundum rem & secundum intellectum, neque quispiam poterit scire, quid sit pater, nisi sciat habitudinem ad filium, neq; quid sit Dominus, sine respectu ad seruum. Et sic de alijs.

Conclusio. Relatiua dicuntur ad conuertentiam & sunt simul natura.

Probatur, prima pars. Illa dicuntur ad conuertentiam, quæ habent mutuum respectum inter se in casu obliquo: sed relatiua sunt huiusmodi. Ergò ad conuertentiam dicuntur.

Secuda verò pars probatur. Illa sunt simul natura quæ ita se habent adinuicem quod posito vno ponitur alterum & destructo vno destruitur & alterũ, & consequenter cognito vno cognoscitur & alterum. Sed relatiua sunt huiusmodi. Ergò vera est conclusio. Minor prob. nam licet illa res, siue ille homo, qui est pater benè possit esse sine filio, & è contra, tamen

men illa res non potest esse sub relatione, paternitatis, sine filio, nec filius est filius nisi habeat patrem, licet benè sit homo, vt patet.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: nego antecedens, ad cuius probationem distinguo Maiorem. Omne subiectum conuertitur cum sua passione, ex eo quia sunt ad cõuertentiã, nego Maiorem, ex eo quia sunt conuertibilia, concedo Maiorem, vnde Propositiones conuertuntur à conuersione, relatiua conuertuntur à conuertentia, sed propria passio conuertitur cum subiecto à conuertibilitate.

Resp. ad II Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem distinguo antecedens. Obiectũ scibile prius est scientiâ, si sumatur obiectum & scientia fundamentaliter & pro rebus, concedo antecedens, si verò sumantur formaliter & pro relationibus, nego antecedens, vt in corpore dictum est.

Resp. ad III. Ad tertium nego Minorem, ad cuius probationem, distinguo antecedens: pater prius habet esse quam filius, si sumatur pater absolutè, pro illa re, quæ denominatur pater, concedo antecedens. Si verò sumatur pro illa re quatenus stat sub relatione paternitatis formaliter, nego antecedẽs. Sed quoniam aliæ difficultates non occurrunt quæ à Logicis circa hoc caput possent disputari, idcircò satis est de Relatione.

CAP.

CAPVT OCTAVVM DE QVALITATE ET QVALI.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Qualitas est secundum quam quales esse dicimur, verbi gratia, ab albedine vel nigredine, est aliquis albus vel niger. Sunt autem quatuor species qualitatis, scilicet habitus & dispositio, naturalis potentia & impotentia, passio & passibilis qualitas, figura & forma. Habitus & dispositio in hoc distinguuntur, quia habitus est qualitas difficulter mobilis à subiecto, dispositio autem est qualitas facilè mobilis, v.g. scientię & & virtutes dicuntur habitus: nam postquam aliquis acquirit scientiam, v.g. Logicam, Physicam &c. non mutabitur facilè ab illo, sicut & virtus Temperantiæ, Iustitiæ, Fortitudinis, &c. non potest facilè mutari. At vero dispositiones v.g. caliditas, ęgritudo, sanitas, citò trãsmutantur, quia ista omnia sunt quædam affectiones subiecti.

Definitio Qualitatis.

Quomodo habitus differat à dispositione.

Secunda verò species qualitatis est, Naturalis potentia & impotentia, v.g. aptitudo ad ridendum, ad currendum, ad luctandum, ad morbum vel ad sanitatem: vocatur potentia naturalis, quia hæc non sunt per aliquã dispositionẽ, sed insunt per naturã, similiter durũ & molle ad hãc speciẽ pertinẽt, nã durũ vocam⁹

illud,quod non poteſt facilè ſecari: molle autem è contrario.

Tertia ſpecies eſt, paſſio & paſſibilis qualitas. Paſſibilis qualitas nihil aliud eſt, niſi accidens quod ab aliqua paſſione difficilè mobili cauſatur, vt dulcedo, amaritudo, albedo &c. Appellantur autem Paſſibiles qualitates, non propterea, quia ſubiectum quod recipit iſtas qualitates aliquid ab ipſis patiatur, ad ſenſum enim conſtat, quod mel dulce nihil patitur à dulcedine, ſed ideò quia iſtę qualitates efficiunt paſſionem aliquam ſecundum ſenſum, vt dulcedo efficit quandam paſſionem ſecundum guſtum & calor ſecundum tactum & ſic de alijs. Paſſiones autem illæ vocantur, quæ ab accidẽtibus citò mobilibus cauſantur, verbi gratia, ſi quis contriſtatus fiat iracundior, iſte enim homo non poteſt dici iracundus, ſed tantum paſſus iracundiam.

Quarta ſpecies qualitatis eſt: forma & figura, ſicut rectitudo, curuitas, à quibus aliquid denominatur rectum vel curuum.

Secunda concluſio. Qualia ſunt quæ denominatiuè dicuntur à qualitate vel quomodolibet aliter ab his, verbi gratia, à candore candidus, & à Grammatica Grammaticus. Dixi quomodolibet, quia aliquando illa qualitas caret proprio nomine, & idcircò dicitur aliquid ab illa quodammodò, vt curſor à potentia currendi, vel etiam quia nimitum ipſum quale non habetur denominatiuè, vt à virtute dici-

dicitur aliquis ſtudioſus & nõ virtuoſus,quia tale denominatiuum non habetur.

Tertia concluſio. Tres ſunt proprietates qualitatis: *Prima eſt*: qualitati eſt aliquid contrarium, verbi gratia, iuſtitiæ iniuſtitia, albedo nigredini contrariatur,& in concretis iuſtum iniuſto, & album nigro. Non tamen hoc omnibus qualitatibus conuenit, nam rubro & pallido nihil eſt contrarium.

Proprietates qualitatis ſunt tres.

Secunda proprietas. Qualitas ſuſcipit magis & minus:nam vnum album eſt magis vel minus album quam alterum,non tamen in qualitatibus abſtractis, hoc verum eſt, vt iuſtitia non dicitur magis aut minus iuſtitia,ſimiliter albedo vel ſanitas, ſed dicitur magis aut minus iuſtus, ſanus, vel albus, præterea etiam figura quæ eſt quarta ſpecies non recipit magis & minus,vt puta Triangulus,Quadrangulus, quæ ſunt ſpecies figuræ.

*Tertia proprietas.*Maximè proprium eſt qualitati, vt ſecundum illam dicatur aliquid ſimile vel diſſimile, nam ſi vnus homo eſt ſimilis alteri, hoc ideò eſt, quia illi homines in eadem qualitate conueniunt, hoc eſt in albedine vel in ſcientia.

*Quarta concluſio.*Ex dictis ſequitur quædam difficultas, nam dictum eſt in Prædicamento relationis:quòd ſcientia & ſcibile ad relationẽ pertinent, modò autem collocauimus ſcientiam in prima ſpecie qualitatis, quo pacto ergò eadem res pertinebit ad diuerſa Prædica-

Responsio. menta? Sed aduerte: quod scientia si sumatur per modum Generis & in communi, spectat ad relationem, si verò sumatur pro suis speciebus pertinet ad qualitatem, verbi gratia, Logica, Physica &c. sunt Species scientię, & sunt in Prædicamento qualitatis, quia manifestum est quod ista non sunt relationes: Grammatica enim, aut Logica, nõ est alicuius Grãmatica aut Logica, sciẽtia verò respicit suum scibile Vel etiam potest dici quòd scientia etiam in Genere pertinet ad relationem, & ad qualitatem, sed sub diuersa ratione, quia in quantum facit rem qualem, hoc est scientem, vocatur qualitas, & inquantum refertur ad obiectum scibile, vocatur relatio. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Prædicamentum Qualitatis habeat aliquid pro formali per quod constituatur?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò.* Si qualitas haberet aliquod formale per quod constituatur. Ergò illud formale, erit hoc quod assignat Aristoteles in definitione qualitatis, videlicet, qualitas est secundum quam quales esse dicimur: sed hoc est falsum. Ergò Prædicamentum qualitatis, nihil habet pro formali: sequela Maioris videtur esse manifesta, nã per hac definitionẽ intẽdebat Aristoteles demõstrãre rationẽ formalẽ qualitatis. Minor verò proba-

probatur. Est aliquid in rerum natura cui cõuenit ista definitio,& tamen non est qualitas, Ergò hæc definitio non est de ratione formali qualitatis. Antecedens prob. Nam omnis forma seu differentia substantialis, est secundum quam quales esse dicimur, v.g. Si quis quæreret, quid est homo? Responderes animal,& si vltra percunctaretur, quale animal est homo? dices rationale: ergò rationale, sensibile, viuẽs &c. quæ sunt reductiue in Prædicamẽto substantiæ sunt talis naturæ, quòd secundum illa dicimur esse quales, vt patet.

Secundò. Si qualitas haberet aliquod formale. Ergò illud formale erit hoc, videlicet, esse dispositionem alicuius substantiæ vel subiecti vt nonnulli Thomistæ affirmant: sed hoc est cõtra Aristotelem. Ergò & prius. Minor prob. Nam Aristoteles 7. Metaphysicæ docet quod omne accidens est dispositio entis, hoc est substantiæ. *Argu. II.*

Tertiò. Dispositio est quædã species qualitatis vt in Textu apparet: Ergò non est ratio formaliter constitutiua qualitatis. Consequentia patet, quoniam qualitas pro suo formali non est aliqua species, sed potius est Genus Generalissimum. *Argu. III.*

Respondeo. Quod Aristoteles aliter ordinat Prædicamenta accidentium in hoc Libro,& aliter in Metaphysica, nam in lib. 5. Metaphysicæ primo constituit substantiam, deinde quantitatem, postea qualitatem & tandem rela- *Resolutio.*

relationem,& alia Prædicamenta. In hoc autem libro videtur esse ordo immutatus, quia post Prædicamentũ substantiæ collocat quantitatem, & relationem, & tandem postremò sequitur qualitas. Cuius processus ista est ratio: quia nimirum in Metaphysica considerat Philosophus Prædicamenta secundum quod sunt quædam partes entis, hoc est, in quantum quodlibet Prædicamentum importat determinatum gradum seu naturam entis, & quoniam qualitas perfectiorem habet naturam entis, quam relatio quia relatio totum suum esse habet ad aliud, hinc est quod prius oportebat agere de qualitate metaphysica, postea de relatione. Cæterum in Logica considerat Aristoteles omnia Prædicamenta accidentiũ, non inquantum sunt quædam partes entis, sed vt afficiunt aliquo modo substantiam, v.g. secundum quantitatem extenditur aliqua substantia, secundum relationem refertur ad aliquid, secundum actionem dicitur agens &c. Et quoniam substantia primò afficitur per quantitatem, & relationem, & posterius per qualitatem, hinc est, quod bono consilio talem ordinem statuit Philosophus in Prædicamentis. Hoc ergò supposito, difficultas est nõ modica, quam nescio cur vix non omnes Recentiores pertranseunt, quidnam est illud quod constituit formaliter hoc Prædicamentum & distinguit ipsum ab omni alio. Pro cuius rei intelligentia oportet aduertere, quod S. Thomas

mas

mas in prima ſecundæ quæſt.49.art.2.in Corpore & in prima parte quæſt.28. art. 2. etiam in corpore,ad hoc vt aſſignaret rationem formalem qualitatis aduertit hoc, ſcilicet: quod in omnibus Prædicamentis accidētium poſſumus conſiderare duo, aut quia accidentia ſunt, aut quia ſunt accidentia taliter, vt puta quantitas, qualitas &c. Si conſiderentur vt accidentia ſunt,ſic vnicum eſt formale conſtitutiuum omnium illorum, ſcilicet inhærentia aptitudinalis,(vt in lib. Prædicab. cap. 5. artic.4.per totum ſatis dictum eſt,) ac proindè non currit præſens quæſtio de ratione formali qualitatis in quantum eſt accidens.Si verò conſideremus Prædicamenta accidentium in quantum ſunt accidentia taliter, hoc eſt, quantitas,relatio &c.Tunc dicēdum eſt,quòd habent diuerſas rationes formales,quibus adinuicem diſtinguuntur.Et hæc ratio formalis in qualitate, vocatur diſpoſitio ſubſtantiæ. Hæc S. Doctor licet non ijſdem verbis: Ex quo loco apparet: quod qualitas pro formali eſt diſpoſitio ſubiecti, & quoniam diſpoſitio in hoc paſſu eſt ordo habentis partes,hinc eſt, quod ordinare ſubſtantiam eſſentialiter conuenit qualitati. Imaginandum eſt enim,quod ſubſtantia, verbi gratia, Petrus aut Franciſcus, poſtquam iam habet quantitatem, & extenſionem ſuarum partium,vt puta,caput,manus &c. eſt quodam modo indifferens ad plura, hoc eſt,nondum habet omnem determinatio-

nem quam potest habere in se ipso, nam Petrus, qui est quantus, seu magnus, potest adhuc esse coloratus, albus, calidus, &c. Et istam determinationem substantiæ in Petro, non faciunt alia Prædicamenta præter qualitatem, quia non sunt dispositiones formales vt patet; nam quantitas non est dispositio; licet interdum posset dici causa dispositionis, hoc est, pulchritudinis, deformitatis, valetudinis &c. Similiter relatio non disponit substantiã in seipsa sed illam refert ad aliud. Vnde si quis quæreret quo modo est Petrus? non est dicẽdum, quòd est magnus, longus, vel pater, aut aliquid huiusmodi, sed quod est bon⁹, vel malus, potens, aut impotens, sanus, aut æger. Et hoc benè nota: est enim doctrina S. Thomæ, dummodò accipiatur qualitas primò intentionaliter seu entitatiuè & metaphysicè: nam qualitas Logica seu secundo intentionaliter sumpta est formaliter quædam relatio rationis, quam format intellectus, ex eo quia videt aliquas formas accidentales in rerum natura, quæ inhærent substantiæ & illam in seipsa disponunt.

Conclusio. Ratio formalis constitutiua Qualitatis, est disponere substantiam.

Probatur. Illa est ratio formaliter constitutiua qualitatis in qua conueniunt essentialiter omnes species qualitatis, & per eam distinguuntur ab omni alio. Sed omnes species qualitatis cõueniunt in hoc, quod est dispone-

re sub-

re ſubſtantiā, & hoc ipſo diſtinguuntur ab omni alio Prædicamento. Ergo ratio formalis conſtitutiua qualitatis, eſt diſponere ſubſtantiam. Maior eſt euidens in exemplo hominis, nam illa eſt ratio formalis hominis, in qua conueniunt omnes homines eſſentialiter, & per quam diſtinguuntur ab omni eo, quod non eſt homo. Minor verò patet in toto Corpore.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, ad cuius probationem, nego antecedens: ad cuius adhuc probationem, diſtinguo illam quę aſſumitur, forma ſubſtantialis eſt illa ſecundum quam quales eſſe dicimur, propriè & accidentaliter, tanquam diſpoſiti per illas formas, nego antecedens: impropriè & communiter tanquam denominati eſſentialiter, concedo antecedens: ſemper enim conceſſimus quod differentia ſubſtantialis vt ſic, prædicatur de pluribus in quale eſſentiale. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum nego Minorē, ad cuius probationem admitto Authoritatē Ariſtotelis & explico illam, omne accidēs eſt diſpoſitio entis ſeu ſubſtantiæ diſpoſitio propriè, nego: largo modo & communiter, concedo. *Reſp. ad II*

Ad tertium diſtinguo antecedens, diſpoſitio eſt quædā ſpecies qualitatis, ſi ſumatur pro ordine habentis partes tantum, & nihil aliud explicando, nego Antecedens: ſi ſumatur ſtrictiori modo prout infrà explicabitur, tranſeat antecedens, ſicut in ſimili, Petrus eſt homo, *Reſp. ad III.*

non

non tamen de essentia hominis est Petrus, quia homo in Petro est stricto modo, hoc est particularis: Et ita in præsenti, vt patet.

ARTICVLVS II.

Vtrum species Qualitatis sint tantum quatuor, ita vt non possint esse plures aut pauciores?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Habere species, conuenit Generi: sed qualitas nō est Genus. Ergò nullam habet Speciem, Minor patet in textu huius capitis, vbi Aristoteles volens diuidere qualitatem, dicit hæc verba: qualitas multipliciter dicitur &c. Tunc sic argumentor: sed illud quod est multiplex, & non vnum non potest esse Genus, sicut canis & sanum. Ergò qualitas non est Genus.

Argum. II. *Secundò.* Si species qualitatis essent illæ quatuor iam enumeratæ, sequeretur quod cum ibi ponatur habitus, erit etiam species inferior sub qualitate, sed hoc est falsum. Ergò nō sunt 4. species qualitatis. Minor. Genus generalissimum, nunquam potest esse Species, quia semper est Genus, vt in lib. Prędicab, cap. 1. articulo 1. in corpore dictum est: sed habitus est genus generalissimum, & est Prædicamentū vltimum. Ergò habitus non est species qualitatis.

Argu. III. *Tertiò.* Species intelligibiles sunt qualitates, sed

ſed non poſſunt pertinere ad aliquam ſpeciẽ ex prædictis quatuor. Ergò plures debent eſſe ſpecies qualitatis. Minor patet applicando definitiones omnium ſpecierum qualitatis, ad ipſam ſpeciem intelligibilem.

Reſpondeo. Quod licet qualitas nõ poſſit definiri quidditatiuè quia non habet ſupra ſe aliquod genus & differentiam, poteſt tamen definiri deſcriptiuè, ſicut de facto Ariſtoteles in hoc Textu illam deſcribit in hunc modum: Qualitas eſt, ſecundum quam quales eſſe dicimur, vt ab albedine albi, à Logica Logici. Vbi animaduertendum eſt, quod non ſine cauſa dixit Ariſtoteles, dicimur, id eſt nos homines, ita vt ſit ſenſus, qualitas eſt forma accidentalis, ſecundum quam nos homines dicimur eſſe quales, & rationem huius optimã affert inter alios Magiſter Glogouienſis, in ſuo Exercitio quæſt. 1. huius cap. notando 1. quoniam qualitas perfectiori modo eſt in hominibus, quã in aliquo alio ente, alia enim entia præter hominem, aut habent qualitates corporales tantum, vt ſunt lapides, arbores, elementa, in quibus eſt calidum, frigidum, ſiccum, graue, &c. Aut etiam habent qualitates ſpirituales tantum, vt in Angelis ſpecies ſeu formæ intelligibiles, ſcientia, dona, &c. Cæterum homo cum ſit aliquid compoſitum ex corpore & ſpiritu, õnes prædictas proprietates cõtinet, & conſequẽter meritò Ariſt. definit qualitatẽ per hominẽ, participat enim cũ rebus inanimatis

Reſolutio.

Explicatio definitionis Qualitatis.

matis in essendo, hoc est, quia est quoddam ens, & quædam natura, cum vegetabilibus autem participat in vegetando, vt est planta, rosa, &c. Cum brutis in sentiendo, & cum Angelis in intelligendo. Hoc igitur pacto definita qualitas, quatuor tantum habet Species, quæ ipsam adæquatè diuidunt, ita vt nõ possint esse plures aut pauciores, nisi fortè reducantur ad prędictas quatuor, cuiusmodi sunt: habitus & dispositio, naturalis potẽtia & impotẽtia, passio & passibilis qualitas, forma & figura. Cuius diuisionis talem sufficientiam assignat °D. Thomas prima secundæ quæst. 49. Artic. 2. quoniam omnis qualitas pro formali est dispositio substantiæ, substantia aũt disponitur vel secundum suam naturam, vel secundum actionem & passionem, vel secundum quantitatem, si ergò qualitas aliqua disponit substantiam secundum suam naturam, tunc est in prima specie qualitatis, videlicet in habitu & dispositione, nam per habitum & dispositionẽ afficitur aliquis benè vel malè, verbi gratia, per virtutes & vitia, per iustitiam, temperantiam, auaritiam, hoc vel illo modo natura alicuius inclinatur & disponitur. Si aũt qualitas aliqua disponit subiectum, non secundum naturam suam, sed tantum in ordine ad aliquam actionem & passionem, tanquam principium agendi & patiendi, tunc est in secunda specie qualitatis, quæ est, Naturalis potentia & impotentia, v.g. ex eo, quia aliquis habet pedes aut sensum visus inclinatur naturaliter, ad viden-

Vnde numerus specierum Qualitatis desumatur.

dum vel ambulandũ &c. quod si aliquis disponitur ad terminum actionis,sic est passio & passibilis qualitas. Postremo tandem si aliqua res disponitur secundum quantitatem & per illam afficitur, tunc est Forma & Figura.

Conclusio. Quatuor tantum sunt species Qualitatis, de quibus qualitas vniuocè prædicatur, tanquam Genus Generalißimum.

Probatur prima pars: Ex authoritate Angelici Doctoris, modò iam adducta.

Secunda vero pars, scilic. quod vniuocè prędicetur qualitas de illis specieb. sic probatur: Illud est Genus vniuocũ ꝙ p̄dicatur de plurib. specieb. secundũ idē nomē & secundũ eandē rationē æqualiter participatā. Sed qualitas in cõmuni cõsiderata, prædicatur de pluribus specieb. hoc pacto, ergò est Genus vniuocũ ad suas Species. Minor prob. nā habitus & dispositio, figura &c. cõueniũt in hoc nomine, scili. Qualitas & vltra hoc conueniũt in ratione seu natura qualitatis, quia õnia ista sũt dispositiones & modi afficiẽtes substātiā, in quo cõsistit tota ratio formalis qualitatis, vt dixim⁹ antea.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorē, ad cuius probationē, admitto authoritatem Aristot. & explico illam, qualitas multipliciter dicitur, hoc est, æquiuocè, nego; multipliciter, pluraliter, transeat. Volo dicere, quòd duplex est multiplicitas, videlicet significatorum, & suppositorum, seu inferiorum: prima multiplicitas conuenit æquiuocis, & non secunda, *Resp. ad 1.*

& ita qualitas dicitur multipliciter secundo modo, omnis tamen multitudo qualitatum reducitur ad quatuor prædictas species.

Resp. ad II. Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem distinguo similiter Minorem, sed habitus est Genus Generalissimũ prout importat adiacentiam corporum, concedo Minorem, prout importat qualitatem quæ disponit subiectum secundum naturam ipsius subiecti & difficulter mouetur à subiecto, nego.

Resp. ad III. Ad tertium nego Minorem, nam species intelligibilis pertinet ad secundam speciem qualitatis, propter hanc causam, quia nõ quærimus eas ad benè intelligendum, sed ad simpliciter intelligendum: sed de hoc postea.

ARTICVLVS III.

Vtrum Habitus & Dispositio distinguantur Specie?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Authoritate Aristotelis in hoc textu, vbi ait statim à principio: Vna quidem species qualitatis, habitus & dispositio dicuntur. Ergò non oportet assumere oppositum.

Argum. II. *Secundò.* Illa quæ differunt accidentaliter tantum non differunt specie, verbi gratia, homo niger, & homo albus differunt per accidens: sed habitus & dispositio accidentaliter solum

ſolum diſtinguuntur, ergò ſunt vna ſpecies. Minor prob. quia habitus & diſpoſitio nullâ aliâ ratione diſtinguuntur, niſi per hoc, quòd habitus eſt qualitas difficilè à ſubiecto mobilis, diſpoſitio autem eſt facilè mobilis. Tunc ſubſumo: ſed eſſe facilè vel difficilè mobile, ſunt differentiæ accidentales, ergò habitus & diſpoſitio accidentaliter ſolum diſtinguuntur.

Tertiò. Accipio ex vna parte ſcientiam, per quam aliquis homo incipit eſſe ſciens, & eandem ſimiliter accipio poſtquam iam fuerit radicata in illo homine ſciente. Tunc ſic argumentor. Illæ ſcientiæ ſunt inter ſe diſtinctę ſpecie, quæ habent obiecta diſtincta ſpecie, ſed ſcientia vt diſpoſitio & ſcientia vt habitus, idem habet obiectum. Ergò habitus & diſpoſitio non ſunt qualitates diſtinctæ ſpecie, Maior prob. Nam ideò Phyſica non eſt eiuſdē ſpeciei cum Logica, quia obiectum Logicæ, nempe rationis, non eſt idem cū obiecto Phyſicæ, quale eſt eius mobile, vt patet. Minor verò probatur. Nam puer qui incipit addiſcere logicalia, idem obiectum Logicæ conſiderat, ſicut & ille qui iam à viginti annis eandem Logicam acquiſiuit, nimirum conſiderat, ens rationis. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod habitus tribus modis accipitur apud Philoſophos: Primò quatenus idē ſignificat quod habere, iuxta quem modum vna res dicitur habere aliā, verbi gratia, habere *Reſolutio. Triplex habitus acceptio*

domum, librum, pecuniam, &c. & sic habitus non sumitur ab Aristot. in præsenti, sed potius spectat ad vltimum postprædicamentum. Secundò modo sumitur habitus quatenus significat accidens illud, quod aduenit corpori propter adiacentiã alicuius vestis vel armorũ &c. v.g. habere vestem, seu esse vestitum, habere calceos, seu esse calceatum, habere arma, seu armatum esse, & neq; hoc modo accipitur ab Aristot. habitus in præsenti, quia est secundum se Prædicamentum vltimum de quo postea.

Restat igitur tertia & postrema acceptio habitus, quatenus significat qualitatem inhærentem alicui subiecto, quâ disponitur subiectum ad benè vel malè operandum, & est difficilè mobilis à subiecto. v. g. scientia quã aliquis perfectè acquisiuit est in intellectu, & habet illam intellectus, & inclinatur per illã ad actus scientificos, & ad deducendas conclusiones ex proprijs principijs, & hoc quoad Habitum.

Duplex acceptio dispositionis.

De Dispositione autem, prænotandum est: quod dispositio accipitur dupliciter. *Vno modo* generaliter & in communi, pro omni qualitate, quæ afficit subiectum quomodocunq; & sic dispositio est ratio formalis qualitatis, prout est Genus generalissimum, & continet sub se omnes species, ac proindè continet etiã habitum & dispositionem, & non quærimus de illa in præsenti: certũ enim est, quod dispo-

sitio

ſitio hoc modo conſiderata,non diſtinguitur ſecundum rem à qualibet Specie qualitatis, ſed tantum ſecundum rationem, ſicut in ſimili omne Genus & ratio formalis Generis ſolâ ratione diſtinguitur à qualibet Specie,& rationibus ſpecificis.

Alio modo accipitur diſpoſitio ſpecialiter tātum,hoc eſt quantum ad id,ad quod ſignificandum eſt nomen impoſitum,pro illa videlicet qualitate quæ imperfectè diſponit ſubiectum ad operandum. Et ſic diſpoſitio conſiderata, diſtinguitur ab habitu,tam ex parte generationis,quā etiam ex parte corruptionis: vt aduertit Magiſter Glogouienſis in hoc Prædicamento quæſt. 1.Notando 1.

Dico ex parte generationis,quoniam habitus acquiritur ſeu generatur per multas operationes,v.g.ſcientia & quælibet alia virtus,quā aliquis acquiſiuit laboribus continuis. Vnde Ariſtot.in li.10.Ethic. ſic ait, quemadmodum vna hirundo non facit ver, nec vna dies calida facit æſtatem, ita neq vna virtus facit hominem fœlicem. Cęterū diſpoſitio poteſt generari ex vnico actu, abſq; laboribus aſſiduis. v.g. ſi quis efficiatur deuotus ex aliqua meditatione aut pro opere &c. Ex parte autem corruptionis tale diſcrimen poteſt eſſe,quia habitus difficilè poteſt mutari à ſubiecto ex ſua natura,quia vt dixi per multos actus ſeu operationes acquiritur, & ita ſicut illi eſſentiale eſt quod per multos actus producatur ita *Differētia inter habitum & diſpoſitionem.*

essentiale etiam est ipsi, quòd sit qualitas difficilè mobilis, licet forsitan propter causas extrinsecas & aliquas permutationes possit moueri, cuius oppositum apparet in dispositione.

Conclusio. Habitus & dispositio sunt duæ qualitates specie distinctæ & sunt duæ species subalternæ.

Probatur. Illa distinguuntur specie, quæ habent differentias essentialiter distinctas, verbi gratia, homo & equus aut paries &c. Sed habitus & dispositio habent differentias essentialiter distinctas. Ergò habitus & dispositio sunt duæ qualitates specie distinctæ. Minor prob. Nam difficilè mobile ex sua natura, & facilè mobile etiam ex natura distinguuntur essentialiter: hæc autem duo sunt differentiæ habitus & dispositionis, vt dictum est.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum, admitto authoritatem Aristotelis & explico illã, vna species qualitatis habitus & dispositio dicuntur, hoc est, habitus & dispositio propriè sumpta, conueniunt in vna ratione dispositionis generaliter sumptæ, concedo. Habitus & dispositio propriè sumpta, conueniunt in eadem ratione speciali, nego.

Resp. ad II. Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Minorem; sed esse facilè vel difficilè mobile, sunt differentiæ accidentales. Si sumatur facilè vel difficilè mobile ex parte speciei ipsius habitus & dispositionis, nego Minorem, si autem suman-

ſumantur per accidens, ſeu ex conditione indiuidui, tranſeat minor.

Explico: Illud vocatur difficilè mobile ex ratione ſpeciei, quod ex natura ſua tales cauſas poſtulat, quæ difficilè mutationem aliquã recipiunt, verbi gratia, ſcientia habet pro cauſa ſua abſtractionem intellectus agentis, & ſimiliter intellectum poſſibilem &c. quæ, vt apparet, difficilè mutantur, ſanitas aũt è contrario ſe habet, quia cum ſit quædam diſpoſitio, ex talibus cauſis naſcitur quę facilè variationem admittunt, cuiuſmodi ſunt, calidum, frigidum, &c. Illud autem eſt difficilè mobile ex conditione indiuidui, ſeu per accidẽs, quod licet in ſua natura ſpecifica non facilè varietur, tamen quia recipitur in aliquo ſubiecto malè diſpoſito, poteſt variari ſicut alias in Germania contigit circa annum 1472. quod aliquis Sacerdos honeſtę conuerſationis, nulla infirmitate præuiâ, totaliter ſcientiam amiſit, adeò vt etiam prima elementa penitus ignoraret. Videatur Commentum ſuper Veterem artem Ariſtotelis ſecundum viam Albertiſtarum, in hoc Prædicamento, dubio 3. cauſa ſeptima.

Ad tertium nego ſuppoſitum Minoris. Nam illa minor ſupponit hoc falſum, videlicet, quòd ſcientia quando in principio quęritur, non ſit habitus ſecundum naturam ſuam ſed diſpoſitio, hoc inquam falſum eſt, quoniã ſcientia à principio, non eſt diſpoſitio ex ſua *Reſp. ad III.*

ſpecifica natura, ſed tantum ex conditione indiuidui vt dictum eſt, hoc autem totum eſt diſpoſitio ab extrinſeco & per accidens.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Naturalis potentia & impotentia, ſint veræ ſpecies Qualitatis abinuicem diſtinctæ?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Naturalis potentia & impotentia, non diſtinguuntur à prima ſpecie qualitatis, ſcilicet ab habitu & diſpoſitione. Ergò nec inter ſe etiam diſtinguuntur. Conſequentia videtur manifeſta, ex eo quia plus debent diſtare qualitates ſecundæ ſpeciei à prima, quam ſecundæ inter ſe. Antecedens prob. nam ſecunda ſpecies qualitatis, nihil aliud dicit pro formali niſi diſpoſitionem quandam ad operandum, ſed diſpoſitiones ad operandum reponuntur in prima ſpecie qual. verbi gratia, ars, prudentia &c. Ergò Naturalis potentia & impotentia non diſtinguuntur à prima ſpecie qualitatis.

Argu. II. *Secundò.* Ex Doctore Ruuio. Perfectè agere & imperfectè agere, non diſtinguuntur eſſentialiter. Sed naturalis potentia ſignificat qualitatem per quam ſubſtantia poteſt aliquid perfectè agere: Naturalis autem impotentia eſt qualitas per quam ſubſtantia difficulter & cum debilitate poteſt agere, ergò iſta duo non diſtinguuntur eſſentialiter, Minor videtur eſſe Ariſtotelis in textu.

Tertiò.

Tertiò. Illa differunt Specie, quæ habent diuersas formas & actus, verbi gratia, homo & lignum: sed naturalis potentia & impotentia eandem habent formam & actum. Ergò etiã eandẽ Speciem cõstituunt. Minor prob. Quia tantum differunt sicut principium perfectum & imperfectum eiusdem operationis, ergò eandem respiciunt operationem, Ergò habẽt eundem actum. *Argu. III.*

Respondeo Quod inter primam speciẽ qualitatis, de qua iam in articulo præcedente dixi, & inter hanc, triplex est discrimẽ: Primò differunt. Quoniam istę Species, nimirum naturalis potentia & impotentia, conueniũt rebus à natura, tanquam proprietates naturales, at verò habitus & dispositio, non sunt à natura: sed quæruntur per multas operationes & exercitia, verbi gratia, intellectus, & voluntas sunt potentiæ naturales in anima humana, similiter posse calefacere, est potentia naturalis in igne, posse moueri est potentia in homine &c & ista omnia à natura insunt, nunquam enim anima humana acquirit intellectum, vel voluntatem, neq; homo acquirit potentiã ad mouẽdũ, vt patet. At verò scientiæ & virtutes, fides & error, vitium &c. non insunt à natura, sed dicuntur habitus acquisiti per actus nostros. *Resolutio.* *Inter primam & secundam speciem qualitatis triplex est discrimen.*

Secunda differentia est, quia naturalis potentia & impotentia, sunt huiusmodi qua-

litates

litates, quæ requiruntur simpliciter ad operãdum, adeò vt sine illis nulla res possit naturaliter operari. Habitus autem & dispositio nõ requiruntur ad operandum simpliciter, sed ad operandum benè vel malè, v. g. intellectus de se nihil aliud importat, nisi principium intelligendi absolutè, cęterum scientia quæ pertinet ad primam speciem est habitus benè & faciliter operandi, error est habitus malè operãdi, similiter virtus & vitiũ, fides & hęresis, &c.

Tertia differentia est. Quia ordine generationis, prior est naturalis potentia & impotentia, quam habitus & dispositio, ac proindè habitus quilibet, disponit substantiam mediãte potẽtia naturali, v. g. sciẽtia disponit hominẽ mediãte intellectu, attamẽ via perfectionis, prior est habitus quã potẽtia naturalis, ex eo quia habitus perfectius disponit substantiam. Hoc ergò supposito, aduerte: quòd potentia naturalis sic definitur. Potentia naturalis, est quædam qualitas, per quam substantia potest facilè aliquid naturaliter operari, & resistere contrarijs, verbi gratia, cursores illi dicuntur, qui habent potentiam naturalem ad facilè currendum, ex eo videlicet quia habent crura longa & agilia, corpus etiam non graue &c. Vnde naturale in hoc passu, teste Caietano, distinguitur ab acquisito, similiter pugillatores illi dicuntur, qui naturalem habent potentiam ad facilè dandum ictus fortes, præterea durum resistit naturaliter sectioni &c.

Definitio potentiæ naturalis.

ni &c. Naturalis autem impotentia eſt quædam qualitas, per quam ſubſtantia eſt impotens naturaliter ad faciliter operandum, & ad reſiſtendum contrarijs, verbi gratia, ægrotatiui illi dicuntur, qui non poſſunt naturaliter reſiſtere ægritudini, ac per hoc facilè patiuntur, ſimiliter inepti ad currendum, habent hãc impotentiam, præterea molle patitur facilè ſciſſionem &c. Ex quo inferunt Thomiſtæ cum præceptore Angelico in prima ſecundę, quęſtion. 49. artic. 2. & 3. quod iſtæ duæ ſpecies diſtinguuntur inter ſe eſſentialiter, ſicut habitus & diſpoſitio: nam vt ibi S. Thomas optimè declarat: Secunda ſpecies qualitatis eſt quidam modus qui determinat ſubſtantiam ſecundum actionem & paſſionem. *Definitio Naturalis impotentiæ.*

Concluſio. Naturalis potentia & impotentia ſunt duæ ſpecies qualitatis eſſentialiter diſtinctæ.

Probatur. Illa differunt eſſentialiter, quæ habent differentias eſſentialiter diſtinctas. Sed naturalis potentia & impotentia conſtituuntur per differentias eſſentialiter diſtinctas. Ergò ſunt duæ ſpecies qualitatis eſſentialiter diſtinctæ. Maior eſt manifeſta in multis & in articulo pręcedente. Minor verò probatur. Nam potentia naturalis, eſt principium faciendi aliquid facillimè, aut nihil patiendi. Naturalis autem impotentia è contra ſe habet, eſt enim principium impotens ad reſiſtendum. Et vniuerſaliter loquẽdo, ſi vis ſcire differentiã inter has ſpecies, conſiſtit in hoc: quòd naturalis poten-

potentia est potentia actiua. Naturalis autem impotentia est passiua, quæ duæ potentiæ essentialiter distinguuntur, sicut comburi & comburere, ædificari & ædificare, doceri & docere &c.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum, nego antecedens, ad cuius probationem distinguo Minorem, sed dispositiones ad operandum reponuntur in prima specie qualitatis, dispositiones ad operandum absolutè & simpliciter, nego Minorem, quia in hac specie continẽtur: ad operandum benè vel malè, concedo Minorem.

Resp. ad II Ad secundum nego Minorem, quam nescio cur non probauit prædictus Magister, sed probat id quod nunquam negamus, neque etiam ex ipso Aristotele potest aliquid pro sua opinione adducere: imò eximius Aristotelis interpres S. Thomas, docet oppositum illius minoris in prima secundæ vt dixi, intelligendo per naturalẽ potentiam & impotentiam, potentiam actiuam & passiuam.

Resp. ad III. Ad tertium nego Minorem, ad cuius probationem, nego antecedens, non enim hæc est differentia harum specierum, vt dictum est.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum Paßio & Paßibilis Qualitas sint vna tantum species qualitatis?

VIdetur quod non. *Primò.* Nam omnia Prædicamenta habent distinctas naturas: sed passio est quoddam Prædicamentum speciale. Ergò distinctam habet naturã à qualitate, ergò non est species qualitatis, quod articulus iste videtur supponere. Maior est certa, ex eo quia naturæ Prædicamentorũ sunt impermixtæ. Minor verò conceditur ab omnibus, qui numerum denarium Prædicamentorum admittunt. *Argum. I.*

Secundò. Si passibilis qualitas esset eadem species cum passione, hoc erit ideo, quia passibilis qualitas causat passionem vel potest causare, sed hoc dici non potest. Ergò non est eadem species. Minor probatur. Nam si causat passionem, ergò est actio. Ergò non est qualitas: nam etiam ista duo Prædicamenta scilicet qualitas & actio, habent naturas diuersas, vt patet. *Argum. II.*

Tertiò. Habitus & dispositio distinguuntur specie vt superius in artic. tertio huius capitis dictum est: ergò etiam passio & passibilis qualitas similiter distinguuntur. Consequentia prob. Ideò habitus & dispositio differunt specie, quia habitus est difficilè mobilis à subiecto: Dispositio autem *Argu. III.*

est

est facilè mobilis, sed etiam passibilis qualitas, est difficilè mobilis à subiecto, passio autem facilè: ergò essentialiter & specificè distinguũtur.

Resolutio. *Respondeo.* Quod passibile dicitur à passione, tribus autem modis ab omnibus fermè Logicis sumitur passio: Primò cõmuniter, prout idem est, quod receptio alicuius formę, siue illa forma perficiat subiectum, siue etiam ipsum corrumpat, & hoc pacto cognitio sensitiua, vel intellectiua, tristitia, calor &c. vocãtur passiones communiter, quia ista omnia recipiũtur in subiectis, & quædam ex illis perficiunt, quædam verò corrumpunt subiectum. Secũdò sumitur passio propriè pro receptione alicuius formæ seu qualitatis, per quam subiectum illud ad solam corruptionem disponitur, v.g. calor qui recipitur in aqua frigida, est passio aquæ, & similiter combustio applicata ad hominem vel ad domum, est passio hominis, quia sicut aqua per calorem disponitur ad corruptionem, ita homo per combustionẽ disponitur ad mortem: & hoc modo sumpta passio; debet esse cum aliquo motu, & constituit Prædicamentum speciale, neq; de illa est præsens quæstio: si enim est speciale Prędicamentum, certè est Genus generalissimum ad omnes passiones, & non habet supra se aliud superueniens genus.

Triplex acceptio Paßionis.

Tertio, & vltimo modo sumitur passio pro quadam qualitate quæ est effectus passionis, vel

vel etiam causat passionem. v.g. rubor quem aliquis ex verecundia contrahit, & similiter pallor ex vehementi timore, dicuntur passiones. Hoc igitur supposito: Quærimus nunc, in quanam acceptione vtatur Aristoteles nomine passionis in præsenti, quando dicit, quod passio & passibilis qualitas constituunt tertiã speciem qualitatis. Pro cuius resolutione:

Dico: Quod ista tertia Species qualitatis habet quidem aliquid essentiale per quod intrinsecè constituitur, & differt ab alijs speciebus, tamẽ illud essentiale & intrinsecum explicamus per aliquid extrinsecum, sicut etiam in relatiuis sæpius hoc videmus. Nam pater habet quidẽ in se aliquod accidens, per quod constituitur formaliter nimirum paternitatem, tamen illa forma, & illud accidens non potest concipi sine aliquo extrinseco, & ita pater explicatur per hoc, quia habet filium ad quem refertur, & sic de alijs relationibus. Ita ergò in proposito passibilis qualitas, habet suam essentiam propriam, per quam constituitur intrinsecè, tamen nos explicamus illam essentiam per aliquid extrinsecum, videlicet per passionẽ quã causat talis species, vel à qua causatur, ac proinde qualitas quæ est producta ex passione, vel etiam quæ producit ipsam passionem vocatur passibilis qualitas, verbi gratia, pallor est qualitas, & pertinet ad hanc speciem tertiam, cuius essentia explicatur per hoc; quia est passibilis, hoc est, vel quia causat & facit ali-

Quomodo Paßibilis qualitatis & Paßionis essentiã debeat dignosci.

quam rem pallidam, vel etiam quia causatur ex passione vt puta ex timore vel ex alia causa. Ex quo infero duo.

Primum est, quod passio & passibilis qualitas, non sunt duæ Species essentialiter distinctæ, sed tantum modaliter seu per accidens, hoc est, est quidem eadem qualitas & essentia vtriusq; est eadem, non tamen cum eodem modo: nam qualitas illa, prout causatur ex passione, seu etiam causat passionem in subiecto, & difficilè ab ipso mouetur, vocatur passibilis: si autem eademmet qualitas citò trãsit, & facilè mouetur à subiecto, vocatur passio, v.g. color rubeus, quem aliqui homines habent ex natura, est passibilis qualitas, quia difficilè mouetur, & per eum appellantur homines rubicundi, at verò si quispiam ex verecundia efficiatur rubeus quæ rubedo citò pertrãsit, tunc iam appellatur pasio, nec potest ab illa quispiam appellari rubicundus, sed ruborem passus.

Infero secundò. Quod pasibilis qualitas in præsenti est illa quæ causat pasionem, vel ab illa causatur, siue talis pasio sit in appetitu verbi gratia. Sira, gaudium, dolor, amor &c. siue sit pasio corruptiua. v. g. combustio, calefactio, frigefactio &c. siue perfectiua, verbi gratia, intellectio, visio, auditio &c. nam hæc omnia vel causant pasionem, vel ab illa causantur.

Conclusio. Paßio & paßibilis qualitas non sunt duæ spe-

species essentialiter distinctæ sed tantum modaliter seu per accidens.

Probatur. Parum vel multum durare, non facit species diuersas. Ergò etiam qualitates quę ita se habent, quod vna earum parum durat, & altera multum, non distinguuntur essentialiter; Sed passio in hoc solum differt à passibili qualitate, quia est citò transiens & parum durat, passibilis autem qualitas, è contra se habet, ergò ista duo vnicam speciem essentialiter constituunt, & solum differunt per accidens; vt patet. Antecedens prob. Nam etiamsi aliquis homo viuat ducētis annis, non erit specie distinctus essētialiter, ab illo homine, qui duabus duntaxat horis perseuerat. Consequentia verò prima etiam videtur esse manifesta, ex eo, quia duratio parua vel longa accidit omni qualitati, & non est de essentia illius, nam disponere subiectum aliquo modo, est ratio formalis ipsius, vt antea dictum est.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem, passio est quoddam Prædicamentum speciale, vt est quidam motus qui recipitur in passo, concedo Minorem, vt est quædam qualitas citò transiens, nego Minorem. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem iam dictum est, nimirum quod causare passionem in præsenti, vel etiam causari à passione, est aliquid *Resp. ad II*

extrinsecum, per quod explicamus essentiam huius speciei.

Ad tertium nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo Maiorem, ideo habitus & dispositio differunt specie essentiali, quia habitus est difficilè mobilis, tantum & absolutè nego Maiorem, quia habitus est difficilè mobilis, & subiectum benè vel malè disponit, transeat maior, ex quo nihil contra nos.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Figura & Forma distinguantur Specie?

Argum. I. Videtur quod sic. *Primò.* Figura est quãtitas. Forma autem est qualitas, sed quantitas distinguitur essentialiter à qualitate, tanquam vnum Prædicamentum ab altero. Ergò figura & forma sunt inter se essentialiter distincta. Maior prob. Nam Mathematicus considerat de figuris: sed obiectum Mathematicę est quãtitas, ergò figura est quantitas.

Argum. II. *Secundò.* Illa distinguuntur essentialiter, quæ ita se habent ad inuicem, quod vnum eorum pertinet ad aliquod determinatum Prædicamentum & alterum non. Sed figura pertinet ad aliquod Prædicamentum, non autem forma, ergò ista duo distinguuntur essentialiter. Minor prob. nam forma quælibet aut est substantialis, aut accidentalis, & si est substantialis, tunc reductiuè spectat ad Prædicamẽtum

ſubſtantiæ, ſi autem fuerit accidentalis, vt puta quantitas, relatio, qualitas, tunc iam vagabitur per omnia Prædicamenta.

Reſpondeo. Quod poſtrema ſpecies qualitatis dicitur forma & figura. Pro cuius intelligẽtia animaduertendum eſt: quod forma ſumitur tribus modis, primò ſubſtantialiter, ſecundò tranſcendentaliter, & tertiò pro qualitate. *Reſolutio.* *Triplex formæ acceptio.*

Forma ſubſtantialis illa dicitur, quæ conſtituit aliquam rem ſubſtantialem formaliter. Sicut anima rationalis, eſt forma hominis, ac conſtituit eſſe ſubſtantiale hominis, ſimiliter forma equi, lapidis &c. Et de hac non loquitur Ariſtoteles in præſenti, quia manifeſtum eſt quod talis forma reductiuè pertinet ad Prędicamentum ſubſtantiæ, tanquam pars compoſiti ſubſtantialis.

Alio modo ſumitur forma tranſcendentaliter, pro omni actu formali, ſiue accidentali, ſiue ſubſtantiali, & ſic quantitas, qualitas, ſunt quædam formæ vt patet, & de hac non eſt præſens articulus, quia benè poteſt ſuſtineri quod huiuſmodi forma, non eſt ſpecies qualitatis, ſed vagatur per omnia genera.

Tertiò & vltimo ſumitur forma, prout dat ſpeciem rei artificiatæ, ſicut forma domus, vel turris, vel alicuius menſæ aut lectuli, dat ſpeciem domui, lectulo, aut menſæ. Ideò enim vna domus diſtinguitur ſpecie ab altera, quia aliam habet formam, verbi gratia, domus tri-

angularis, differt à quadrangulari, ab heptagona &c. Et sic in præsenti accipitur forma ab Aristotele: quæ ita est definienda. *Forma est quæ dat speciem rei artificiatæ.*

Definitio formæ.

Ad intelligendum autem quid sit figura, oportet annotare, quòd duplex est terminus alicuius quantitatis. Primus est de Genere ipsius quantitatis, hoc est, quia etiam reducitur ad Prædicamentum quantitatis, verbi gratia, linea est quantitas, & terminus illius est punctum: superficiei autem terminus est linea. Et corporis superficies, vt in quantitate dictum est, & isti omnes termini sunt connaturales quantitatibus.

Quantitatis terminus duplex.

Alio verò modò potest terminari quantitas per aliquid alterius Generis, hoc est, per terminum qui non reducitur ad Prædicamẽtum quantitatis, tamen resultat quodãmodò ex priori terminatione quantitatiua. Et sic figura est terminus quantitatis, qui superuenit quantitati, iam de facto terminatæ per proprios terminos, & dat illi qualificationem, seu modificationem quandam, vt illa quantitas appelletur triangularis, quadrangularis &c. verbi gratia. Accipiamus superficiem huius parietis, tunc in hac superficie, duos terminos possumus imaginari. Primò terminum proprium quã habet superficies ex Prædicamento quantitatis, & iste terminus est linea, præterea possumus etiam in

hac

hac ſuperficie aſſignare terminum ſecundarium & conſequentem, quem habet ſuperficies iſta ex alio genere, videlicet ex qualitate, & talis terminus vocatur figura huius ſuperficiei, ſiue triangularis, ſiue quæcunque alia. Et de hac figura loquitur Ariſtoteles in præſenti, quæ ſic definitur. Figura eſt quædam qualitas, quæ ex terminatione quantitatis reſultat, hoc eſt, quia ſic vel ſic terminatur aliqua quantitas proprijs terminis, idcircò ex illa terminatione reſultat talis vel talis figura, quia enim ſuperficies hominis ita terminatur in corpore humano per ſuos terminos, idcircò talem vel talem aſſignamus figuram hominis. Vnde colligitur quod forma & figura non ſunt duæ ſpecies qualitatis eſſentialiter diſtinctę, ſed ſunt vna & eadem forma formaliter, licet diſtinguãtur ſecundum intellectum, quia iſta qualitas ſi conſideretur in quantum terminat actionem artificis, & dat ſpeciem artificiato, vocatur forma: in quantum verò conſequitur & reſultat ex quãtitate terminata, per proprios terminos, dicitur figura. Et hæc eſt doctrina verè peripatetica.

Definitio Figuræ.

Concluſio. Forma & figura non ſunt duæ ſpecies qualitatis ſed vna & eadem.

Probatur. Illa diſtinguuntur ſpecie, quæ per rationes intrinſecas & eſſentiales diſtinguũtur: ſed forma & figura non diſtinguuntur per aliquas rationes intrinſecas, ſed tãtũ per accidẽs.

Ergò forma & figura non distinguuntur specie. Minor prob. nam ideò aliqua qualitas vocatur forma, quia dat speciem enti artificiali. Figura autem, quia resultat ex terminatione quantitatis: sed hæc duo sunt quædam accidentia formæ & figuræ. Ergò forma & figura nõ distinguuntur per aliquas differentias intrinsecas: sed tantum per accidens.

Resp. ad I. Ad primum igitur dicendum: distinguo Maiorem: Figura est quãtitas. Præsuppositiuè & pro materiali, concedo Maiorem, vltimatè & pro formali, nego Maiorem: nam terminatio quantitatis est materiale figuræ, at verò qualitas consequens ad prædictam terminationem, est figura.

Resp. ad II Ad secundum distinguo Minorem. Forma non pertinet ad aliquod Prædicamentum, si sumatur in communi & transcendentaliter, concedo Minorem, si sumatur pro forma tantum quæ constituit ens artificiale in sua specie, nego Minorem. Et hæc sufficiat dixisse de Prædicamento Qualitatis, nam proprietates ipsius sæpius explicatæ sunt in alijs Generibus.

CAPVT NONVM
DE ACTIONE ET PASSIONE
AC CÆTERIS PRÆDICAMENTIS.
SVMMA TEXTVS.

PRIMA *conclusio. Proprietates Actionis & Passionis sunt tantum duæ:* Prima est, Actio & Passio

sio habent contrarium, verbi gratia, calefacere, & frigefacere sunt actiones contrariæ, sicut calefieri & frigefieri sunt contrarie passiones.

Secunda proprietas. Actio & passio suscipiũt magis & minus: potest enim aliquod corpus calefacere magis quam alterum, & calefieri magis quam alterum &c. vt patet ad sensum.

Secunda conclusio. Non oportet plus immorari in aliis Prædicamentis sigillatim, quia illa per se sunt manifesta, vt patet ex illis exemplis quæ adduximus supra in capite 4. huius libri, vbi dictũ est, quod sedere & iacere Situs est, Quando autem, vt heri, anno superiore, & Vbi, vt in foro, Habere, insuper significat, indutum esse, armatum esse &c. De generibus ergò propositis ea quæ diximus sufficiant.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Actio & passio sint verè duo genera Generalissima?

VIdetur quod non. *Primò.* Illud est Genus generalissimum, quod non habet aliud supra se Genus. Sed actio & passio habent aliud supra se Genus: ergò actio & passio non sunt duo Genera generalissima. Minor prob. quia mutatio in communi sumpta, est quid superius ad actionem & passionem, & de illis verè prædicatur: nam hæc propositio est bona. Actio est mutatio. Similiter, passio est mutatio. *Argum. I.*

 Secundò,

Argum. II. *Secundò*. Si actio & passio essent Genera generalissima, distinguerentur abinuicem: sed non distinguuntur. Ergò non sunt duo Genera generalissima. Maior est manifesta: quia Prædicamenta habent diuersas naturas secũdum quas distinguuntur abinuicem. Minor est ipsius Aristot. lib. 3. Physicorum, vbi sic ait. Actio & passio sunt idem numero motus.

Resolutio. *Respondeo*. Quod in hac difficultate grauis est concertatio inter Scholasticos: quænam sit ratio formalis actionis & passionis.

Quid sit actio. Pro quo sciendum est, quod Actio nihil est aliud, nisi quædam forma accidentalis, quâ mediante dicitur aliqua res agere seu producere suum effectum cum aliquo influxu, verbi gratia, calefactio procedens ab igne est actio ignis, propter hanc causam, quia propter calefactionem dicitur ignis calefaciens, seu producens aliquem calorem in tabula, in veste, vel in quacunque alia re, similiter generatio, dealbatio &c.

Quid sit paßio. Passio verò in hoc consistit formalissimè, quia est quædam forma accidentalis, secundum quam patiens recipit motum ab agente, verbi gratia, generari est pati, quia generari est quædam forma per quam res aliqua, vt puta leo, vel ignis, recipit mutationem à generante & ex illa receptione motus, dicitur leo vel ignis patiens motum. Aliter tamen actio & pasio comparantur inter se, & aliter compa-

Quomodo differant actio & paßio.

ran-

cantur ad motum: nam si volumus comparare actionem & & passionem inter se, tunc ibi est distinctio vnius ab altero formalis actualis, hoc est, tam actio quam passio sunt duæ formalitates distinctæ per intellectum, licet habeant idem materiale, hoc est, eundē motum, verbi gratia, dealbare & dealbari sunt extra intellectum, & hæc duo eundem motum habēt, nam eodem motu aliquis homo est dealbans parietem actiuè, secundum quē motum paries dealbatur passiuè, & ita eum motum aliqua res ab agente recipit quem motum agens producit in illa.

Hoc supposito dico. Quod actio & passio sunt duo Genera generalissima, & habent suas species subalternas de quibus vniuocè prædicantur, nam species actionis sunt duæ, nimirū actio immanens & actio transiens. Deindè sub actione immanente, comprehenduntur operationes intellectus, voluntatis, & sensus, verbi gratia, intelligere, amare, videre &c. Nam actio immanens illa vocatur, quæ manet in potentia productiua, vt videre in visu, intelligere in intellectu, &c. sub actione autē trāseunte ponuntur etiam species plurimę, vt puta secare, ambulare, scribere, &c. Illa enim dicitur actio transiens, quæ non manet in potentia productiua sui, sed transit in externam materiam, sicut ædificare transit in

Quæ sint actionis species.

Quæ dicatur actio transiens.

in ligna, & ſcribere in chartam.

Ad intelligendum autem quænam ſint ſpecies paſsionis. Dico: quod ſunt plurimæ adeò, vt etiam numerum earum non poſsimus exactè deprehendere. Hoc tamen eſt certum quod paſsio ſumit ſuam ſpeciem, & determinationem ab illa forma, quę eſt terminus motus noſtri, verbi gratia, calefieri, & frigefieri, dealbari, & denigrari, ſunt paſsiones differentes ſpecie, quia calefactio paſsiuè, eſt receptio formæ caloris, & frigefactio ſimiliter paſsiuè, eſt receptio frigiditatis, & ſicut calor & frigiditas, diſtinguuntur ſpecie: ita calefieri & frigefieri, diſtinguuntur etiam ſpecie.

Hæc doctrina ſi applicetur ad proprietates traditas ab Ariſtot. facillimè intelligetur, dummodò in hac parte adhibeatur cautela, vt non demus fidem illis authoribus qui paſsim circa hæc duo prædicamenta ſpecies inuſitatas & fortè fictas excitant.

Concluſio. Actio & Paßio ſunt duo genera Generaliſsima formaliter diuerſa.

Probatur. Illud eſt Genus generaliſsimum quod non habet aliquod ſuperius vniuocum, licet benè poſsit eſſe analogum, ſed actio & paſsio non habent aliquid ſuperius niſi motũ, ſeu mutationem, quæ tamen de illis prædicatur æquiuocè. Ergò ſunt duo Genera generaliſsima, vt patet.

Reſp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego Minorem, ad cuius probationem diſtinguo antecedens,

mutatio

mutatio in communi sumpta prædicatur verè de actione & passione prædicatione vniuocâ secundum idem nomen, & secundum eandem rationem formalem, nego: prædicatione æquiuocâ, secundum idem nomen: sed secundum rationes diuersas, transeat antecedens, vt iam in corpore dictum est.

Ad secundum, nego Minorem. Ad cuius probationem admitto authoritatem Aristotelis, & explico illam. Actio & passio sunt idem numero motus, pro materiali concedo, formaliter nego, hoc est, vna eademque res est, quæ denominatur actio & passio, scilicet vnus est motus, tanquam vna materia, tamen diuersas habet species & formas, vt patet. Sed de his duobus Prædicamentis sufficiat hæc dixisse. *Resp. ad II.*

ARTICVLVS II.

Vtrum hæc duo Prædicamenta Quando, & Vbi, habeant suas rationes formales per quas constituantur?

V*Idetur quod non. Primò de Quando.* Quando non distinguitur à tempore: sed tempus pro formali non est Genus generalissimum, sed tantum est species quantitatis continuæ. Ergò & quando non habet aliquam rationẽ formalem per quam sit Genus generalissimum, sed tantum erit species quantitatis. Maior prob. Ita se habet quando ad tempus sicut *Argum. I.*

esse

esse album ad albedinem: sed esse album non distinguitur realiter ab albedine. Ergo & quã-do non distinguitur à tempore.

Argum. II *Secundò.* Nullus terminus syncathegorematicus & aduerbialis potest esse Prædicamentum. Sed quando est quoddam syncathegorema & aduerbium. Ergò non est Prædiaamentum.

Argu. III. *Tertiò.* De vbi. Vbi pertinet ad actionem: Ergò non est speciale Prædicamentum. Antecedens prob. Nam Vbi est quædam circumscriptio rei à loco, vt patet dicendo. Vbi est Franciscus? ac si dicerem, quis locus circumscribit Franciscum? sed circũscriptio est quædam actio: Ergò & Vbi.

Argu. IV. *Quartò.* Si Vbi esset speciale Prædicamentum, haberet suas species de quibus prædicaretur: sed non apparet quid sit inferius ad Vbi, tanquam species. Ergò non est speciale Prędicamentum.

Resolutio. *Tria in Quando & Vbi consideranda.* *Respondeo.* Quod in istis duobus Prædicamentis, scilicet Quando & Vbi tria possumus considerare, Subiectum, Formam, & aliquid extrinsecum, à quo causatur illa forma, verbi gratia, quando ego dico ad Petrum hanc orationem, quando disputabas? ibi intelligo tria, nimirum Petrum, Tempus, & esse in tempore, Petrus est subiectum, Tempus est quid extrinsecum, esse autem in tempore est forma, quæ constituit hoc Prædicamentum Quando, vnde patet quod esse in tempore, est forma quæ-

dam

dam intrinſecè adhęrens ſubiecto,quæ forma relinquitur ex tempore, volo dicere: quod Prædicamentum quando, eſt quoddam accidens,quod inhæret alicui ſubiecto, propterea quia illud ſubiectum ſubiacet tempori: ſicut in exemplo, quando aliquis videt quod animal tranſit ſupra puluerem, tunc ex eo quod ponit pedem in puluere, reſultat ibi in puluere quædam imago pedis, quę quidem imago non relinqueretur,niſi eſſet illud extrinſecum, ſcilicet animal pertranſiens, ſimiliter quando aliquis applicat albedinem ad tabulam,vel ad parietem,tunc ibi ex coniunctione illius albedinis cum ſuo ſubiecto, reſultat quidam effectus formalis,quod eſt eſſe album. Ita ergò in propoſito de Prædicamento Quando & Vbi eſt iudicandum,nam ex eo quòd tempus eſt in rerum natura, & etiam ex eo quòd ſunt res plurimæ quæ ſubiacent tempori, reſultat quædam forma accidentalis, quæ inhæret ipſis rebus temporaneis, & vocatur quando, ſeu eſſe in tempore, & iſta forma inhæret quidem rebus intrinſecè, ſed tamen prouenit ab extrinſeco, ſcilicet à tempore, & eſt effectus formalis, ipſius temporis, ſicut eſſe album ſumitur ab albedine,& eſſe quantum à quantitate, licet non in omnibus currat hoc exemplum.

Sic ergo ordinatur iſtud Prædicamētū,nimirū quando eſt Genus generaliſsimū, cuius ratio for-

Quæ sit ratio formalis Quando, & quæ eius species.

formalis, est esse in tempore præsertim si primò intentionaliter consideretur, & habet sub se tres Species subalternas, scilicet, esse in tempore præsenti, præterito, & futuro: vocantur autem hæc tria species subalternæ, quia adhuc habent sub se alias species, nam esse anno superiori, heri, ante mille annos &c. continentur sub esse in tempore præterito. Et similiter cras, anno sequente, post duos menses &c. cõtinentur sub esse in tempore futuro, sicut nũc, statim, modo, &c. continetur sub esse in tempore præsenti.

Hoc itidem dicitur de Prædicamento Vbi, nam ex eo quod sunt plurima loca, & etiam ex eo quod sunt res quæ cõtinẽtur ab illis resultat quædam forma quæ inhæret subiecto intrinsecè, & tamen producitur ab extrinseco, scilicet à loco, & est effectus formalis ipsius loci, & hæc forma vocatur vbi seu esse in loco, & ita Vbi ex necessitate requirit locum, tanquam suam causam formalem, sicut esse in tempore, requirit tempus vt causam, adeò vt sit impossibile per Dei potentiam esse vbi, & non esse locum: sicut esse vestitũ & non habere vestem, esse in tempore, & non subiacere tempori, esse agentem sine actione &c. hæc enim omnia implicant contradictionem. Ordo autem huius Prædicamenti talis est: nimirum, Vbi est Genus generalissimum, & habet sub se istas Species, sursum, deorsum, antè, retrò, dextrum, sinistrum.

Quæ sit ratio formalis Vbi.

Quæ sunt species Vbi.

Pro-

Proprietates etiam huius Prædicamenti ſicut & ipſius Quando duæ ſunt: *prima eſt*. Quãdo & Vbi nihil eſt contrarium. Præſertim ſi ſumatur contrarietas propriè, nam communiter ſumendo contrarietatem poteſt eſſe in iſtis Prædicamentis. v. g. ſurſum & deorſum videntur contrariari, dextrorſum, ſiniſtrorsũ &c. vt in cap. 6. de Quantitate Artic. 6. in corpore dictum eſt

Proprietates quãdo & vbi.

Secunda proprietas: Quando & Vbi non ſuſcipiunt magis & minus, nam eſſe ſurſum non eſt magis vbi, quam eſſe deorſum, eſſe anno ſuperiori, nõ eſt magis quando, quam eſſe hodie; eſſe Romæ non eſt magis vbi, quam eſſe Cracouiæ, ſimiliter eſſe in oriente & occidẽte, eſſe hodie, & eſſe poſt aliquod annos.

Concluſio. Hæc duo Prædicamenta Quando & vbi; ſunt verè Genera generaliſsima pro formali conſiderata.

Probatur. Genus generaliſſimum eſt quædam ordinatio quidditatiua Prædicabilium ſecundum Sub & Supra: ſed Quando & Vbi habent ſua prædicabilia quæ ordinantur ſecundum Sub & Supra. Ergò hæc Prædicamenta ſunt verè Genera generaliſſima pro formali conſiderata. Minor patet ex his quæ dicta ſunt in corpore.

Ad primum igitur dicendũ, nego Maiorem ad cuius probationem, cauenda eſt reſponſio Magiſtri Verſorij in hoc Prædicamento, vbi ſoluens argumentum ſecundum expreſsè ne- *Reſp. ad I.*

gat quod esse in tempore seu quando sit effectus formaliter prouenięns, à tempore. Et idcirco aliter est respondendum ex his quæ iam supra diximus in hoc lib. cap. 1. Artic. 5. in corpore: Nego itaq; Maiorem, scilicet, quod ita se habeat quando ad tempus, sicut esse album ad albedinem omnibus modis: & ratio est quia esse album & albedo non distinguuntur vt forma & forma, sed tantum est ibi vna forma in duplici statu, nimirum in concreto & abstracto, at verò quando & tempus sunt duæ formæ, licet quando sit effectus formalis tēporis, vt dictum est.

Resp. ad II. *Ad secundum*. Distinguo minorem; sed quando est quoddam syncathegorema & aduerbium, si sumatur interrogatiuè, concedo Minorem: si autem sumatur absolutè prout significat esse in tempore, & vbi esse in loco, nego Minorem, quo pacto hic sumitur.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego Antecedens, ad cuius probationem distinguo Maiorem, Vbi est quædã circumscriptio, essentialiter seu formaliter, nego Maiorem: causaliter, concedo Maiorē, vnde vbi essentialiter est esse in loco, at verò causa ipsius vbi est locus, siue circũscriptio actiua loci, & passiua locati.

Resp. ad IV. *Ad quartum* iam patet ex dictis in corpore. Et hæc de istis duobus prædicamentis dicta sint, nam tractare de natura loci & temporis, non est præsentis negocij, sed potius pertinet ad 4. Physic. de quo postea Deo iuuante.

ARTICVLVS III.

Vtrum Situs sit Prædicamentum speciale distinctum ab alijs?

VIdetur quod non. *Primò.* Vnum Prædicamentum non potest esse Species alterius Prædicamenti: sed Situs continetur sub Prædicamento Vbi tanquam Species sub suo Genere. Ergò Situs non est Prædicamentum speciale distinctum ab alijs. Minor prob. Nam Vbi dicit pro formali esse in loco, sed Situs nihil est aliud, nisi dispositio partium in loco. Ergò Situs includit Vbi, & aliquid addit, sicut homo includit animal, & addit rationalitatem, propter quod additum, homo est species animalis. *Argum. I.*

Secundò. Dictum est superius in Prædicam. quantitat. in summa Textus. conclusione secunda. Quod quantitates aliæ sunt, quæ habent positionem partium, & aliæ non, Tunc sic argumentor: Positio partium est quædam differentia quantitatis, ergò pertinet ad Prædicam. Quantitatis: sed Situs nihil est aliud, nisi positio partium, ergò Situs non est quid distinctum à Prædicamento quantitatis. *Argu. II.*

Respondeo, Quod Situs & positio ita se habēt sicut *Resolutio.*

ſicut albedo & album, nam quemadmodum albedo eſt accidens abſtractum, & album eſt concretum, ita ſimiliter poſitio eſt accidens quoddam abſtractum, & ſitus eſt concretum, & quemadmodum ab albedine eſt aliquid album, ita ex poſitione partium, eſt aliquid ſituatum. *Duobus igitur* modis accipitur poſitio in via Ariſtot. *Primò* pro ordinatione partium inter ſe, hoc eſt, in quantum eſt accidens, quod ſignificat partes diſpoſitas tam inter ſe, quam in ſuo toto, verbi gratia, caput in homine eſt ſupra pectus, & manus ſunt ad latus &c. Et de hac Poſitione non quærimus in præſenti, nam ſic pertinet ad quantitatem, quia ſicut quantitas pro formali eſt quædam extenſio partium, ita & poſitio eſt quidam ordo partium.

Quomodo ſe habeat poſitio ad ſitum.

Duplex acceptio Poſitionis.

Alio modo ſumitur Poſitio pro ordine partium in ordine ad locum, hoc eſt, in quantum ſignificat partes hoc vel illo modo diſpoſitas in aliquo loco, v.g. ſedere, ſtare, iacere, &c. ſignificant partes hominis vel animalis hoc vel illo modo diſpoſitas, Et hoc pacto ſumitur hic ab Ariſtot. Poſitio ſeu ſitus.

His ſuppoſitis dico, quod ſitus denominatur à poſitione ſecundo modo ſumpta & ſupponit prædicamentum præcedens, ſcilicet vbi, propter hanc cauſam. Quia Vbi formaliſſimè ſignificat eſſe in loco, non conſiderando ordinem partium, at verò Situs ſignificat habere partes ordinatas in aliquo loco, & ita ſitus

tus non addit aliquid ad vbi: ſed ipſum tantum ſupponit, Neq; hic oportet audire nonnullos recentiores, qui exiſtimant quod Situs non eſt aliqua forma abſoluta, ſed tantum denominatio à forma extrinſeca, ſcilicet à loco: hoc enim falſum eſt: quia ſequeretur quod ratio formalis ſitus eſſet conſtituta per locum, qui eſt de Genere Quantitatis ſaltim reductiuè, vt iam ſæpius dicebamus. Species autem huius Prædicamenti ſecundum diuerſam ordinationem partium in loco accipiuntur, attamen tres enumerat ſapientiſſimus Sanches ſcilicet eſſe ſituatum, reflexè aut rectè, & ſub iſtis deinde continentur aliæ ſpecies infimæ, ſcilicet ſtare, ſedere, cubare. &c.

Refutatio ſententiæ Recētiorū de ſitu.

Quæ ſint ſpecies ſitus.

Concluſio. Situs eſt in rigore Prædicamentum diſtinctum ab alijs.

Probatur. Ad hoc vt aliquid ſit verè Prædicamentum diſtinctum ab alijs, requiritur omninò vt contrahatur per aliquam formam intrinſecè quæ nulli alteri poteſt conuenire, ſed ſitus habet aliquam formam per quam conſtituitur intrinſecè, quæ forma nulli alteri Prędicamento conuenit. Ergò ſitus eſt in rigore Prædicamentum diſtinctum ab alijs.

Ad primum igitur dicendum. Nego Minorem. Ad cuius probationem, nego conſequentiam, ſufficit enim quod ſitus ſupponat vbi abſque hoc, quod aliquid ſuper ipſũ addat atq; etiã abſq; hoc quod ipſum contineat. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum iam patet ex dictis. Diſtinguo *Reſp. ad II*

enim Minorem: sed positio partium est quędam differentia quantitatis, si sumatur pro ordinatione partium inter se, concedo Minorem: si autem sumatur pro ordinatione partium in ordine ad locum, nego. Sed satis est de hoc Prædicamento.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Habitus pro suo formali sit Prædicamentum?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Omnia Prædicamenta pro formali sunt aliquid reale, præsertim si metaphysicè & entitatiuè consideretur: sed habitus pro formali non est quid reale, sed ens rationis, ergò non est formaliter Prędicamentum. Maior patet explicando singula Prædicamenta de quibus iam in præcedentibus satis dictum est. Minor vero probatur. Omnis denominatio extrinseca est ens rationis, sicut paries denominatur visibilis ab extrinseco, hoc est, vel à visu, vel à vidente, & ita esse visibile, respectu parietis, est ens rationis, & similiter esse sensibile respectu obiecti sensus &c. Sed habitus est quædam denominatio ab extrinseco, nimirum à veste, ergò habitus pro formali non est quid reale sed rationis.

Argum. II *Secundò* Si habitus haberet aliquid formale, tūc nihil aliud esset hoc formale, nisi adiacētia

cor-

corporis vt omnes fermè Logici fatentur, explicantes Gilbertũ Porretanũ: sed hoc dici nõ põt: Ergo nõ est pro formali Prędicamẽtum. Minor prob. Nam etiam Vbi, adiacet corpori, similiter locus, & plura alia, quæ tamen non sunt habitus.

Tertiò, Nõ apparet quænã sint species habitus, imò circa hoc maximè variant Philosophi: sed omne Prædicamentum debet habere aliquas Species, quia Prædicamentum est ordo Generum & Specierum. Ergò habitus pro formali non est Prædicamentum. *Argu. III.*

Respondeo. Quod ad hoc vt sciamus de quonam habitu sit sermo in Articulo præsenti, oportet aduertere: quod Habitus quatuor modis sumitur apud Philosophos. *Primò*, quatenus significat formam seu qualitatem quæ inhæret alicui subiecto, & difficilè mouetur ab illo, cuiusmodi sunt scientiæ & virtutes, & de hoc habitu locuti sumus in prima specie qualitatis Artic. 3. per totum, quod est quędam species subalterna qualitatis, ac proinde non potest esse Genus generalissimum. *Resolutio. Habitus quadruplex acceptio.*

Secundò, accipitur Habitus, prout deriuatur ab habere vel possidere, iuxta quem modum solet dici, habeo visum, habeo vestem, librum &c. & de isto habitu considerat Aristoteles in Postprædicamentis capite de Habere.

Tertiò, sumitur Habitus pro veste hoc vel illo modo composita, & figurata, iuxta

quam acceptionem solemus appellare habitum muliebrem, habitum Monachorum, Episcoporum, militum, & iste quidem habitus si consideretur ex parte materiæ, pertinet ad Prædicamentum substantiæ: si autem consideretur ex parte formæ quæ est figura illius vestis, tunc iam pertinet ad Prædicamentum qualitatis, & sub vltima specie illius continetur & ita non est Genus generalissimum, sed tantum est species, vt patet.

Postremò tam desumitur habitus pro quodam accidente, quod consurgit & resultat ex veste, & ex illa re quæ habet vestem, & hoc pacto est Genus generalissimum de quo in præsenti currit difficultas.

Hoc supposito dico. Quod istud Prædicamentum habet quidem proportionem & similitudinem respectu Prædicamenti, Quando, & Vbi, nam sicut in superioribus dictum est, Prædicamentum, Vbi, est quoddam accidens quod causatur ex eo, quia aliqua res continetur à loco, Prædicamẽtum etiam Quando, est quædam forma accidentalis, quæ resultat ex tempore, ita similiter & nunc est intelligendũ de Habitu, nimirum, quòd quando vestis alicui rei inhæret siue illa res sit rationalis, siue non, tunc ex adiacentia illius vestis, & etiam ex re quæ induit vestem, prouenit quoddam accidens reale, quod dicitur Habitus, tãquam effectus formalis vtriusque, & istud accidens, distinguitur realiter tam à veste, quam ab illa

re quæ

re quæ induit vestem, quia habitus est velut habitio vestis, & est medium inter hæc duo, nimirum inter vestem & inter rem quę illam induit. Caue tamen ne fidem adhibeas cuidã Neoterico qui vt sui moris est, multa difficilia in Logica partim verbis elegantissimis pertransire absque aliqua ostensione veritatis, partim etiam antiquiores Logicos sine causa reijcere, docet in hoc Prædicamento, quæst. vnicâ, circa medium quod Prædicamentum Habitus tantum hominibus accidit non autem brutis nisi impropriè, atque adeò licet (inquit) vestiamus simias, & etiam licet interdum armemus equos, tamen non dicuntur vestiti, vel armati propriè, sed per quandam analogiam & similitudinem ad homines, quare nec dicuntur propriè habere vestes & arma, secundum rationem formalem huius Prędicamenti. Hæc ille. Vbi vt manifestè apparet, negat hoc Prædicamentum pro formali esse quid superius ad bruta vt induuntur vestibus aut armis. Sed quoniam prædictus Magister nullâ ratione, sed solis verbis suam confirmat sententiã non est cur amplecti eam debeamus, imò verò ratio in oppositũ est satis vrgens: nã si Prædicamentum habitus non ita propriè conuenit brutis, sicut homini, profectò & Prędicamentum substantiæ, quantitatis, qualitatis, & omnia alia, non ita propriè ipsis conuenit, & sic bruta impropriè erunt entia substantialia, quanta, &c. si quidem homo perfe-

Refutatio sententiæ quæ prædicamentum Habitus negat conuenire brutis.

ctior est substantia essentialiter, quam brutum, vt supra in Prædicamento substantiæ, articulo vltimò dictum est, quantitates etiam & superficies aptius habet dispositas homo, quam brutum: qualitates autem non tantum corporeas, verum etiam intellectuales possidet, relationem dominij, & paternitatis fundat, actiones non modo sensitiuas, sed etiam spirituales exercet, & sic de omnibus. Quod si concesseris, iam 20. Prædicamenta in Logicam induces, decem pro hominibus, & 10. pro brutis, quo nihil est absurdius. Habet autem hoc Prædicamentum, suas Species & Genera subalterna, nam secundum diuersitatem vestimentorum quę nobis adiacent, diuersæ sunt species habituum, tamen ita possunt disponi. Quod habitus est Generalissimum, deinde vestitum esse, est Genus subalternum, at verò togatum esse, calceatum esse, coronatum esse, seu quod idem est, habere togam, calceamentum, aut coronam, sunt species specialissimæ, sed Socratẽ togatum esse, hũc vel illum equum armatum esse, sunt habitus indiuidui.

Quæ sint species Habitus.

Conclusio. Habitus pro formali est Genus generalissimum.

Probatur. De ratione formali cuiuslibet Prędicamenti est vt sit ordinatio quidditatiua Prędicabilium, vt in hoc libro. cap. 4. Artic. 1. in corpore dictum est. Sed Habitus est quidã ordo Generum & Specierum quæ sub illo con-

continentur. Ergo Habitus pro formali est Prædicamentum.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Maiorem. Omnis denominatio extrinseca est ens rationis, quando illud extrinsecum non ponit aliquid reale, sicut est visio respectu parietis concedo Maiorem, alias nego Maiorem, vt in præsenti apparet: nam Habitus est accidens quoddam reale, inhærens subiecto intrinsecè, licet sumatur ab extrinseco, nimirum à veste, & ita vestis ponit aliquid reale in subiecto habente vestem, non autem visus aut visio, ponit aliquid reale in obiecto visibili. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Maiorem, nam quando dicunt communiter Logici, quod Habitus est adiacentia corporis, loquũtur in sensu causali, non autem formaliter, ita vt sit sensus, Habitus causatur ex adiacentia, non tamen est ipsa adiacentia. *Resp. ad II.*

Ad tertium, patet ex dictis; nam quod habitus habeat Species, & quæ sint illæ species, iam dictũ est. Et hæc de isto Prędicamento sint dicta. *Resp. ad III.*

CAPVT X.
DE OPPOSITIS.
SVMMA TEXTVS.

Primus conclusio. Oppositio est quadruplex, nimirum relatiua, contraria, contradictoria, & priuatiua. *Quatuor genera oppositorum.*

Illa opponuntur relatiuè, quæ hoc ipsum quod

quod sunt, oppositorum esse dicuntur, vt pater opponitur filio, & Dominus seruo.

Illa opponuntur contrariè, quæ se mutuò expellunt ab eodem subiecto, vt album & nigrum.

Duplex contrarietas.

Sed aduerte: quod duplex est contrarietas, nimirum mediata & immediata. Contraria immediata illa vocantur, quę ita se habent adinuicem, quod vnum eorum necessariò inest suo subiecto, sicut sanitas & ægritudo immediatè contrariantur, & similiter par & impar, nam omne animal aut habet sanitatem necessariò, aut ægritudinem, & omnis numerus, aut est par necessariò, aut impar.

Contraria verò mediata illa sunt, quorum vnum non inest necessariò suo subiecto, vt album & nigrum, respectu parietis, contrariantur mediatè, quia non est necesse omnem parietem album esse, aut nigrum, potest enim esse rubeus, aut aliquid huiusmodi, similiter prauum & studiosum respectu hominis.

Secunda conclusio. Oppositio Priuatiua est negatio Formæ in subiecto apto habere illam, sicut cæcitas & visus habent pro subiecto oculum, vnde quando oculus nō habet aptitudinē ad videndum, non est dicendus cæcus, etiamsi non videat, vt catulus ante nonum diem, habet quidem oculos, & non videt, sed non debet propter hoc vocari cæcus, quia adhuc non est naturaliter aptus ad videndum, si autem post nonum diem non viderit, appellabitur cęcus.

Illa

Illa autem opponuntur contradictoriè quę repugnant, vt affirmatio & negatio, v. g. Petrus est sedens, contradicit huic, Petrus non est sedens.

Tertia conclusio. Quinque sunt conditiones contrariorum. *Conditiones contrariorum.*

Prima est. Bono contrariatur malum, ex necessitate, sed non è conuerso: nam malo aliquando malum, aliquando bonum contrarium est, vt patet de timiditate, cui contrariatur fortitudo, & audacia, similiter auaritię cõtrariatur liberalitas, & prodigalitas, in alijs autem contrarijs, quæ non habent medium, fallit hęc prima conditio. *I.*

Secunda conditio, non est necesse quod si vnũ contrariorum existit in rerum natura, existat & alterum, verbi gratia, sanitas potest esse sine infirmitate, & albedo sine nigredine &c. *II.*

Tertia conditio. Cõtraria non possunt esse simul in eodem subiecto vt idem homo, aut aliquod corpus, non potest esse simul album & nigrum. *III.*

Quarta conditio. Cõtraria possunt esse simul in eodem subiecto secundum Genus aut Speciem, non autem in eodem indiuiduo, verbi gratia, Petrus & Franciscus sunt idem in specie & potest vnus eorum esse frigidus aut albus, & alter non, similiter homo & equus, sunt eiusdem Generis, & potest homo esse sanus & equus æger. *IV.*

Quinta conditio. Cõtraria continentur semper *V.*

per sub eodem Genere proximo aut remoto, sicut Iusticia & Iniusticia contrariantur, & Iusticia quidem continetur sub eodem Genere remoto cum iniusticia, hoc est, sub qualitate, tamen non sub eodem Genere proximo Iniusticiæ, & sic de alijs, vt puta, de albo & nigro. Hæc de Textu huius capitis.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum quatuor tātum sint genera oppositionum?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Locus sursum & locus deorsum opponuntur ad inuicē, sed non apparet secundum quam speciem ex istis quatuor. Ergò plures debent assignari oppositiones quam quatuor. Minor prob. Nam si locus sursum & deorsum, opponuntur secūdum aliquam speciem prædictarum oppositionum, certè opponerentur contrariè, quod tamen est falsum, quia locus est quātitas, quātitati autem nihil est contrarium.

Argum. II. *Secundò.* Oppositio relatiua non est oppositio. Ergò tres tantum erunt species oppositionis. Antecedens prob. Illa quæ opponuntur adinuicem non possunt esse simul naturâ, sed relatiua sūt simul naturâ & posito vno ponitur & alterum, vt supra in cap. 7. Artic. postremo dictum est. Ergò oppositio relatiua non est oppositio.

Tertiò. Si quātuor essent genera oppositionū, ergò

ergò oppositio in cõmuni considerata erit superior ad has quatuor oppositiones. Sed hoc dici non potest. Ergo nec primum. Minor prob. Si oppositio esset quid communius ad istas quatuor species, percunctor, aut est superius tanquam Genus generalissimum, & hoc non: quia alias iam essent plura prædicamenta quam decem, aut est superius tanquam Genus subalternum, & si sic, iam continebitur oppositio sub altero genere, & ita nõ erit Postprædicamentum. *Argu. III.*

Respondeo. Quod in hoc cap. & quatuor sequentibus, volens Aristoteles imponere finem huic libro Prædicamentali, tractat de Postprædicamentis: Postprædicamenta autẽ nihil aliud sunt, nisi quædam proprietates, quæ sequuntur ad omnia decem Prædicamenta, vt ad sensum potest facillimè deduci: nã oppositio, prius, & simul, sunt tria Postprædicamenta, & hæc inueniuntur in omnib. Prædicamẽtis. Oppositio quidẽ ibi inuenitur, quoniã omnia Prędicamẽta sũt distincta inter se saltim formaliter & si sunt distincta, certè erũt aliquo modo opposita, saltim cõtradictoriè, quia omnis distinctio fundatur in aliqua oppositione, vt omnes Philosophi concedunt. Similiter secundum Postprædicamentũ inuenitur etiã in omnib. Prædicamẽtis, quia vnũ Prædicamẽtũ debet esse prius, & alterũ posterius, v.g. Substãtia prior est q̃ quantitas: relatio prior quam qualitas &c. Deinde est ibi, simul *Resolutio. Quid sit Postprædicamẽtum.*

ſimul,quod eſt tertium Poſtprædicamentum, quia omnia Prædicamẽta ſunt ſimul tẽpore.

In quibus Prædicamentis inueniatur Motus.

Motus autem quod eſt Poſtprędicamentũ quartum, in quatuor tantum Prædicamentis inuenitur, nimirum in ſubſtantia, verbi gratia. Generatio hominis, vel leonis: in quantitate, vt augmẽtum,vel decremẽtũ. In qualitate,vt alteratio de calore in frigus, de humido in ſiccum &c. Et in Vbi,vt ſecundum locum mutatio, vnde meritò iſta 5. vocantur Poſtprædicamenta, quia conſequuntur naturas Prædicamentorum.

Hoc igitur ſuppoſito, quantum attinet ad Primum Poſtprædicamentum, cuiuſmodi eſt

Triplex oppoſitio.

oppoſitio, *ſciendum eſt. Quod oppoſitio triplex* eſt: *Prima* eſt oppoſitio rerum. *Secunda* oppoſitio propoſitionum. *Tertia* eſt oppoſitio terminorum.

I. *Oppoſitio* rerum nihil aliud eſt, niſi quædam repugnantia duarum qualitatum realiũ, quæ non poſſunt ſimul inhærere eidem ſubiecto, & hoc pacto calor & frigus opponuntur: ſimiliter ſiccum & humidum.

II. *Oppoſitio* autem Propoſitionum, eſt repugnantia duarum Cathegoricarum quæ habent idem ſubiectum, & prædicatum, ſiue talis repugnantia fiat in quantitate, ſiue in qualitate, verbi gratia, dicendo: omnis homo eſt animal, quidam homo eſt animal, ſecundum quantitatem repugnant: ſed de hoc erit inferius ſermo cum Ariſtotele.

Ter-

Tertia verò oppoſitio eſt terminorum in-cõplexorum,& de hac ſola in præſenti loquitur Ariſt.dum illam diſtinguit tanquam quid æquiuocum,& non verum genus,quia ſub iſta oppoſitione cõtinetur oppoſitio cõtradictoria,& priuatiua, quæ ſunt oppoſitiones rationis, quia non ſunt inter duo extrema realia. Species autem ipſius ſunt quatuor, nimirum oppoſitio relatiua, contraria, priuatiua,& contradictoria: quarum ſpecierũ naturas iam explicabat Ariſtot. in ſumma Textus. III.

Quod autem ſint quatuor tantum, ſic poteſt probari. Oppoſitio nihil aliud eſt, niſi repugnantia formalis aliquorum duorum. Aut ergò illa duo, ita ſe habent, quod vnũ eorum eſt ens,& alterum ſimiliter ens, aut vnum ens, & alterum non ens: ſi vtrumq; eſt ens, hoc contingit dupliciter: aut enim illa duo entia, ita ſe expellunt à ſubiecto, quod nec ſunt, nec poſsũt eſſe in eodem ſubiecto, & ſic eſt oppoſitio relatiua, aut vero ita ſe expellunt, quod nõ ſunt quidem in eodem ſubiecto tamen ſucceſſiuè poſſunt eſſe, & ſic eſt oppoſitio contraria. Si verò illa duo ita ſe habent, quod vnum eorum eſt ens,& alterum non ens, hoc etiam contingit dupliciter. Aut enim vnum eorum eſt ens,& alterum non ens ſimpliciter, & ſic eſt oppoſitio contradictoria, aut vnum eorũ eſt ens,& alterum non ens ſecundũ quid,& ſic oppoſitio priuatiua.

Conclusio. Quatuor tantum sunt genera oppositionum. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum ex his quæ dicta sunt.

Resp. ad I. *Ad primum igitur* dicendum, nego Minorem. Ad cuius probationem dico quod locus sursum & deorsum opponuntur contrariè, non in ratione loci, sed propter illas differentias, scilicet sursum, & deorsum, sed de hac re iam dixi antea in Prædicamento quantitatis, articulo vltimo.

Resp. ad II *Ad secundum*, nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo Maiorem: Illa quæ opponuntur adinuicem non possunt esse simul naturâ, si opponantur contrariè, concedo Maiorem: relatiuè, nego Maiorem, non tamen propterea relatiua opponuntur, quia sunt simul naturâ, sed ex eo quia repugnat formaliter vtrumque relatiuum eidem simul conuenire.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego sequelam Maioris, nam oppositio prout hic diuiditur, est nomen æquiuocum, tam ad oppositiones reales quam rationis, vt dictum est.

CAPVT XI. ET XII.
DE PRIORI ET SIMVLTATE.
SVMMA TEXTVS.

Quinque modi Prioris. PRima *conclusio. Quinque modis dicitur aliquid Prius altero.*

I. *Primò* secundum tempus, hoc est, quando est antiquius, v. g. homo senex prior est puero, quia est antiquior.

Secun-

Secundò Illud est prius altero, à quo non va- II.
let subsistendi consequentia, & hoc modo o-
mne superius, est prius suo inferiori, verbi gra-
tia, animal prius est quam homo, & homo
quam Petrus, quia non valet consequentia, est
animal, ergò est homo: est homo, ergò est Pe-
trus &c.

Tertiò est aliquid prius altero, secundum or- III.
dinem non autem in ratione essendi, sicut in
oratione elementa seu litteræ, priores sunt quã
syllabæ, & syllabæ priores sunt quam dictio-
nes, dictiones autem, quam oratio, & oratio
prior est quam conclusio &c. IV.

Quartò est aliquid prius altero, quando est
dignius & perfectius, quam alterum, v.g. Rex
prior est principe &c. sed hoc modo prioritas
est tantum in apprehensione hominum & nõ
in naturis rerum. V.

Quintò & postremò est aliquid prius altero,
quia est causa alterius, licet simul tempore sit
cum illo, v. g. rationale in homine prius est
quam risibile, quia est causa risibilitatis, & v-
niuersaliter loquendo, omnis causa prior est
suo effectu. Et ita inter istos 5. modos, hoc est *Quod sit*
discrimen, quod esse prius in secundo, tertio *discrimen*
& quinto modo, est esse prius naturâ, in alijs *inter hos*
autem modis, est prioritas realis, sed non se- *quinque*
cundum naturam. Et hoc quo ad istud Post- *modos*
prędicamentum. *Prioris.*

Secunda conclusio. Tribus modis vna res dicitur *Tres modi*
esse simul cum alia. *Simul.*

Primò simul tempore, hoc est, quando vtrūq; in eodem tempore generatur & sic subiectum quodlibet est simul cum sua propria passione, verbi gratia, homo & risibile, ignis & calor &c.

II. *Secundò* simul naturâ, hoc est, quando dicuntur ad conuertentiam, & neutrum est causa alterius, verbi gratia, pater & filius, simile & aliud simile, & cætera relatiua secundum esse.

III. *Tertiò* etiam illa dicuntur simul, quæ sunt differentiæ diuidentes aliquod Genus, & constituentes diuersas species, verbi gratia. Rationale, & irrationale simul sunt natura. Et hæc de Textu.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum modi Prioris & Simultatis sint conuenienter assignati ab Aristotele?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò. De Priori.* Vna res non potest esse prior aliâ secundū tempus. Ergò Aristot. fallit in sua doctrina. *Antecedens Prob.* Nam omnes res nihil habent de tempore nisi præsens & nunc, si enim aliqua res existit, in præsenti existit, & si existebat in præterito, tunc ideo existebat, quia in præterito erat etiam præsens. *Tunc vltra.* Sed præsens non est prius nec posterius, quia est vnicum & indiuisibile. Ergò vna res non potest esse prior aut posterior aliâ secundum tempus.

Se-

Secundò, Omne ſuperius conuertitur cum ſuo inferiori, ergò non eſt prius quam ſuum inferius, cuius tamen oppoſitum apparet in textu. Conſequentia eſt manifeſta etiam in textu præſenti, nam illa quæ conuertuntur ſimul ſunt. *Antecedens prob.* Nam iſtę Propoſitiones ſunt veræ, ſi ſuperius eſt, etiam inferius eſt: & è contra, ſi inferius eſt, etiam ſuperius eſt. *Argu. II.*

Tertiò. De ſimul. Illa non sũt ſimul quæ ita ſe habent, quod vnum eſt prius altero: ſed vna ſpecies eſt prior alterâ, & ſimiliter vna differentia alterâ. Ergò nec duæ differentię ſunt ſimul, nec duæ ſpecies, quod eſt expreſsè contra Ariſtotelem. *Minor prob.* Nam homo & equus, ſunt duę ſpecies, & tamen homo prior eſt & perfectior quam equus, & ſimiliter rationalitas & irrationalitas ſunt duæ differentiæ, ex quibus rationalitas eſt perfectior, vt patet. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod circa iſtud Poſtprædicamentum Prioris non occurrit aliquid ſpecialiter annotandum, niſi quintus modus in quo dicit Ariſtoteles, quod eſt aliquid prius altero, quia eſt cauſa illius, licet ſimul tempore ſit cum illo: nam ex hac doctrina teſte Caietano plurima Scotiſtarum argumenta ſoluuntur in diuerſis materijs, qui dicunt quod omne Prius abſolutum diſtinctum realiter à Poſteriori, poteſt exiſtere ſine ſuo Poſteriori: cuius propoſitionis iam aliquam mentionem *Reſolutio.*

feci in libro Prædicab. cap. 4. de Proprio, artic. vltimo, in argumento primo: & ita ex hac propositione, tanquam vera inferunt plurima absurda contra doctrinam Angelici Doctoris, vt puta quod Materia possit esse sine Forma, quia distinguitur realiter à Forma, & est prior illa: similiter subiectum potest esse saltim per potentiam Dei absolutam sine propria passione, quia subiectum est prius, & distinguitur secundum rem à passione & cætera. Quibus tamen obijcies ex aduerso Aristotelem in capite præsenti, qui docet quod ista duo, possunt esse simul, hoc est, esse aliquid prius altero naturaliter, tanquam causam illius, & tamen vnum non posse existere sine altero. Et hæc de Priori.

Requisita ad Simultatem naturæ.

Circa modos autem Simultatis vnicum est notandum, nimirum, de Simultate naturæ, vt in secũda acceptione dixerat Aristot: nam ad hoc vt aliqua sint simul naturâ duæ conditiones requiruntur: *Prima est*, vt necessariò coexistat. *Secunda* verò, quod se inuicem non supponant, vnde simultas naturalis requirit, & coexistentiam necessariam & neutrius ab altero præsuppositionem: verbi gratia, pater & filius, sunt simul naturâ, quia & simul existunt, & vnũ non ponitur prius in rerum natura quã alterum, si enim pater est & filius etiam est, & si pater est, est simul naturâ cum filio: vt in articulo postremo de Relatione dictum

dictum est, vnde quando aliqua duo reperiuntur in rerum natura, quæ tantum habent primam conditionem, & non secundam, non sunt simul naturâ, verbi gratia, Subiectum & Propria Passio simul existunt, similiter veritas alicuius Propositionis & res quæ significatur per illam propositionem, simul etiam existũt, nam dum dico, Petrus sedet, aut disputat &c. hæc oratio est vera, si ita in re facit sicut dicit Propositio, & tamen quia in istis exemplis vnum præsupponit alterum, verbi gratia, passio præsupponit subiectum, & veritas propositionis præsupponit rem, idcirco non sunt simul naturâ.

Conclusio. Conuenienter assignauit Aristoteles modos Prioris & Simultatis.

Probatur. Tum authoritate Philosophi: tum etiam ex his quæ dicta sunt in Corpore.

Resp. ad I.

Ad primum igitur dicendum nego Antecedẽs, Ad cuius probationem distinguo Maiorem. Omnes res nihil habent de tempore nisi præsens & nunc, si sumatur tempus in facto esse & in actu, concedo Maiorem. Quia quando res actu existunt, tunc tempus illud in actu, est præsens semper, si autem sumatur tempus in fieri & secundum successionem, nego Maiorem: succedunt enim sibi inuicem partes temporis, præteritum videlicet & futurum, & copulantur in nunc, ferè in tempore præsenti.

Resp. ad II. *Ad secundum* benè respondet M. Versorius: distinguit enim antecedens, omne superius conuertitur cum suo inferiori, si superius & inferius sumantur pro ipsis intentionibus, concedo antecedens, quia sunt relationes rationis: si autem sumantur pro naturis quę denominantur, nego antecedens.

Resp. ad III. *Ad tertium*, distinguo Minorem: sed vna species est prior alterâ, si comparentur inter se, concedo Minorem: si vtraque comparetur in Genere, nego Minorem, & sic in præsenti est sermo. Sed de hoc satis.

CAPVT XIII.

DE MOTV.

SVMMA TEXTVS.

Sex species Motus. PRima conclusio. *Sex sunt species Motus*, videlicet, Generatio, Corruptio, Augmentum, Diminutio, Alteratio, & secundum locum Mutatio: & istæ species distinguuntur ab inuicem, quia manifestum est quod generatio nō est corruptio, nec augmentum &c. Et licet alteratio videatur in omnibus istis speciebus inueniri, tamen distinguitur alteratio ab omni specie motus.

Proprietas Motus. *Secunda conclusio: vna est proprietas Motus, videlicet habere contrarium*, Nam si sumamus motum in cōmuni tunc illi motui contrariatur

quies

quies: si autem consideremus motũ in specie, tunc vna species motus contrariatur alteri, v. g. generatio cõtrariatur corruptioni, & augmentum diminutioni, mutationes verò locales opponuntur sicut & ipsa loca, nam moueri sursum contrariatur motui deorsum. Alterationes autem illæ dicuntur contrariæ, quæ terminantur ad qualitates contrarias, sicut album fieri & nigrum fieri, sunt alterationes contrariæ, quia albedo & nigredo sunt termini contrarij. Hæc de textu.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum Species Motus sint conuenienter assignatæ ab Aristotele?

VIdetur quod non. *Primò.* Habere species cõuenit Generi: sed motus non est Genus, ergò motus nullas habet species. Maior est manifesta, quia solum Genus prædicatur de speciebus. Minor verò probatur: nam si motus esset Genus, haberet aliquam naturam completam & determinatam. Sed motus non est quid completum; nam quando aliquis mouetur ad aliquem terminum, tunc nondum possidet illum terminum. Ergò motus non est Genus. *Argum. I.*

Secundò. Aristoteles docet libro 5. Phys. quod generatio & corruptio non sunt motus, sed hic asserit oppositum. Ergò doctrina fallit. *Argu. II.*

Tertiò. Augmentum & diminutio non cõtrariantur. Ergò non sunt species motus. Cõsequentia est manifesta in hoc cap. quia docet Aristoteles quod vnus motus contrariatur alteri. *Antecedens prob.* Augmentum & diminutio pertinent ad quantitatem, quia ille augetur qui acquirit maiorem quantitatem, & similiter ille minuitur, qui acquirit minorem quantitatem, quam prius habuerit: sed quantitati nihil est contrarium. Ergò augmentum & diminutio non contrariantur.

Resolutio. *Quare motus ponatur Postprædicamentum.*

Respondeo. Quod in toto cap. præsenti, duo solummodò sunt notanda. *Primum est,* quod causa propter quam Aristoteles inter Postprędic. connumerat motum, talis est, nam in multis locis huius libri erat sermo de contrarietate Prædicamentorum. v. g. in Prædicamento substantiæ docuit, substantię nihil esse contrarium, similiter in Prædicamento quantitatis. In relatione autem & qualitate, dixit inueniri contrarium. Et quoniam motus omnis est de termino contrario ad alterum terminum cõtrarium, oportebat aliquid tractare de motu: potest etiam reddi alia causa, nam Prædicamenta si considerentur pro substrato, sunt verè entia realia & quoniam inter illa nonnulla producuntur tanquam termini productionis & motus, idcircò oportebat tractare de motu. v. g. substantia est terminus generationis, augmentum & diminutio terminantur ad quantitatem: & alteratio ad qualitatem: Vbi est termi-

minus motus localis, & ita motus eſt quædã via ad terminum, hoc eſt, ad ſubſtantiam, ad quantitatem, ad qualitatem, & vbi, & conſequenter ſex erunt ſpecies motus, non quidem ſumendo ſpeciem propriè, pro eo quod ſubijcitur Generi, ſed communiter, quatenus idẽ ſignificat quod modus: ſex enim ſunt ſpecies motus, hoc eſt, ſex ſunt modi motus.

Quid ſit Generatio.

Alterum verò eſt obſeruandum & breuiter (quandoquidem hæc exactè inquirere non eſt logici negotij) quod *Generatio* eſt motus ſeu via de non eſſe ad eſſe, verbi gratia, homo tunc generatur quando prius non exiſtens, poſtea exiſtit.

Quid corruptio & cõſequẽter

Corruptio autem eſt motus de eſſe ad non eſſe, v.g. dum moritur animal, aut homo, vel etiam quando corrumpitur domus &c. *Augmẽtum* eſt motus à minori quantitate ad maiorẽ, ſicut dũ aliquis puer creſcit, aut roſa, vel plãta.

Cæterum diminutio, eſt motus de maiori quãtitate ad minorem, ſicut dum aqua exſiccatur per ſolem, tunc enim verè minuitur.

Alteratio eſt motus de vna qualitate ad aliã, ſicut dum aliquis ex frigido fit calidus, & ex albo niger.

Tandem loci Mutatio eſt motus de vno loco ſeu Vbi ad alterum locum, ſeu ad alterum Vbi: ſicut dum aliquis religioſus de hoc monaſterio mittitur in aliud, & de hac prouincia in aliam &c. tunc enim ille religioſus localiter mouetur.

Con-

Conclusio. Sex species motus conuenienter assignatæ sunt ab Aristotele.

Probatur. Omnis motus est quædam via ad terminum: aut ergò ille terminus acquiritur cum successione, aut in instanti: si in instanti, est generatio & corruptio, quæ sunt mutationes instantaneæ, & non successiuæ, & idcircò non dicuntur motus, sed tantum mutationes: si cum successione, hoc est tribus modis; quia ille terminus, vel est quantitas, & sic constituitur augmentum & diminutio: vel est qualitas, & sic est alteratio: aut Vbi, & sic prouenit localis mutatio. Ergò sex species motus conuenienter assignantur ab Aristotele.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*: distinguo Maiorem: habere species conuenit Generi, si species sumatur pro natura, quę constat ex Genere & differentia vt in Prædicabilibus dictum est, concedo Maiorem. Si autem species sumatur prout idem valet quod motus, nego Maiorẽ, vnde qui dicit cum Aristotele 6. esse species motus, idem est ac si dicat 6. esse modos motus, hoc est, specialia significata motus.

Resp. ad II. *Ad secundum* admitto authoritatem Arist. & explico illam. Generatio & corruptio non sunt motus, propriè, prout idem valet quod acquisitio termini cum successione, concedo Maiorem: communiter prout significat acquisitionem termini, siue successiuam, siue instantaneam, nego Maiorem.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego antecedens, ad cuius probatio-

bationem distinguo Minorem: sed quantitati nihil est contrarium, si sumatur quantitas absolutè, & secundum suam essentiam, concedo Minorem, & in quantitate hoc modo considerata, non est motus. Si autem sumatur quantitas physicè, tunc habet sibi adiunctam rationem perfecti & imperfecti, & consequenter est in illa contrarietas motus, & est ratio formalis motus.

CAPVT XIV.
DE HABERE.

SVMMA TEXTVS.

Conclusio. Habere quinquè modis accipitur. Primò, vna res habet aliam, tanquam qualitatem, verbi gratia, habere virtutem, habere scientiam. I. *Quinque modi Habitus.*

Secundò, habere quantitatem, sicut equus magnus, habet magnitudinem, & corpus longum, longitudinem. *II.*

Tertiò, sicut continens habet contentum, vt dolium habet vinum, & vas aliquod habet triticum, frumentum, hordeum &c. *III.*

Quartò, habere aliquid quod adiacet corpori, sicut habere tunicam, arma &c. aut habere aliquid in parte corporis, vt in manu annulũ, vel ipsam partem habere, vt habere manum, pedem, &c. *IV.*

Quintò, habere aliquid tanquam rem possessam, *V.*

sam,& sic homo habet agrum, domum, &c. His tamen quinque modis habendi potest addi & sextus, licet satis impropriè, iuxta quem modum, vir dicitur habere vxorem; hoc est, quia simul cohabitant, Et hæc de textu. Sed quoniam nihil penitus occurrit notandum circa hoc caput, quia acceptiones habitus iam sæpius declarauimus, & maximè in prædicamento qualitatis, artic. 3. in corpore, & similiter cap. 9. artic. 4. etiam in corpore: idcircò hic sit libri Prædicamentorum status, in quo quidem libro fateor ingenuè nihil me prætermisisse quod profectui Logicorum sit vtile ac necessarium.

BENEDICTVS DEVS.

IN LIBRVM PRIMVM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE.

CAPVT PRIMVM.

De modo significandi conceptuum, vocum, & scripturarum.

SVMMA TEXTVS.

P*Rima conclusio. Conceptus, voces, & scripturæ, aliter eandem rem significant.* Probatur. Nam conceptus significant res immediatè, velut similitudines naturales rerum, voces verò & scripturæ significant ad placitum, ergo aliter

&

& aliter. Antecedens prob. Illud enim dicitur esse à natura quod eodem modo se habet, & non variatur. v.g. risibile conuenit homini per naturam, quia quacunq; mutatione factâ circa hominẽ, homo semper est risibilis, Tunc vltra: Sed conceptus cuiuslibet rei eodem modo se habet in omnibus, voces verò & scripturæ variantur, ergò conceptus & voces eandem rem penitus significant, sed conceptus naturaliter, & voces ad placitum, & hoc est, quod docet Aristoteles in illis verbis: sunt ergò ea quæ sũt in voce earum quæ sunt in anima passionum notæ, & ea quæ scribuntur, eorum quæ sunt in voce, & quemadmodũ nec litteræ omnibus eædem, sic nec eædem voces.

Diuersitas significãdi conceptus, vocis, & scripturæ.

Secunda conclusio. Conceptus simplices, similiter voces & scripturæ non ita se habent, sicut conceptus compositi & voces similiter compositæ.

Probatur. In conceptu composito inuenitur veritas & falsitas, & hoc idem de termino vocali & scripto, prout est compositus, intelligendum est, sed conceptus simplex non continet aliquam connexionem prædicati cum subiecto, & per consequens non importat veritatem, ergò aliter conceptus simplices significant, & aliter compositi. Minor prob. Nã si conceptus simplex aut terminus, significaret veritatẽ, maximè id haberent nomina cõposita. v.g. hircoceruus, quod tamẽ est falsum: quia dictio hæc, nõ designat verum aliquid, nisi esse vel non esse addatur. Hæc de textu.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrum significare idem sit, quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid repræsentare?

Argum. I. *Videtur quod non. Primò.* Obiectum repræsentat seipsum potentiæ cognoscitiuæ, & tamen non significat se: ergò prædicta definitio non est bona. Maior videtur esse manifesta, ex eo quia obiectum mouet potentiam ad cognitionem, mediâ similitudine suiipsius. Minor verò probatur. Nam si obiectum seipsum significaret, ergò idem erit signatum & signum sub eadem ratione formali.

Argum. II. *Secundò.* Imago Imperatoris absentis est illius signum, quando ipsam video: sed non repræsentat potentiæ cognoscitiuæ Imperatorem, ergò definitio nulla. *Minor prob.* Neque per propriam speciem Imperatoris, neque per speciem imaginis illum repræsentat: ergò nullo modo: *Antecedens prob.* Nam species Imperatoris non potest elici ex propria specie imaginis, vt patet.

Argu. III. *Tertiò.* Signum in hac definitione dicit ordinem ad potentiam, & ad signatum, ergò nõ benè exprimitur per hanc definitionem. *Conseq. prob.* Nullum relatiuum potest referri vnicâ relatione simul ad duos terminos specie distinctos, cum relatio sumat vnitatem specificam à termino, vt supra docuimus in prædicam.

cam.cap.7.artic.3.ergò nec ſignum poteſt referri ad potentiam & ad ſignatum.

Reſpondeo. Quod repræſentare nihil aliud eſt, quam aliquid facere cognoſcere, adeò vt illud in rigore dicatur alterum repræſentare, quando ordinatur ad hoc, vt eo inſpecto ſit mihi præſens aliquid aliud: ſiue hoc fiat obiectiuè, ſiue effectiuè, ſiue formaliter, ſiue etiam inſtrumentaliter: quando enim video aliquam tabulam in qua depictus eſt Imperator, illa tabula ſeu imago facit me cognoſcere Imperatorem per modum obiecti, quatenus per ſuam ſpeciem mouet viſũ, qui poſtea efficit viſionem Imperatoris, & per cõſequẽs facit me cognoſcere Imperatorẽ effectiuè quia efficit cognitionem. Sed cognitio ſupponens obiectũ, & cauſam efficientem, v.g. viſum, formaliter eſt Imperatoris ſignificatiua, adeò vt tunc formaliter aliquis dicatur Imperatorem cognoſcere, poſtquam habuerit cognitionẽ hoc modo productam, cæterum imago, pro quanto eſt inſtrumentum reſpectu meæ cognitionis, quo viſo recordor Imperatoris viſi in alio tẽpore, facit me cognoſcere Imperatorẽ inſtrumentaliter, vt patet. Et quamuis hæc tria pro eodem accipiantur, ſcilicet ſignificare, potentiæ cognoſcitiuæ aliquid repræſentare, & facere cognoſcere, nihilominus magis communius eſt facere cognoſcere quam repræſentare, & repreſentare communius quoddam eſt quã ſignificare, ac per conſequens datur aliquid fa-

Reſolutio: Repræſentare quid ſit.

Diſcrimen inter ſignificare, repræſẽtare, & facere cognoſcere.

ciens cognoscere, quod nec repræsentat, nec significa. v.g. quando intellectus alicuius hominis producit cognitionẽ de lapide quâ cognoscit lapidem, & similiter Deus concurrens per modum causæ vniuersalis, ad productionem illius cognitionis, quā intellectus habet de lapide, tūc ista duo verè dicũtur facere cognoscere, sed non repræsentant, aut significãt, quia hoc non faciunt vt signũ lapidis, repræsentare enim est rem præsentem facere tanquam signum, vel instrumentum.

Quæ requirantur vel non requirantur ad rationẽ signi.

Ex quo infero duo: Primum est, quod de ratione signi nõ est vt suapte naturâ sit prius vel posterius significato, nã aliquando posterius est naturâ, ita quòd prius sit res significata q̃ signũ, vt est illud: Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum, ecce virgo cõcipiet &c. Et Exodi. Hoc vobis signum quod eduxerim vos de Ægypto, quia immolabitis super hunc montem. Imò verò fumus est quid posterius quàm ignis. Aliquãdo verò pri⁹ est naturâ, vt rutilatio cæli quæ pluuiã significat, vnde illud est apud Matth. Dicitis serenum est cęlum, cras erit pluuia. Aliquando est simul cum significato, vt in signo demonstratiuo. Est ergò de ratione signi proprijssimè, quod sit prius cognitũ, licet vt dixi, sit prius vel posterius significato, v.g. cognosco ego Camillum habere animam, & video ipsum mecum loqui, locutio illa est signum, quod habeat animam, & tamẽ non posterius eum cognosco loqui, quam illum habere animam.

Infe-

Infero secundũ: quod ad rationem signi non tantum hoc requiritur vt ducat in cognitionem alterius quomodocũq;: sed in quo magis cognitio humana perficiatur, vt patet in Sacramẽtis inductiuè, magis.n.cognitio nostra perficitur, ex eo quia est cognitio gratiæ, quã perficiatur ex signo gratiæ, & magis perfecta est cognitio attingens hominem, quàm hanc vocẽ, homo, signa.n. sũt propter res, nõ è cõtra.

Conclusio. Definitio signi in communi quæ est: quod potentiæ cognoscitiuæ aliquid repræsentat, non est in rigore quidditatiua: sed tamen est conueniens.

Probatur. Prima pars. De ratione definitionis quidditatiuæ est, quod in ea sit proprium Gen' & propria differentia: sed hic nõ apparet quid habeat rationem Generis & propriẹ differẽtiæ: ergò non est in rigore quidditatiua. *Minor prob.* nã ly, Quod, in definitiõe positum, seu Res quæ potentiæ cognoscitiuæ aliquid reprẹsentat, nõ est Genus: sed quasi Genus, nõ.n. omnis res potẽtiæ cognoscitiuæ aliquid repræsẽtat.

Secunda verò pars probatur. Ad hoc vt aliqua descriptio explicet naturã rei, sufficit vt eã separet ab omni alio: sed potẽtiæ cognoscitiuæ aliquid reprẹsentare, separat signũ ab omni alio, ꝙ nõ habet rationẽ signi, ergò est cõueniẽs.

Ad primum igitur dicendum, nego consequentiam, nam definitio signi ita est intelligenda, vt aliud à se reprẹsentet, & non seipsum. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem *Dico:* quod sicut ex specieb, sensatis, *Resp. ad II.*

montis & auri, imaginatio humana elicit speciem non sensatam montis aurei, ita etiam intellectus ex præconceptis Speciebus Generis & differentiæ format rationem speciei, & potentia cognoscitiua ex specie imaginis & signi elicit speciem signati per quam cognoscit signatum.

Resp. ad III. *Ad tertium dico* quod argumentum hoc, exposcit doctrinam sequentem, pro qua sit

ARTICVLVS II.

Vtrum bruta habeant sua propria signa?

VIdetur quod non. *Primò*. Ratio signi est ens rationis, ergò nequit esse in brutis. Consequentia prob. Ens rationis non habet esse ni-

Argum. I. si per ordinem ad intellectum, ergò signum cum sit ens rationis, non erit in brutis in quibus non est intellectus.

Secundò. De ratione cognoscentis signũ est discursus. Ergò cum non sit discursus in brutis, non erit propriè signum. *Antecedens prob.*

Argum. II. Nam cognoscens signum, cognoscit ex vno aliud, ergò discurrit, vt optimè demõstrat Angelicus Doctor in p. p. q. 58. art. 3. ad 1.

Respondeo. Quod signum includit intrinsecè duos respectus, alterum ad rem significatam, & alterum ad potẽtiam cognoscitiuam, quo-

Resolutio. rum vterq; explicatur in definitione, quâ diximus signum esse, quod potẽtiæ cognoscitiuę

Signi duplex respectus. (ecce habitudo ad potẽtiam) aliquid, scilicet obiectum, repræsentat, & quidem in signis ad placitum vtraque hæc habitudo est ens rationis

tionis,quia prouenit ex impositione: at verò in signo naturali, ordo ad signatum,est relatio effect' ad causam,in imagine autem,exemplati ad suum exemplar,& ita est relatio realis si causa & exemplar existant,ordo autem ad potentiã & relatio obiecti terminatiui seu cogniti ad cognoscẽtem. *Nec* mihi obijcias ex eo quod signum naturale duas relationes includit,non posse haberi vnicam naturam signi cum ex reali & rationis non possit esse vnũ: hoc enim benè currit,si vnum cum altero se haberet per modum Generis & differentiæ, quod nunquam de signo est asserendum. Est tamen aliquid vnum ex reali vt ex materiali, & ex ente rationis tanquam formali,patet hoc in terminis Logicè sumptis,in quibus materiale est vox formale ẽs rationis,scilicet significatio, in sacramento autem Baptismi, materiale est realis ablutio, sed interioris ablutionis significatio,est ẽs rationis. Ordo ergò ad signatũ, est fundamentum in signo ordinis ad potentiam,& exinde habet quod significet potẽtiæ. Sed hæc significatio,licet materialiter vna sit quia eius fundamentum, hoc est,impositio, vnum est,formaliter tamen duę sunt habitudines distinctæ secundum rationẽ, per quarum vnam refertur signum ad potentiam,quatenus illi potest repręsentare, per alteram verò ad rem significatam, quia est illius repræsentatiuum. Addo exemplum in filiatione,quę vna tantum est materialiter in filio,in ratione verò

Quod vnũ aliquid posßit esse reale,secũdũ aliquid, & item rationis.

relationis multiplex quia per illã refertur filius ad patrẽ & matrẽ, sed hæc similitudo nõ currit in õnibus, noui enim doctrinam sanctissimi Præceptoris in tertia parte q.35. artic.5. in corpore. Vbi asserit eadem relatione referri vnumquodque ad suum patrem & matrem propter vnitatem causæ, quia etiam eadem natiuitate nascitur ex vtroque: hæc tamen doctrina de identitate reali est intelligenda, nam filius est matris vt generãtis passiuè, patris verò actiuè, vt tenet probabilis Thomistarum sententia.

His ergò relationibus suppositis aduerte vlterius, quod significare dicit vnum ex alio cognoscere, ac per consequens, eo modo signum potest conuenire alicui, quo pacto illud inspicit vnum ex alio, cum igitur formaliter cognoscere vnum ex alio, non solum importat cognitionem quamcunq; rei & finis, sed etiã proportionẽ mutuam, materialiter verò cognoscere finẽ & signum vel aliquid aliud, non dicit hanc proportionem, hinc est, quod animalia irrationalia eo modo habebunt signa, quo pacto cognoscunt ex vno aliud. *Sit ergò.*

Prima conclusio. Bruta irrationalia habẽt formaliter sua propria signa.

Probatur Ex illo Iob. c.39. Cũ audierit vocẽ buccinæ, dicet, vach procul odoratur bellum.

Prætereà. In ratione signi includitur intrinsecè habitudo ad potentiam & ad signatũ, sed nõ apparet ratio, propter quã debeat negari talis

ri talis habitudo alicuius rei respectu bruti, ergò habent propriè & formaliter sua signa.

Secunda conclusio, ad hoc vt aliquid significet alicui potentiæ non requiritur, quod in actu signato potentia cognoscat signum, sed sufficit in actu exercito.

Probatur. Cum quis cognoscit ignem ex fumo, vel ex imagine Cæsarem, proprijssimè illi significat imago, sicut & fumus, etiãsi nõ cognoscat formaliter quid sit imago, vel quid sit signum. Ergò conclusio vera.

Cautè tamen aduerte maximum esse discrimen inter hominem & bruta in hac cognitione, quandoquidẽ homini (qui nõ potest habere in multis rebus cognitionem vnius ex alio in actu exercito nisi præcesserit ista cognitio proportionis inter signatum & signum, saltim in actu signato) non significant hæc signa quod non reperitur in brutis natura prouidente, prouidit enim natura de hac cognitione in actu exercito sine illa priori, videns quod impossibile erat illam priorem habere: vnde sicut multa concessit brutis, quæ tamen negauit homini, verbi gratia, arma defensiua, vestimenta & escam, (cognoscit enim ouis naturaliter quæ herba sit sibi nociua aut proficua, quæ non cognoscit naturaliter homo licet posset hoc consequi mediante discursu) similiter etiam natura prouidit animantibus, vt cognoscant ex vno aliud, & ex speciebus

Discrimen inter cognitionem hominis & bruti.

sensatis, colligerent nō sensatas, vt est videre in oue quæ viso lupo fugit tanquam proprium hostem.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego consequentiam, ad cuius probationem, *Dico* quod ad hoc vt aliquid dicatur propriè visum, quæ est denominatio rationis, non requiritur quod ab eo à quo videtur posset illi attribui illa relatio rationis, alias enim si brutum animans videret parietem, paries non diceretur propriè visibilis, sed satis est quod respectu bruti sit aliquid in pariete, in quo possit fundare intellectus hominis vel angeli, relationem visibilis: ita similiter ad hoc vt brutis insint propriè signa, non est necesse, quod ab ipsis habeant illam relationem rationis signi, sed sufficit quod respectu illorum sit aliquid in quo intellectus possit fundare illam relationem, vnde argumentum non vrget.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego antecedens, ad cuius probationem *Dico.* Quod quando ego video imaginem cæsaris, & ex illa cæsarem agnosco, agnosco ex vno aliud, & tamen non propriè discurro. Tūc enim est propriè discurrere, quādo sunt plures cognitiones realiter distinctæ, & vna est alterius causa, vnde nō satis est ad rationē proprij discursus quod intellectus transeat ab vna cognitione in aliam, quia hoc etiā datur in angelis, sed requiritur omninò quod prima cognitio habeat ordinem causalitatis ad alteram, sicut cognitio præmissarum est causa

Quid sit discurrere.

causa cognitionis conclusionis. Ad rationem autem discursus impropriè sumpti requiritur quod intellectus in vno cognoscat aliud.v.g. risibile in rationali, quamuis vtrumq; eadem cognitione attingat, & huiusmodi potest appellari discursus virtualis,& potius se tenet ex parte obiecti, & hunc concedimus esse in brutis.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquid poßit se ipsum significare?

V*Idetur quod sic.Primò.*Ista vox Signũ significat omnia signa,& ipsa est signum,ipsa ergò seipsam significat:omnes propositiones sunt manifestæ. *Argum. I.*

Secundò. Hæc dictio signum potest significari aliquâ voce,sed nõ aliâ nisi seipsâ,ergò seipsam significat.*Minor prob.*Demus enim quod significetur per aliam vocem tunc illa secunda vox potest adhuc significari quemadmodum potest conceptu exprimi,ergò per seipsã vel per aliam: si per seipsam,habeo intentum: si per aliam,procedes in infinitum. *Argu.II.*

Tertiò. Si de ratione signi est quod significet aliud à se,ergò inter signatum &signũ debet interuenire distinctio realis quod tamen est falsum.*Consequentia prob.*Nihil est aliud ab altero nisi realiter distinctũ,nam idem non est à se realiter aliud:ergò si de ratione signi est,re- *Argu.III.*

præsentare aliud, de ipsius etiam ratione erit distingui realiter ab alio.

Resolutio. *Respondeo.* Quod hæc est differentia inter aliud substantiuè, & aliud adiectiuè, quia hoc secundum importat solam alietatem, & distinctionem suppositi & non naturæ, prout explicat Angelicus Doctor in prima parte quæstione 31. A. 2. vnde ista Propositio in diuinis est vera. Filius est alius à patre, quia præcisè significat quòd filius est aliud suppositum à supposito patris. At verò dicendo, Filius est aliud à patre, plusquam falsum est: Propositionabiliter ergò, Petrus non est aliud à Paulo, sed est aliud suppositum, distinctum à supposito Pauli, quia inter vtrumque non est distinctio formalis naturæ, sed numerica duntaxat, & materialis, est tamen ibi distinctio suppositorum, quia hæc est vera, Petrus est alius à Paulo.

Discrimen inter aliud substãtiuè, & aliud adiectiuè.

Dixi proportionabiliter, & non omninò similiter, quia quamuis Petrus & Paulus distinguantur numero proprietatibus absolutis, sicut Pater & Filius in diuinis, distinguuntur realiter proprietatibus relatiuis, non tamen sicut Pater & Filius subsistunt in vna numero natura, ita Petrus & Paulus, quia naturæ eorum distinguuntur secundũ numerũ.

Cum igitur in definitione signi dicimus, Signum esse, quod potentiæ cognoscitiuæ aliqd aliud repręsentat h[illegible] vox, aliud, debet sumi iuxta proprietatẽ & rigorẽ suę significationis, vt deno-

vt denotat alietatem essentiæ : propter cuius defectum, vnus homo non significat alium, quamuis sint inter se similes, non tamẽ est necessaria alietas suppositi inter signatum & signum, quia ly, aliud, in definitione positum, non significat talem alietatem, nisi adiungatur huic termino, suppositum.

Prima conclusio. Nulla res potest significare se ipsam in quantum esse signum.

Probatur. Oppositæ relationes non possunt eidẽ cõuenire, secundum eandẽ cõsiderationẽ: sed relatio signati & signi sunt oppositę adinuicẽ. Ergò signo non possunt cõuenire vt signum est. *Maior prob.* nam licet relatio paternitatis & filiationis eidem subiecto cõueniãt, non tamen respectu eiusdem, nec secundum eandem considerationem, sed aliquis est pater, quia genuit, filius quia genitus est.

Secunda conclusio. Signum significat seipsum non prout est signum sed sub opposita relatione signati.

Probatur. Efficaciter, ne dicam euidenter: suppositâ inprimis doctrinâ S. Tho. multis in locis, maximè vèrò in 4. sent. dist. 8. q. 1. vbi docet ꝙ oppositæ relationes, possunt inesse eidẽ respectu diuersorum, eò quod esse relatiuum, est ad aliud se habere, & idcircò in relatiuis cõtingit aliquid disponi per alterum sui Generis, non per se sed per accidẽs, sicut filij est filius, nõ inquãtum filius, sed inquãtum pater, & similiter signi põt esse signum, nõ prout est signum, sed signatũ. Ex quo infero: quod signũ significat omnia signa sub ratiõe communi signi & si-

militer significat se sub conceptu communi signi, ita vt ly sub, non denotet rationem formalem requisitam, ad hoc vt significetur: sed dispositionem quandam necessariam, nam sicut filius disponitur per aliquid sui generis, nempe per filiationem, ad hoc quod sit pater (non enim esset pater, nisi filius esset) ita omne signum disponitur necessariò, per aliquid sui Generis, scilicet per relationem signi communem ad hoc, vt possit habere relationem signati: nisi enim, ly homo, haberet relationem signi, non esset signatum per ly signum.

Sit ergò hæc formalis probatio conclusionis prædictæ: Filius ad hoc vt sit pater, disponitur per aliquid sui generis, scilicet, per filiationem, non tamen ratione illius dispositionis est pater formalissimè. Ergò signatum, ad hoc vt seipsum significet, disponitur per rationem signi communem, non tamen propter eam simpliciter est suiipsius signatum.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum:* quod nonnulli Recentiores volentes subterfugere difficultatem argumenti dicunt: quod signum significat omnia signa alia à se, non tamen se significat: & ratio est, inquiunt, quia signum non est à se aliud. Sed hac euasione omissa, distinguo maiorem. Ista vox, signum, significat omnia signa inquantum significant, nego Maiorem, sub opposita relatione signati, concedo Maiorem: neque enim signum est quid superius ad se, vel ad alia signa, vt signa sunt, sed vt signata, quā-

uis

uis diſponantur per talem relationem, vt ſignificentur, & ita ſaluatur diſtinctio formalis inter ſignatum & ſignum.

Ad ſecundum: diſtinguo ſimiliter Minorem: ſed non aliâ niſi ſeipsâ, prout eſt ſignificans, nego Minorem: prout ſignificatur, concedo Minorem: vnde licet ſignum non ſit aliud à ſe vt ſignificans, eſt tamen aliud vt ſignatum, iam enim diximus, quod ad verificandum huiuſmodi propoſitiones ſufficit diſtinctio eſſentialis, non verò ſuppoſitalis, diſponitur tamen per ſignificationem actiuam, vt poſſit eſſe ſignatum per ſeipſum. *Reſp. ad II.*

Ad tertium: diſtinguo conſeq. ergò inter Signatum & Signum debet interuenire diſtinctio realis, tanquam rei à re, nego conſeq. abſolutè, quia hæc non ſemper requiritur, vt dixi: formalis, concedo conſeq. nam alia eſt ratio formalis conueniens Signo vt Signum eſt, & alia vt eſt Signatum. *Reſp. ad III.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum voces ſignificent conceptus & res, & quid eorum principalius?

VIdetur quod ſolum conceptus ſignificent. *Primò.* voces mouent ad cognoſcendum terminū intellectionis. Sed terminus intellectionis eſt ipſe conceptus, ergo mouent ad cognoſcēdum conceptū. *Maior prob.* Voces mouent ad cognoſ- *Argum. I.*

cognoſcendum id quod intelligitur, nam teſte Ariſtotele in textu pręſenti, ea quę ſunt in voce ſunt notæ (hoc eſt ſigna) earum quæ ſunt in anima paſſionum, ergò mouet ad cognoſcendum terminum intellectionis.

Argu. II. *Secundò.* Authoritate B. Auguſt. in lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 2. vbi docet, quod quælibet viuētia dant ſibi inuicē ſigna, ad demōſtrandū quātū poſſint animi ſui motus, & ibibidem c. 3. ſubiungit: verba potius obtinuerūt principatū ſignificādi quæcunq; animo concipiuntur. In hac etiā ſentētia videtur eſſe Doctor Angelicus in 2. 2. q. 91. A. 1. in corpore dū ait: Ad hominem vtimur verbis, vt conceptū cordis quem non poteſt cognoſcere, niſi verbis noſtris ei exprimamus &c.

Argu. III. *Tertiò.* Quod ſolū res ſignificētur: Ex eo voces exprimunt cōceptus, quia ſunt repræſentatiui rerū. Ergò nō cōceptus ſed rē principaliter ſignificāt. *Anteced prob:* nā ſi hęc vox, homo, non ſignificaret hominē, nō exprimeret cōceptum hominis, Ergò ex eo exprimit quia ſignificat.

Argu. IV. *Quartò.* Idcircò aliqua Propoſitio eſt vera, quia ſignificat rem ſicuti eſt, ergò principale ipſius ſignificatum eſt res & non conceptus. *Anteced prob:* Nam veritas non in hoc conſiſtit quod ſignificat ſuū obiectū prout eſt in intellectu, multoties. n. cōtingit quod Propoſitiones falſę ſignificent res prout sūt in intellectu, ſicut ſi quiſpiā credēs Petrum nō eſſe album, proferat hāc Propoſitionē, Petrus nō eſt alb⁹: tunc

tunc huiusmodi Propositio cōformabitur illius intellectui, nō tamen conformatur rei, & præsertim si Petrus à parte rei fuerit albus, ac proindè non est Propositio vera. Consistit ergò veritas Propositionis, in eo quod significat rem sicut est à parte rei. Ergo significare res prout sunt à parte rei, est de ratione Propositionis, ergò etiā de ratione vocis & termini.

Respondeo. Quod nomine cōceptus debet hic intelligi similitudo vltimata obiecti quę producitur ab intellectu per actionē intellectus. Cum enim omnis operatio includat intrinsecè ordinē ad terminum, hinc est, quod non erit in actu absque hoc quod obiectum ipsius sit aliquo modo in actu, sicut calefactio in actu, requirit calorē in actu, ad quem terminetur. Cæterū hoc nō sufficit, vt aliquid dicatur esse operationis obiectum, requiritur ergò vlterius quod sit aliquo modo præsens operanti v.g. color quantumcunque sit in actu, non videbitur nisi sit præsens videnti.

Resolutio. Quid nomine conceptus sit intelligendum.

Requisita ad operationis obiectum.

Sed hic aduerte ex M. Ferariense, 1. cont. gent. ca. 53. quod nō æqualis præsentia requiritur in obiecto cuiuslibet potētiæ: sunt enim aliquæ potentiæ actiuæ, quæ ex eo solum productiuę sunt suarum actionum circa obiectum, quatenus ponāt aliquā perfectionē debitā naturaliter ipsi obiecto, & inter has cōnumerātur illæ quę trāseūt, in externā materiā, sicut calefactio dealbatio &c. Alię verò sunt potentiæ quę nō producunt aliquid reale, circa objectum, sed

Duplex habitudo potentiæ ad obiectum.

solam

ſolam denominationem extrinſecam cauſant in obiectis, verbi gratia, potentia extrinſecè cognoſcitiua, vtputa viſus, quamuis non propter hanc cauſam elicit viſionem, vt per illam perficiatur viſibile, quantum ad aliquid debitum ſuæ naturæ (non enim debetur obiecto viſibili in eſſe naturali conſiderato, vt videatur ſed tantum vt eſt viſibile) attamen expoſcit præſentiam obiecti in eſſe naturali, ſecundum locum & tempus, adeò vt in rem abſentem nullatenus poſſit agere, quod ex eo puto accidere, quia non producit aliquem terminum in ſua actione in quem tendat vltimatè, ſed duntaxat eſt materialis. At verò potentia cognoſcitiua interius, ſicut eſt intellectus noſter, non requirit præſentiam naturalem obiecti vt illud attingat, quia omne quod intelligitur naturaliter, aut eſt prorſus materiale, aut habet ſimilitudinem rei materialis, quæ non poteſt terminare actionem omninò ſpiritualem, expoſcit ergò intellectus noſter præſentiam ſpiritualem, in ſuo obiecto, quæ alias præſentia in eſſe obiectiuo appellatur, & hanc ſibi facit producendo aliquam ſimilitudinem, expreſſiuam clarè omnium rerum quæ ſunt in re materiali, quamuis ſub modo immateriali, quod inde prouenit, quia intellectus fertur indifferenter in rem præſentem vt abſentem realiter, ſicut imaginatio, non enim ad hoc vt ego poſſem imaginari Sigiſmundum tertium Regem Poloniæ eſſe Varſouiæ in ſua ſede, eſt neceſſe

Qualis requiratur præſentia obiecti ad cognitionẽ intellectiuam.

necesse vt Rex Varsouiæ in sede sit, nec opus est vt nobis intelligentibus Cracouiæ, sit presens secundum locum, siue enim Rex sedeat, siue non sedeat, imaginatio mea potest eum sedentem apprehendere, sed sufficit vt secundum esse spirituale appareat imaginationi & intellectui, quod esse spirituale habet in conceptu, & in verbo.

Hic igitur conceptus seu imago dupliciter considerari potest: vno modo in actu signato, hoc est, in quantum est res, *secundo modo* in actu exercito, hoc est, in quantum ostendit rem potentiæ, nõ sistendo in illa vt res est, sed transeundo ad rem imaginatam. Si ergò primo modo consideretur imago distinguitur non solum Specie, sed etiam Genere ab obiecto, sed si secundo modo sumatur, non est ibi aliqua distinctio realis, neque imago est quid exemplatum ab ipsa re, prout existit in imagine, sed imago, & res prout in imagine, est vnũ exẽplatũ ab ipsa re prout est à parte rei: vnde non solum imago, sed etiam res prout in imagine referuntur ad obiectum, prout existit à parte rei, & per consequens eadem vox habet relationem expressionis respectu conceptuum, & relationem significationis respectu rerum, quod sic ostendo: quando enim hæc vox, homo, profertur, facit vt audiens formet alium conceptum similẽ conceptui loquentis & vt veniat in cognitionem rei significatæ per conceptum loquentis, ac si ipse conceptus in audientem transfundere-

Quomodo voces, conceptus & res significent.

deretur, quo fit vt quēadmodum agēs naturale per generationem extendit & communicat suam formam genito, ita nos per locutionem exprimimus & communicamus id quod mēte concepimus, faciendo quod similes generentur conceptus in animo audientis: stante solum in hoc discrimine, quod agens naturale per propriam actionem producit formam rei genitæ, cæterū nos per locutionem nō sumus causa physica productiua cōceptus, quia ista causa est intellectus audiētis, sed dicitur loquēs causa moralis cōiunctionis speciei intelligibilis cū intellectu audientis, ex qua cōiunctione audiens format in intellectu fætum similem cōceptui loquētis, & sicut artifex depingendo imaginem, manifestat suā artē quā mente cōceperat, ita homo proferendo voces declarat se cōcepisse id quod voces significāt, secundum illud Senecæ: Imago animi sermo est, & qualis vox talis oratio.

Prima cōclusio voces significāt res, & cōceptus.

Probatur, authoritate. S. Thomę in opusculo 73. cap. 1. vbi ait, cum nomina sint signa rerum & ipsas res nobiscum ferre nō possumus in disceptationē veritatis ipsarum, ideò nominibus pro reb. vtentes necesse habemus quod ipsa nomina res significēt: sed ꝙ significent cōceptus Arist. subiūgit. Ea q̄ sūt in voce sūt notę seu signa earū passion. q̄ sūt in anima, h. e. cōceptuū.

Secūda cōclusio. Si vox cōparetur ad rem prout repræsētatur in conceptu & ad ipsū conceptū prout est imago rei, non habet locum quæstio, quid eorum prin-

cipalius significetur per vocem, cum res & conceptus in hac consideratione non distinguantur specie aut numero, sed sint idem omninò.

Probatur prima pars. Nam quæstio supponit quod res & conceptus, sunt duo extrema distincta, ad quæ comparatur vox. Ergò si conceptus & res illo primo modo non sunt duo extrema distincta, non habet locum quæstio.

Secunda verò pars probatur. Motus quo fertur potẽtia in cõceptum vt repræsentat rem: & in rẽ vt in cõceptu relucet, est vnus specie & numero. Ergò signũ est, quod res & cõceptus in hac cõsideratione nõ distinguũtur specie aut numero. Cõseq. prob. Nã si illi termini distinguerẽtur specie aut numero, causarent distinctionẽ specificã motuũ. *Antec.* verò colligitur ex Arist. in li. 1. de Memoria sæpi' docẽte: quod mot' in imaginẽ vt imago est, est vn' & idẽ cũ illo motu, qui est in rẽ prout existit in imagine

Tertia conclusio. Loquendo de significatione Vocis, secundum quod comparatur ad rem prout in cõceptu relucet, & ad conceptum prout est imago rei, ex alia autem parte ad rem prout est à parte rei, nõ est dicẽdum quod Vox significet rem principaliter, aut secundariò, sed tantum significat conceptũ prout repræsẽtat rẽ, vel rem prout in conceptu relucet, quod idem est.

Prob: Voces significãt res secundum quod cõcipiuntur: sed res nõ cõcipiuntur quaten' sunt à parte rei, ergò voces non significãt res prout sunt à parte rei. *Maior* est S. Tho. in p. p. q. 13. A. 1. *Minor v. prob:* Res prout sunt à parte rei sunt

singulares, sed intellectus imponens hunc terminum, homo, vel lapis, abstrahit à singulari, ergò non intelligit rem prout est à parte rei.

Quarta conclusio. Si fiat sermo de voce, secundum quod comparatur ex vna parte ad conceptum quatenus est quædam qualitas ex alia verò parte ad rem, prout est in se, vel prout in cõceptu nullâ probabilitate dicitur esse signum conceptus.

Probatur, nõ significat illum naturaliter, neque ad placitum: vox enim quæ imposita est ad significandum illam qualitatem mentis, est ista vox, Cõceptus, vel Qualitas &c. Ergò vera est conclusio.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*. Distinguo Maiorem, voces mouent ad cognoscendum terminum intellectus, intrinsecum tantum cuiusmodi est conceptus seu verbum, nego maiorem: intrinsecum & extrinsecum quemadmodum est ipsa res cognita, concedo Maiorem: aliam solutionem adhibet acutissimus Caiet. in p. p. q. 27. A. 1. idcirco tu vide ibidem.

Resp. ad II *Ad secundum* admitto authoritates prædictas & explico illas, quando enim Doctores asserunt, voces significare cõceptus, intelligunt conceptum in actu exercito, prout est imago rei in exercitio repræsentans rem, de quo non currit quæstio, vt dictum est.

Resp. ad III. *Ad tertium nego antecedens*, imò è contra est dicendum, ex hoc. n. quia voces exprimunt conceptus, significant res quæ in illis relucent, ad cuius probationem concedo antecedens, sed

ſed non ex eo quia ſignificare hominē ſit cauſa vt ſignificet conceptum,ſed quoniam eſt effectus neceſſariò conſequens ad ſignificationē conceptus, benè enim valet hæc conſequentia: homo mouetur, ergò habet vitam, & ſi non moueretur,nō haberet vitam: quoniam eſt effectus neceſſariò conſequens ad vitam, non tamen inde ſequitur,ergò quia mouetur habet vitā,ſed è cōuerſo, quia habet vitam mouetur: ſimiliter ſi homo non eſt riſibilis,nō eſt rationalis, quoniā riſibile eſt effectus rationalitatis non tamen quia riſibilis eſt, rationalis eſt,ſed è contra. Ita etiam ſignificare rem, conſequitur ad hoc quod eſt conceptum exprimere,tāquam eius effectus.

Ad quartum diſtinguo antecedens. Idcirco aliqua Propoſitio eſt vera,quia ſignificat rem ſicùti eſt, ſi fiat ſēſus, quod Propoſitio eſt vera,quia ſignificat mentem quatenus eſt cōformis rei,concedo antecedens: ſi verò intelligas, quod Propoſitio eſt vera, ex eo quia ſignificat rem,prout eſt à parte rei,nego antecedens: vnde veritas non conſiſtit in hoc,quia ſignificat rē prout eſt in intellectu præcisè, ſed in intellectu prout eſt rei conformis.Sed quoniam hic ſe offert ſolennis concertatio de natura& conceptu Entis rationis,prout illo ſæpius vtūtur Thomiſtę, idcirco ſit *Reſp. ad IV.*

ARTICVLVS V.

Vtrū terminus ſecūdæ intētionis ſit aliquid in mēte?

VIdetur quod non Primò. Omne quod eſt ci-

tra primum ens, est factum: sed ens rationis, non est factum, ergò non est aliquid citra ens primum. *Minor prob.* Si Ens rationis est factũ, percunctor, vel est factum, factione reali, vel factione rationis: non reali, quia omnis factio realis terminatur ad ens reale, & factum hoc modo, habet relationẽ realẽ ad faciens, ens aũt rationis ad nihil realiter refertur, cum non sit res. Nec etiam factione rationis: tunc.n. ante ens rationis, esset ens rationis, scilic. illa factio rationis de qua iterum quæram, an sit facta factione reali vel rationis & sic in infinitum.

Argu. II. *Secundò*. Si ens rationis esset extra nihil, oportet quod sit in ratione vel ad extra. Sed nullũ ex his potest dici, ergò nullo modo est aliquid. *Minor prob.* Non enim est ad extra, quia non est quid reale habens esse præter opus intellectus, neque etiam est in ratione: quia vel esset species intelligibilis, vel actus intelligendi, vel cõceptus factus de obiecto, quæ omnia sunt realia, vt communiter admittunt Thomistæ.

Argu. III. *Tertiò*. Si ens rationis est aliqua relatio consequens res in intellectu, ergò est membrum diuidens rationem Entis communem absoluto & relatiuo: sed huiusmodi est ens reale, ergò ipsum nihil est. *Minor prob.* Ratio Entis diuisa in absolutum & relatiuum, conuenit analogicè omnibus Prædicamentis, vt supra docuimus: sed hęc sunt verè realia, ergò ens vt sic diuisum, est ens reale, & per consequens si Ens rationis est aliqua relatio, vel nihil est, vel non distinguitur ab ente reali. *Respon-*

Respondeo. Quod Intentio non accipitur in præsenti formaliter,pro omni eo , quo mediante intellectus tendit in cognitionem rei , siue sit species impressa, siue actio intelligendi, hæc enim se tenent,ex parte intellectus,& nõ distinguuntur ab ente reali. Sumitur ergò obiectiuè,pro conceptu rei quatenus habet relationem ad intellectum sub ratione terminatiui , nam sic intentio considerata tenet se ex parte rei intellectæ,& ab huiusmodi intentione potest aliquid dici intentionale essentialiter aut denominatiuè,sicut pallor est qualitas,secundum essentiam , sed facies hominis contrahentis pallorem pallida denominatiuè, quia est facies habẽs pallorem. Sic ergò intentio secunda est ens rationis formaliter per suã essentiam,cæterum illud cui tribuitur talis ratio,hoc est,res substrata & fundamentum reale, est denominatiuè intentionale, sicut animal à genereitate denominatur Genus,& homo à specietate species &c. Et licet huiusmodi intentio respiciat intellectum obiectiuè , non tamen est obiectum quod per actum intelligendi producitur, vt terminus cognitionis intellectualis principaliter,sed quia consequitur ad rem quæ obijcitur intellectui in suo conceptu producto ab intellectu. *Resolutio.* *Quomodo in præsenti accipiatur Intentio.*

Quæ omnia vt clarè percipias,statuo hãc lucidissimam doctrinã ex qua , quid ens rationis sit ad mentẽ sãctissimi Doctoris facillimè colligi potest: quãdo intellectus meus intẽdit venire *Quomodo fiat Ens rationis.*

nire in cognitionem vltimatam entis rationis, imaginandum est, quod cum sit in potentia ad intelligendum, non minus hoc, quam illud, debet constitui in actu primo per aliquam speciem, seu formam intelligibilẽ, quæ determinetur ad cognoscendum hoc solum, & non aliud obiectum. Cæterum has species ac formas, quibus ad intelligendum informatur consueuit per conuersionem ad phantasmata mendicare, ex quibus virtute & lumine abstractiuo intellectus, educitur species immaterialis obiecti, similis in actu primo obiecto & repræsentãs ipsum, quãtum ad id quod pertinet ad naturam obiecti, non faciens apparere has conditiones, & has circumstantias: quoniã verò omne phantasma est reale & materiale, exinde apparet, quod entia rationis cũ nunquam habeant esse materiale, nunquam erunt in phantasia per seipsa, nec eorum propria species poterit abstrahi per opus intellectus agentis, vt sic informet intellectum possibilem. Si ergò huiusmodi entia debent intelligi, hoc erit originaliter quodammodò per speciem entis realis, sicut interdum per formã suæ imaginis cognoscitur homo. Et licet ens rationis non habeat speciem distinctam quæ intellectum faciat in illo priori in actu, habet tamen conceptum proprium, adeò vt non per verbum mentis, repræsentatiuum entitatis realis, repræsentetur ens rationis, sed per cõceptum suum, prout consequitur virtualiter ex specie impressa entis realis.

Ens rationis non est in phantasia.

Sed

Sed hic siste. Inquiro nunc, quandoquidem ad cognitionem entis rationis in proprio cõceptu, supponenda est species intelligibilis entis realis, cum suo conceptu expresso, numquid ex illis inferetur & quasi statim prodibit Verbum, vt sic repræsentatiuum entis rationis, an potius dicendum est, quòd antecedente specie impressâ realis obiecti, antecedente etiam verbo eiusdem obiecti, postmodum noua quædam forma intelligibilis consurgat, per aliquam resultantiam, quâ informatus intellectus, ad solam entis rationis cognitionem disponetur cum sit sua imago? Hoc est quæsitum inter Modernos quod sicco pede non licuit pertransire, in quo elucidando. *Quæsitum.*

Dico: quod intellectus informatus specie vtraque Entis realis, tam expresâ quam etiam impresâ, ratione quarum redditur Ens reale cognitum, & vltimatè conceptum, hoc quod est, ens reale perfectè cognitum, quasi substernitur intellectui, iam perfecto, vt ex eo sit elicitiuus speciei impressæ entis rationis, qua adiutus tãquã principio, formet conceptũ entis rationis, manẽte tamẽ illo priori cõceptu qui est de ente reali: Hæc autem species nõ est per aliquam abstractionem à phantasmatibus vt patet: sed merè per intellectum possibilem, elicitur ex cognitione vltimata entis realis, quę cognitio siue ens vltimatè cognitum, oportet vt omninò coexistat, & sit præsens intelle- *Responsio. Quomodo ens rationis cognoscatur.*

 ctui

ctui formanti cognitionem vltimatam quam habet de Ente rationis in actu secundo.

Pono super hoc exemplum: video Petrum aut aliquod indiuiduum rei naturalis, tunc à Petro procedit quædã species ad phantasiam, in qua repræsentatur quidẽ illud obiectum, tamen cum modo & conditionib. materialibus, quia repræsentatur natura humana vt existit indiuidualiter in Petro, quem antea vidi. Et quoniam hoc interius sensibile, debet esse intelligibile in actu, non autem intelligitur vt est singulare quia intellectus immaterialis est, idcirco data est animæ nostræ quædam virtus, scilicet intellectus agens, qui educit de potentia phantasmatis naturam & speciem Petri, quod eductum transfertur ad intellectum possibilem. *Et aduerte* quod obiectum adhuc est reale, nihil penitus habens de ente rationis: postquam verò intellectus receperit illam speciem hominis, iam non singularem, quia abstracta à phantasmate Petri, in quo existebat singulariter, redditur quodammodò aptus ad producendum conceptum similem naturæ humanæ, sicut etiã quælibet res, postquam receperit in se formam caloris, est capax ad producendum similem calorem, qui conceptus nihil est aliud, quam expressa similitudo, repræsentãs totum id quod continebatur in specie hominis quasi in actu primo. Et quoniam vnumquodque ita intelligitur sicut repræsentatur, idcircò illa natura intelligitur

Ordo cognitionis seu intellectionis.

abs-

abstracta à singularibus & consequenter vniuersalis ad singularia, non quod habeat intentionem vniuersalitatis, sed quia dum cognoscitur separata à singularibus, vniuersaliter cognoscitur. Et sic supposito hoc conceptu entis realis, scilicet hominis, postea intellectus progreditur ad conceptum entis rationis hoc modo: Attendit enim cautè, quidnam sit illa natura, quam concepit, & ad quæ se extendat, & exinde quia videt eam abstractam, & non esse naturam Petri tantum, Francisci tantum, vel cuiusuis alterius indiuidui, infert eam esse cõmunem multis indiuiduis, & inuenit relationem nouã quæ est proprietas quędã extrinseca ex eo consurgens, quia intelligitur natura nõ vt hui⁹, vel vt in hoc. Cum hoc tamen stat, quod illius vniuersalis seu relationis cõsequẽtis, datur species nouiter quasi impressa in intellectu iã habẽte actualiter perfectã cognitionem hominis vt sic: quæ species nõ est per abstractionem intellectus agentis circa illum cõceptum hominis, sed ipsemet intellectus possibilis: prout cõcepit vltimatè hominem realem coexistit suæ actuali considerationi, quam habet de homine eliciendo simul relationem non sensatam speciei, generis, vel vniuersalis, &c. quæ relatio in ente rationis, comparata conceptui reali siue considerationi actuali quam habet intellectus de conceptu reali, verbi gratia hominis, vt est ab eo elicita velut in fieri, habet se per modum speciei impressæ quæ tamen non distinguitur à seipsa vt est in

Fabricatio entis rationis.

suo conceptu , quem habet ex comparatione suiipsius ad actualem considerationem intellectus circa seipsam,&tunc est relatio secundæ intentionis essentialiter.

Ex quo infero,Primò:quod Ens rationis ita cognitum habet quandam diminutam essentiã, & etiam suo modo existit. Essentia illius inuariabilis est & perpetua, quæ est,relatio quædam consequens ad res existentes in intellectu, per quamcunq; operationem intellectus: hoc enim ita esse æternaliter est verum. *Sed existentia illius* est illamet essentia , cum respectu ad actualem considerationem intellectus , & ita cessante actuali opere intellectus,ens rationis non existit:sed quodammodò corrũpitur, licet eius natura & essentia sit perpetua , absque hoc quod intellectus sit operans in actu.

Quæ sit essentia entis rationis.

Quæ sit existẽtia entis rationis.

Infero secundò,quod quia in hoc passu intentionem sumimꝰ obiectiuè,pro omni eo,quod conuenit rei vt habet rationem obiecti intellectus,proinde intentio prima,dicetur conceptus ille primus , quo in rebus cognoscimus ea quæ ex natura sua illis conueniunt,v.g. hominem esse animal , substantiam vel corpus &c. Secunda verò intentio est, secundus conceptus qui habetur de re supponens priorem, nam: verbi gratia , postquam intellectus apprehenderit hominem cuius natura abstractè considerata conuenit pluribus numero , format conceptum Speciei.

Quid sit prima & secunda intentio.

Infero tertio:quod Ens rationis non est effe-

ctus

ctus directè intentus ab intellectu, concurrente in genere causæ efficientis, quemadmodum conceptus formalis, vt optimè explicat Dominicus Soto in lib. Prędicab. q. 3. sed est illud, quod cōsequitur ad aliquid in intellectu productum, & idcircò dicitur ens diminutum, nō tamen est mera fictio, sicut Chymæra, propterea quia habet fundamentum in re, quæ est natura hominis in conceptu hominis, vel natura animalis in suo conceptu &c. Accipe ergo vniuersaliter tria esse Entia rationis.

Entis rationis diuisio.

Aut enim est pura negatio, cuius nullum est prorsus fundamentum, quemadmodum Chymæra.

Aut est priuatio quæ habet fundamentum remotum & proximum, verbi gratia, cæcitas pro fundamento proximo dicit aptitudinem ad videndum, sed pro remoto dicit animal.

Aut insuper est relatio rationis, quemadmodum vniuersale, prædicamentum &c. quæ relatio non habet in se fundamentum proximū, sed tantum in intellectù vt puta cognitionem, natura verò quæ denominatur vniuersalis, vel Genus &c. est veluti fundamentum remotū, vt docet idem Magister.

Prima conclusio. Ens rationis est aliquid, & non est ens prohibitum, imò potius suo modo existit.

Probatur. Illa non sunt idem de quibus Prędicata contradictoria verificantur: sed de ente rationis vt nihilo verificantur prædicata contradictoria. Ergò ens rationis non est idem cum

cum nihilo. *Minor prob.* Negare omnem entitatem verificatur de nihilo, de ente verò rationis negare ens reale verificatur, sed non omnem entitatem.

Præterea aliquam entitatem præsupponere, verificatur de ente rationis, sed non de nihilo, quia quod non est, nihil præsupponit.

Tandem esse superius ad alterum, conuenit enti rationis &c. Discurre per vniuersam Logicam, sufficit enim ad hoc, vt aliquid sit extra nihil, quod licet non importet aliquam entitatem realem, tamen illam supponit.

Secunda conclusio. Ens rationis est quædam relatio, consequens ad res existentes obiectiuè in intellectu, per quamlibet operationem intellectus.

Probatur. Ens rationis est quædam entitas obiecta intellectui, & nō producta per ipsum. Ergò consequitur rem productam in intellectu, ergò est relatio non ad intellectum, sed ad res existentes in intellectu quas denominat.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum,* distinguo Maiorem: omne quod est citra primum ens est factum, si est factibile à primo ente mediatè vel immediatè, concedo Mai. alias nego Maiorē, ens autem rationis non est factibile, licet consequatur res productas ab intellectu in suis conceptibus, vt dictum est.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego Minorem, ad cuius probationem *Dico* quod ens rationis est in ratione, non subiectiuè, sicut species, & actus intelligendi, sed obiectiuè, tanquam consequens ad

rem,

rem, cuius subiectum est ipse intellectus.

Ad tertium nego sequel. Mai. nam ens rationis, non est relatio prædicamentalis, neq; habet aliquid commune in essendo cum ente reali, sed solum in respiciendo, cuiusmodi est relatio: sed de hac re diximus supra in Prædicamentis cap. 7. art. 1. *Resp ad III.*

CAPVT II. ET III.

DE NOMINE ET VERBO.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Nomen est vox significatiua ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars significatiua est separata finita, & recta. Probatur:* quod enim sit vox significatiua ad placitum, manifestum est, quia voces quę naturaliter significant, interiectiones potius vocātur quam nomina. *Nominis definitio eiusq; explicatio.*

Dico, sine tempore, ad differentiā verbi, quod cum tempore significat, *Cuius* nulla pars separata est significatiua, ad differentiā orationis, ꝙ tamen sic probatur: nā si alicuius Nominis partes separatæ essent significatiuæ, maximè huiusmodi nomina erunt composita, quia de simplicibus non videtur esse ambiguum, v.g. equiferus, sed hoc nomen si haberet partes separatas, non obtinet eandem significationem per se in partib. quā habet vt est compositum. Ergò nomina composita, non habent partes per se significatiuas.

Præterea: dicitur in definitione, finita, ad hoc, vt excludantur nomina infinita, v.g. non ho-

me

mo, & non equus, nam ista determinatè nihil significant, quia neque vt oratio, neque vt negatio; sed potius verificantur de ente & non ente.

Insuper additur, Recta, ad differentiam nominis obliqui, quod etiam non pertinet ad Logicam, ex eo, quia non semper cum verbo facit orationem, erit igitur casus nominis, vtpote quia deriuatur à nomine.

Definitio Verbi & eius explicatio.

Secunda conclusio. Verbum est vox significatiua ad placitum, cum tempore, cuius pars nihil significat extra, & est semper eorum quæ de altero prædicantur nota.

Probatur. Nā quod cōsignificet tempus, colligitur ex eo, quia valetudo nomen est, valet verò verbum, & præterea lectio, & lego &c. quæ omnia significant aliquid esse, scilicet actionem, & ita in hac particula, differt verbū à nomine.

Quòd autem subinfertur, & semper eorum quæ de altero dicuntur nota est, sic debet intelligi, quod nomen interdum vicem subiecti gerit, & interdum prędicati, verbum autem significat coniunctionem subiecti cum prædicato, quia vnit vtrumque pro aliqua temporis differentia, quod nec ipsi orationi conuenit. Cum hoc tamen stat, quòd non laborat, non valet &c. non sunt verba simpliciter, nec explicantur hac definitione, vtpote quæ non significant actionem aut passionem determinatam, erunt igitur infinita verba, quia de eo quod

quod est,& quod non est, verificantur: Hæc de textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrū nomina infinita sint verè nomina?

Videtur quod sic. Primò. Illud de quo aliquid verificatur in Propositione, est verè nomen, sed de nomine infinito possunt plurima verificari. Ergò potest esse nomen. *Minor prob.* Acccipio enim hanc vocem, non equus, & demonstro Petrum actu currentem, dicēdo, non equus mouetur, non equus currit, ecce vera est Propositio in qua subijcitur nomen infinitum, Argum. I.

Secundò. Nomen infinitum habet determinatam significationem, ergò est nomen. *Consequentia prob.* Nam ideò per te infinitum nomē excluditur à ratione nominis, quia nihil limitatè significat. *Antecedens verò prob.* significatio huius vocis, non homo, habet certum terminum, cum sit relatio quæ clauditur extremis; ergò, non homo, habet certam significationem. Argum. II.

Tertiò. Si, non homo, esset infinitum nomen, maximè hoc erit, propter rationem Philosophi, quia scilicet indifferenter dicitur de eo quod est, & quod non est. Sed ista ratio nulla est. Ergò vt prius. *Minor prob.* Nam intelligibile & imaginabile, sunt nomina quæ Argū. III.

denotant omne illud, quod potest intelligi vel imaginari, siue sit homo siue non, siue ens reale siue non.

Respondeo. Quod quemadmodum in rebus physicis materia & forma componendo essentialiter totum, non excludunt à ratione ipsius reliqua accidentia, quæ sunt velut ornamenta compositi (siue proueniunt ex principijs speciei, tanquam propriæ passiones, verbi gratia, risibile exornat hominem profluens ab animali rationali, ex quibus natura hominis constituitur, siue etiam ex principijs indiuidui, sicut esse magnum, esse pulchrum &c.) quamuis & alia interdum ad corruptionem ipsum disponant: ita similiter Oratio quælibet habet suum nomen & verbum, cui aduenient propria accidentia, v. g. quòd sit quanta vel qualis, scilicet vniuersalis vel indefinita, affirmatiua &c. licet inter eiusmodi accidentia plurima sint, quæ reddunt illam deformē, & omninò falsam, quales sunt negationes, vt, quod homo non sit animal, & priuationes, sicut quod non videat, omne enim nomen significat naturam aliquam determinatam, aut personam, vel vtrumque simul: sed quando dico, non homo, nihil determinatè ex his importat: quod tamen tripliciter potest intelligi: vt aliquid dictum à negatione infinitante, priuante, & negante.

Orationis accidētia.

Negatio infinitans illa est, quæ cadit supra solum terminum, quem infinitat, ex qua & illa dictione supra quam cadit, fit vna tantum

Triplex negatio.

dictio, & hæc verificatur de ente & non ente, v.g. Non homo, potest dici indifferenter & de eo quod est, sicut equus est non homo, & quod non est, vt Chymera est non homo, quia ex impossibilibus componitur.

Negatio verò priuans est illa quæ negat actũ à subiecto, sed tamen relinquit in eo aptitudinem, sicut non videns, de eo quod est cæcum dicitur, aptum tamen ad vidẽdum, lapis enim etiamsi sit subiectum huius Propositionis, lapis est non videns, à quo negatur actus vidẽdi, sed quia ibi nulla est aptitudo, nulla erit priuatio.

Porro negatio negans quidquid inuenit deserit, & inducit oppositũ, qualis cadit supra copulã, v.g. homo non est lapis, paries non est albedo &c. Cum igitur in nomine logico inueniatur quædam vis significandi & repræsentandi suum significatum, quæ deriuatur per institutionem, hinc est quod omne nomen positiuũ determinatè aliquid significat, v.g. homo homines, & non equos. Animal animalia, & nõ lapides: Ens entia vera, sed non fictitia.

Cæterum negatio infinitans, negat speciale significatum, quod debetur nomini, & generale inducit, v.g. non lapis negat lapidis significationem propriam, inferendo omnis rei quæ in mundo est, significationem, quia & homo, est non lapis, cælum, non lapis, & omne præter lapidem, est non lapis.

Prima conclusio. Nomen infinitum est terminus connotatiuus.

Probatur. Nam quod ſit terminus ex eo patet, quia eſt vox ſignificatiua, quod verò ſit connotatiuus, licet à quibuſdam negetur, oppoſitum tamen ex multis grauioribus licet colligere, qui aſſerunt, nomen infinitum ſignificare de formali, negationem ſui finiti, de materiali verò, omne illud quod poteſt denominari à tali negatione. *Quo ſuppoſito ſic argumentor:* Album quod eſt terminus connotatiuus, ſignificat de formali albedinem, de materiali verò omne illud quod ab albedine poteſt dici album, ſed nomen infinitum pro formali ſignificat negationem, pro materiali verò omnia entia, ſiue realia ſiue rationis, quæ in illa negatione conueniunt, Ergò infinitum nomen eſt terminus connotatiuus.

Secunda concluſio. Nomen infinitum non eſt verè nomen. Probatur. De ratione nominis eſt, vt ſignificet aliquam determinatam naturam, verbi gratia, homo vel determinatam perſonã, vt pronomen, vel vtrumq; vt Petrus: ſed nomẽ infinitũ, nihil horũ determinatè ſignificat, ergò non eſt vere nomẽ. Min. prob. ſignificat negationem naturæ potius, quam naturam, & negationem ſuppoſiti & perſonæ, nõ ſuppoſitum aut perſonam, & explicat quid non ſignificet aliquid, quam, quid ſignificet, ergo nihil determinatè ſignificat.

Obiter tamen aduerte. Quod licet hoc nomen, negatio, ſignificet negationem formaliſſimè,

& ſit

& ſit verè nomen, v g.dicendo, priuatio eſt negatio,non tamen hoc facit per modum nõ entis, ſicut nomẽ infinitũ ſed quãdam rationẽ entis importat,hoc eſt,per modum naturæ,& ita eſt magna differentia ex parte rei ſignificatæ.Hoc enim notando plurima argumenta reſolues.

Ad primum igitur dicendum,diſtinguo Minorem,ſed de nomine infinito poſſunt plura verificari, ſi accipiatur in ſua communiſſima ſignificatione, quo pacto nihil determinatè importat,nego Minorẽ,materialiter verò pro ſpeciali ſignificato de quo per accidens verificatur ratio infiniti,vt puta,accipiendo non equum,pro homine,concedo Minorem. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum diſtinguo antecedens, nomen infinitum habet determinatam ſignificationem per modum entis ſeu naturæ,nego antecedẽs:per modum negationis & nõ entis ſimpliciter,concedo antecedens:vnde poteſt ſuſtineri quod ſignificatio formalis nominis infiniti,non ſolum eſt certa,ſed etiam limitata,cũ eius terminus ſit certus & limitatus,nam nõ homo taliter ſignificat negationem hominis, vt iſta non ſignificatio eius ſit limitata & ita nomen infinitũ quodãmodò ſignificat vnũ,id eſt,negationem alicuius finiti,quæ negatio eſt ens veluti ſecundum quid. Cæterum quando dicitur eſſe limitatæ ſignificationis, intellige de ſignificato materiali,imò & formali, hoc modo,quod non ſignificat aliquid per modum *Reſp. ad II*

dũ naturæ certæ, & limitatę, ſed per modum negationis & non entis, vt dixi.

Reſp. ad III. *Ad Tertium* nego Minorem, ad cuius probationem *Dico*, quod Philoſophus per illam prędicationem nominis infiniti, tam de eo, quod eſt, quam quod non eſt, circumloquitur quaſi à ſigno, illimitatam ſignificationem nominis infiniti, ex illa namque prædicatione conſurgit tam ampla ſignificatio. Cum hoc tamen ſtat, quod intelligibile, imaginabile, & alia huiuſmodi nomina, ſignificant pro formali aliquam rationem poſitiuam, ſcilicet, intelligibilitatem, vel aliquid ſimile per modum naturę poſitiuæ, quod nomen infinitum non habet, vt dictum eſt.

ARTICVLVS II.

Vtrum Tranſcendentia poßint infinitari quo ad omnem latitudinem ſuam?

Argum. I. *Videtur quod ſic. Primò.* Si nomina tranſcendentia non infinitarentur, ergò illa Regula Ariſtotelis, & Dialecticorum fallit, quâ aſſerunt, ab affirmatiua ad negatiuam variato prædicato, penes finitum & infinitum valere conſequentiam, quod tamen eſt falſum. *Cõſequentia prob.* Nam iſta regula benè currit in propoſitionibus de prædicato Tranſcendente, verbi gratia, omnis homo eſt ens, ergò omnis homo non eſt non ens, vbi illatio eſt bona, & tamẽ prędicatũ eſt trãſcẽdẽs infinitũ, vt patet.

Argu. II. *Secundò.* Ens in ſua ãpla ſignificatione poteſt negari, ergò poteſt infinitari. *Conſequentia prob.*

Hæc

Hæc dictio, non neganter, & infinitanter penes hoc solum differt, quia si accipiatur neganter, transit vltra, verbi gratia, Petrus non est albus, vbi non esse album, transit in subiectum, infinitanter verò alligatur termino, ex quo & illa negatione efficitur vnica dictio, sed primum potest exerceri circa Transcendentia, ergò & secundum.

Respondeo, Quod nomine Transcendentium non modo hic intelliguntur passiones communissimæ entis, vt pote bonum, verum, vnũ &c. sed etiam ipsum ens, neq; enim interuenit aliqua distinctio realis inter hæc, quod ex eo patet, quia accidens distinctum realiter à subiecto, concretiuè solum prędicatur de illo, falsum enim est, quod Petrus sit albedo, vel sciẽtia, sed albus vel sciẽs: at vero de ente & passionibus entis, aliud est iudicium, nam Bonum & ens est, & entitas est, similiter verum & vnum &c. Tum etiam ex eo, quia non apparet, quidnam reale addat res supra ens, si nihil subterfugit rationem entis, hoc enim solo distinguũtur ista duo, quia nimirũ ẽs imponitur ab esse, res autẽ ab essentia & quidditate, vnde ens dicitur de ente reali & rationis, sed non res, nam sola realia propriè res dicuntur, quia sola habent essentiam, quemadmodum ingeniosè demonstrat Chrysost. Iauell. in suo Tractatu de Transcendentibus, vbi etiam exẽplum satis appositũ affert in hoc quod est, aliquid, & ens vel vnum, nam ratio vnius est in se indiuisum

Resolutio.

Quid nomine trãscendentiũ hic intelligendum.

ſum eſſe, ſed quod ſit ab alio diuiſum, eſt per accidens ſicut accidit aliud eſſe. Vnde infert idem Magiſter & benè, quod ſi ſolus Deus eſſet, adhuc remaneret vnus, quia in ſe ſimpliciter eſt indiuiſus, non tamen tunc eſſet Deus, Aliquid, propriè, hoc eſt, aliud quid, quia ab alio diſtinctus non eſſet, ſi nihil aliud eſſet. Poſſet tamen in caſu poſito, Aliquid dici, ea ratione quia nimirum aptus eſſet diſtingui ab alio, ſi daretur & hoc eſt, Aliquid fundamentaliter.

Duplex tranſcendentium acceptio.

Prædicta igitur tranſcendentia poſſunt accipi vel in ampla ſignificatione, & per reſpectũ ad omne illud quod ſignificant, verbi gratia, ens ſignificat in ſua latitudine tam ens reale, quam rationis, tam ſubſtãtiam quam accidẽs, ſimiliter bonum, aliquando verum bonum ſignificat, in quo ipſa ratio boni inuenitur, & aliquando bonum apparens, in quo ſola ſimilitudo boni apparet &c. vel in anguſtiori, vtpote quando ens ſumitur pro ſola duntaxat ſubſtantia, aut pro ſolo accidente, & ſic de alijs. In hac igitur particulari ſignificatione, certum eſt apud omnes tranſcendentia infinitari poſſe, nam in ente hoc modo conſiderato, poſſunt aſſignari ea quæ cõſtituunt rationem infinitam in Nomine, ſignificatum, videlicet, materiale, & formale, verbi gratia, in non ente prout importat negationem ſolius entis realis, ſignificatum eſt ipſa negatio, & omnia alia extra ens reale, ſunt materialia, quibus conue-

nit

nit illa negatio. Exemplifico in hac propoſitione, ſpecies eſt non ens, hoc eſt reale, Genus, Argumentatio & Differentia, ſunt non entia &c. vbi negatio entis realis, eſt formale tranſcendentis infiniti, & entia rationis quæ demonſtrantur, materialia ſunt.

Prima concluſio. Certum eſt tranſcendentia in ſua anguſtiori ſignificatione accepta infinitari poſſe.

Probatur. Ad hoc vt aliquod nomen infinitetur, ſatis eſt vt ſecundum ſe importet determinatam naturam, cui adueniens negatio, generale ſignificatum inducat: ſed tranſcendens pro aliquo ſpeciali ſignificato ſumptum, importat determinatam naturam, cui generale ſignificatum poteſt induci: Ergò in ſua anguſtiori ſignificatione poteſt infinitari.

Secunda concluſio Tranſcendentia vt ſic, nullatenus infinitari poſſunt.

Probatur. Nomen infinitum neceſſariò dicit pro formali negationem finiti, & pro materiali omne illud cui conuenit illa negatio, quod eſt procul dubio finitum. Sed non Ens in ampla ſignificatione, prout nimirum eſt negatio, tam entis realis, quam rationis, non importat aliquid pro materiali cui conueniat illa negatio. Ergò non eſt nomen infinitum. *Minor prob.* Nam ſi non ens in ſua latitudine excludit & remouet omne ens, tam reale quã rationis, nullum ens relinquitur pro quo ſupponat, & quod pro materiali ſignificet, ſi enim quoad entia ſolummodò realia infinitetur,

remanet ens rationis, pro quo ſupponat, vel è conuerſo, ſi verò infinitetur in ampla ſignificatione, nihil remanet, vt eſt manifeſtum, & hęc ratio efficaciſſima eſt pro hac ſententia, ſi rectè penſetur.

Reſp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego conſequentiam, ad cuius probationem dico: quod in illa Propoſitione, homo eſt ens, ſtricte accipitur ratio entis pro ente reali, videlicet, & non pro ente rationis, pro ſubſtantia, & non pro accidente, ac proindè non currit ad propoſitum Articuli.

Reſp. ad II *Ad ſecundum* nego conſeq. Ad cuius probationem *Dico*: quod ratio quare ens non poſſit infinitari, ea eſt, vt diximus, quia nimirum non relinquitur aliquod Ens pro quo ſupponat, cum ſit terminus connotatiuus, & penes hoc nomen infinitum & negatiuum differunt, & non quia negatio tranſit vlterius licet hoc ſecundum ſequatur ex primo, vt patet.

ARTICVLVS III.

Vtrum rectus & obliquus ſubordinentur eidem conceptui, ita quod ſit eadem notitia Petrus & Petro?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Alius eſt eſſentialiter conceptus ſignificans albedinem abſtractiuè, ab illo qui concretiuè ſignificat, ergo ſimiliter alius eſt conceptus recti, diſtinctus eſſentialiter à conceptu obliqui. *Conſeq. prob.*

prob. Non enim est maior ratio quare diuersus modus significandi abstractiuè vel concretiuè variet conceptus essentiales, non verò modus significandi vt quid vel vt cuius.

Secundò. Rectus non est obliquus, ergò conceptus recti distinguitur essentialiter à conceptu obliqui, *Consequentia prob.* Nam si non distingueretur, quare ergò Catonis non est nomen, sed Cato? *Argum. II*

Tertiò. Conceptus significant naturaliter, ergò quotiescunque variatur modus significãdi, variabitur conceptus secundum naturam, *Tunc vltra:* sed conceptus recti & obliqui significant per modũ vt quid, & cuius ex sua natura, ergò essentialiter distinguuntur abinuicem. *Argu. III.*

Respondeo. Quod sicut docet Angelicus Doctor Primo Perihermenias, hoc est discrimen inter rectum & obliquum grammaticalem, quia obliqui non sunt in rigore nomina, sed solum nominatiuus, per quem facta est impositio nominis ad significandum, & idcircò potius appellantur casus nominis, quia per quandam Declinationis originem à nominatiuo cadere dicuntur, Rectus verò est, qui non cadit ab alio, & licet Grammaticus appellet Nominatiuum casum, hoc tamen ideo fit, quia ab interiori conceptione mentis prouenit, erunt ergò obliqui casus accidentia nominis. *Resolutio.* *Differentia inter Obliquum & Rectũ.*

Sed

Species accidentis Grammaticalis.

Sed aduerte: quod multæ ſunt ſpecies accidentis Grãmaticalis: quædam enim ſunt accidentia Grammaticalia, quæ variant ſignificationem logicam & veritatem propoſitionis, verbi gratia, nomen commune, vt Equus, aliud ſignificat quod non ſignificat propriũ, hoc eſt, Bucephalus, & Homo aliud, quod non ſignificat Petrus. Et de his nominibus loquẽdo manifeſtum eſt quod conceptibus diuerſis ſubordinentur.

In ſecundo verò ordine nonnulla ſunt accidentia, in alio extremo, quæ nec variant ſignificationem logicam, nec eorum modi ſignificando mutant veritatem Propoſitionis, ſicut figura & declinatio, idem enim eſt dicere, Petrus eſt domi, & Petrus eſt domus in Genitiuo ſecundæ aut quartæ declinationis, & ſimiliter Petrus moritur cum accẽtu graui & moritur cum acuto, quæ omnia ad eundem ordinantur conceptum.

Porrò tertium genus accidentiũ eſt, quod etſi non mutat ſignificationem Logicam & eſſentialem, variat tamen Propoſitionis veritatem, & huiuſmodi ſunt caſus, & numerus in nomine, perſona & tempus in verbo, verbi gratia, Ens, entis, entia, idẽ ſignificant logicaliter loquendo, ſicut intelligo, & intelligere. Refert tamen dicere. Franciſcus eſt ens, & Franciſcus eſt entia. Franciſcus eſt Deus, & Franciſcus eſt Dei. Vt igitur percipias quidnam efficiat illam diuerſitatem, ſit

Pri-

Prima conclusio. Probabile est quod rectus & obliquus subordinentur conceptibus essentialiter diuersis.

Probatur. Est aliquid in conceptu recti, scilicet ille modus significandi, vt quid, quod nō est in conceptu obliqui significantis vt cuius, ergò probabile est quod isti conceptus sint omninò diuersi. *Anteced prob.* Nam hęc Propositio seruus est Franciscus, facit sensum diuersum ab ista, seruus est Francisci, quæ tamen diuersitas prouenit ex parte recti & obliqui, nempe Francisci & Franciscus.

Secunda conclusio. Mihi tamen probabilius videtur, quod etiamsi rectus & obliquus subordinentur eidem conceptui essentiali, tamen accidentaliter diuersis.

Probatur. Omnis conceptus ex proprio obiecto specificatur: sed obiectum recti & obliqui est vnius speciei & naturæ. Ergò similiter vnus conceptus. *Minor videtur esse manifesta,* ex eo quia per conceptum Ly Franciscus & Frāncisco, represęntatur idem obiectum, & res essentialiter eadem, quia est naturalis similitudo obiecti. Cæterum ille modus vt quid vel vt cuius, accidentalis est ipsi rei, vt patet.

Ad primum igitur dicendum: nego conseq. nā ille modus significandi abstractiuè vel cōcretiuè essentialis est conceptibus, & idcircò variatur: sed modus significandi vt quid vel vt cuius, est accidentalis, & non reperitur in cōceptu principali: sed in illis actibus syncathegore- *Resp. ad I.*

gore-

gorematicis, vnde non diuersificat essentialiter conceptus.

Resp ad II *Ad secundum* nego conseq. sufficit enim diuersus modus accidentalis siue Grammaticalis vt rectus sit nomen & non obliquus; & præsertim si absolutè & in ratione conceptuũ considerentur, secus autem si reduplicatiuè, hoc est, vt sunt conceptus recti & obliqui, hoc enim pacto distinguuntur essentialiter, sicut etiam in simili, homo albus, & homo niger, differunt per accidens, sed cum reduplicatione albi & nigri essentialiter differunt.

Resp. ad III. *Ad tertium*: distinguo conseq. Ergò quotiescunque variatur modus significandi, variabitur conceptus naturalis, si modus fuerit naturalis, concedo conseq. accidentalis, nego conseq. ac proinde significare per modum vt quid vel vt cuius, non conuenit conceptui ex propria natura vt est manifestum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Verbum in Propositione necessaria absoluatur à tempore?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Etiam de potentia Dei absoluta nullum definitum absoluitur à propria definitione: sed significare cum tempore est definitio Verbi: ergò nullũ Verbum in Propositione quantumuis necessaria, absoluitur à tempore. *Maior patet*: implicat enim

nim contradictionem, vt aliqua res creata habeat naturam, non habendo definitionem, quæ explicat quid sit esse rei. *Minor verò probatur*. Sublato hoc, quod est, cõsignificare actionem in aliquo tempore, non remanet distinctio inter nomen & verbum. Ergò ista est definitio Verbi: nam definitio legitima ita explicat naturam definiti vt illa sublata & omni alio posito, nulla prorsus maneat distinctio definiti ab omni alio.

Secundò. Istæ propositiones sunt in materia necessaria. Sol oritur & occidit. In vere florent herbæ, & in hyeme congelantur niues &c. & tamen prædicata non semper conueniunt subiectis, quia nonnunquam deficiunt, ergò Verbum in huiusmodi propositionibus significat cum tempore. Omnes sunt manifestæ, imò deductæ ex libris Posteriorum. *Argu. II.*

Tertiò. Si hęc Propositio, Franciscus est homo, contineret veritatem perpetuam, ac proinde, Est, absolutum à tempore, ergò extra omne tẽpus Franciscus est homo, sed hoc est irrationabile: quia si homo est, ergò est substantia, aut igitur prima aut secunda: sed Franciscus cum sit indiuiduum, non est substantia secunda, ergò prima: ergò existens particulariter, quia substantiæ materiales concernunt hic & nunc. *Argu. III.*

Respondeo. Quod sicut Nomẽ significat rem aliquam quasi per se existentem, ita etiã proprium est Verbo, vt significet actionem nõ in abs- *Resolutio.*

abſtracto quatenus eſt res quædam, verbi gratia, curſus, deambulatio, &c. ſed actionem in aliquo tempore menſuratam; quod nihil aliud eſt, quam ſignificare actionem vel motũ in ordine ad aliquam differentiam temporis, & hoc eſt ſignificare illam prout in fieri conſiſtit, & in fluxu temporis: nam quando ego dico, curro, tunc volo ſignificare motum, vt eſt in fieri de præſenti, hoc eſt, vt fit in præſenti tempore, & cucurrit vt fuit in fluxu, curret autem, quatenus erit in fieri, licet iſta omnia menſurentur præſenti tempore.

NOTA. Quomodo prӕteritũ & futurũ conueniãt cum præſenti.

Quod vt clarius fiat aduerte. Eo modo ſe habere differentiam temporis præteriti & futuri ad ſuum pręſens, quòd nihil eſt futurum niſi in præſenti, ſicut nec præteritum, res enim in tempore præterito, non eſt præterita, ſed præſens, præterita autem eſt in præſenti, quia vt ſic non eſt præſens: quemadmodum & futurum non in tempore futuro, futurum eſt, ſed in præſenti quia in futuro erit pręſens, in præſenti ergò eſt aliquid futurum.

Explico dictum: accipiendo horam præſentem ex integro, in qua pronuncio tales cathegorias, Franciſcus heri currebat, ſimiliter Franciſcus cras diſputabit. Ecce in prima prædicatum eſt de præterito, & de futuro in altera, Percunctor nunc, ſupponendo quod, currebat, eſt præteritum (ſignificat enim actionem quæ fuit in fluxu præterito) numquid heri quando Petrus cucurrit, erat

præ-

præteritum Currebat? imò verò quando currebat heri, verum erat dicere, quod Franciſcus de præſenti currit, quia nõ currebat curſu prȩterito, Ergò Cucurrit, quod erat heri, nõ erat præteritum, ſed præſens. Prȩteritum ergò in tempore prȩſenti eſt præteritum; & non in tempore præterito. Sicut & illa Propoſitio, Franciſcus cras diſputabit; quamuis importet actum diſputandi prout erit in fieri in tempore futuro, non tamen quãdo cras diſputabit, tunc erit futurũ; quia cras verificabitur, quod Franciſcus diſputat de præſenti, & non quod Franciſcus de futuro diſputabit, non enim diſputabit in futuro diſputatione futurâ, ſed de prȩſenti in futuro diſputabit. Signum igitur eſt quod, diſputabit, eſt futurum non in tempore futuro, ſed in præſenti, quod copulat præteritum cum quouis futuro.

Sic ergò intellectâ ſaltim ſuperficietenus naturâ Verbi, *ſciendum eſt* vlterius quod Propoſitio neceſſaria ſimpliciter, illa vocatur in qua prædicatum eſt de natura ſubiecti adeò, vt nihil ſit ſumere ſub illo, de quo pro omni tempore non verificetur, vt poſtea ſuo loco in lib. Poſter. iuuante Deo dicemus. Ex eo namque quod animal per ſe dicitur de homine, de quocunque verum eſt dicere, quod eſt homo, verũ etiam erit, quòd eſt animal, & quocunq; tempore verũ eſt, quod homo eſt, verum eſt, quod animal eſt, ſicut quia cõtinuari per puncta dicitur per ſe de Linea, de quocunque verè dicitur *Quæ ſit propoſitio neceſſaria.*

citur

citur quod est Linea, etiam dicetur, quod cōtinetur per puncta, ac proinde dicetur necessariò non quod res, quæ per extrema significatur, sit necessaria, sed connexio extremorum: quamuis enim homo sit res contingens, sicut & rationale, attamē de quocunq; dicitur quod est homo, dicitur quod est rationale, quia connexio hominis cum rationali est necessaria, sicut connexio albedinis cum qualitate etiamsi vtrumque sit accidens. Et hoc ideò dico, vt distinguerem hominem dictum de Petro Logicè, ab eo qui ipsi conuenit extra Propositionem secundum esse reale: homo enim Logicè consideratus, conuenit Petro per se, adeò vt ista Propositio sit veritatis perpetuæ, Petrus est homo, quia Prædicatum ingreditur Subiecti naturam: at verò extra Propositionem non semper illi conuenit, sed solum quando est in actu, singularia enim antequam in actu sint, non participant naturam specificam in actu.

Prima conclusio. Qualibet propositio necessaria, habet veritatem æternam, siue res existat siue non, siue enim homo sit & animal siue non sit, semper ista est vera, Homo est animal.

Probatur. Authoritate D. August. lib. 2. de Libero Arbitrio cap. 8. dicentis, in hæc verba: quidquid corporis sēsu, veluti est hoc cælū & terra hæc, & quęcūq; in eis corpora sētio, quādiu futura sūt nescio, septē autē & tria decē sūt, & nō solū modò, sed sēper, nec aliquādo septē
&

& tria nō fuerūt decē, nec aliquādo nō erunt decem. *Idem super Genesin* lib. 4. cap. 7. Facilius, inquit, cælum & terra transire possunt quæ secundum numerum senarium fabricata sunt; quā effici possit vt senarius numerus suis partibus nō cōpleatur: si ista non essent, perfectus ille esset, nisi autem ille perfectus esset, ista secundum eū perfecta non fierent. Ecce, Septē & tria decē sūt, & Numer⁹ senarius est perfectus, sunt Propositiones veritatis perpetuæ, etiāsi mundus nō esset. *Tūc subsumo* sed prędictę propositiones nō haberēt veritatē perpetuā, nisi essent necessarię, ergò quælibet propositio necessaria habet veritatem perpetuam.

Secunda conclusio. Verbū in propositione necessaria absoluitur à tempore.

Probatur. Demus enim casum quod antequā esset tēpus, & mēsura fluens cuiuslibet actionis, enunciaret quispiā homine non existente, has cōtradictorias, si Petrus sedet, necesse est eum sedere, nō si Petrus sedet, necesse est eum sedere. *Tunc subsumo:* nō existēte sessione Petri nec etiā Petro, imò nō existēte tēpore quo sessio mēsuratur, supradictæ Propositiones sunt cōtradictoriæ, ergò altera ex illis debet esse vera, sed nō secunda nimirū, nō si Petr⁹ sedet necesse est eum sedere, quia hoc repugnat, sicut esse albū &c. Ergò verbum in illa expressum non significat sessionem in fieri, & in fluxu tēporis, ac proinde absoluitur à tempore. *Resp. ad 1.*

Ad primum igitur dicendū. Distinguo Minorē,

ſed ſignificare, cum tempore, eſt definitio Verbi, ſi ſumatur tempus propriè quatenus eſt mẽſura generabiliũ & corruptibilium, tum nego Minorem. Communiter, prout ſe extendit ad æternitatem vel quamuis aliam menſuram, concedo Minorem. Nam in Propoſitione neceſſaria verbum impeditur ratione illius habitudinis extremorum adinuicem, vt non ſumantur illa extrema ſecundum exigentiam temporis, proindeque Verbum in hoc paſſu ſolam dicit vnionẽ prædicati cum ſubiecto, ſine ordine ad aliquam differẽtiam temporis, non quod iſta particula, Eſt, deſinat conſignificare tẽpus, quia in mẽte naturaliter illud ſignificat, ſed quia extrema nõ ſupponunt in ordine ad aliquam differentiam Temporis.

Reſp. ad II. *Ad ſecundum*, diſtinguo Minorem, & tamen prædicata non ſemper conueniunt ſubiectis, ſimpliciter, concedo Minorem: regulariter & quando fieri debent, nego Minorem. Sed vide interim Magiſtrum Soto lib. 1. Poſter. cap. 7.

Reſp. ad III. *Ad tertium* nego Minorem: ad cuius probationem *Dico*. Quod licet ab æterno Franciſcus ſit homo, nõ tamen prima vel ſecunda ſubſtãtia, ex eo quia hominem eſſe, pertinet ad naturam Franciſci: ſed prima & ſecunda ſubſtantia, non ſunt de intrinſeca & formali ratione ſubſtantię, ſed potius ſunt quidam modi ſubſtantiæ, vt in Prædicamentis dictum eſt.

CAP.

CAPVT IV. ET V.

DE ENVNCIATIONE ET modis Oppoſitionum.

SVMMA TEXTVS.

Prima concluſio, Oratio quæ eſt Genus Enunciationis, eſt vox ſignificatiua, cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata, vt dictio, ſed non vt affirmatio vel negatio. *Orationis definitio eiuſq; explicatio.*

Probatur. Explicando ſingulas particulas: nam Vox, ponitur loco Generis, per quam nomen & verbum definiuntur: & additur ſignificatiua, vt per hoc excludantur voces nihil ſignificantes, neque ſubiungit Philoſophus ad placitum, eam puto ob cauſam, quia iam ſatis hæc particula manet explicata in definitione nominis & verbi, quæ ſunt partes huiuſmodi orationis, non enim oratio ſignificat naturaliter, vt eſt manifeſtum.

Cæterum, quando infertur, cuius partium aliqua ſignificatiua eſt ſeparata, vult Ariſtot. in hac particula diſtinguere orationē à ſuis partibus, hoc eſt, à nomine & verbo, quorum partes non ſignificant aliquid ſeparatæ, ſicut ipſum totum.

Cum verò audis, vt dictio, explicatur modus ſignificandi partium ſeparatarum, ſunt enim quædam voces & dictiones, ſed non affirmatiuæ aut negatiuæ, quia affirmatio & negatio

significant aliquid, esse vel non esse, partes verò orationis, quæ sunt dictiones, non significant, nisi addatur verbum quod est nota eorũ quæ dicuntur de aliquo, ac proinde, tunc non erunt partes orationis, sed perfecta oratio, v.g. Frãciscus risibilis, cõstat ex diuersis nominib. quæ sunt voces per se significatiuæ, licet partes earum separatę nihil significẽt, vt dictũ est.

Secunda conclusio. Oratio multiplex est apud Philosophos. Probatur. Aut enim est enunciatiua quæ verum aut falsum continet, & talis conficitur in modo indicatiuo, v. g. Petrus disputat, homo ridet &c.

Orationis diuisio. Enũciatiua.

Aut non enunciatiua, quæ nihil veri aut falsi continet, sed potius ordinatur ad exprimendum animi affectum, & non ad interpretãdũ id quod in intellectu habetur, cuiusmodi sunt omnes aliorum modorum, vt puta, imperatiui, optatiui &c.

Non enunciatiua.

Secundò. Quædam est enunciatio vera quæ significat rem sicuti est v.g. Ignis est calidus: & alia falsa, quæ aliter rem significat quam sit, v. g. homo est irrationalis.

Oratio alia est vera, alia falsa.

Tertiò. Alia est enunciatio vna, quę vnum conceptum exprimit, v.g. cælum est rotundũ. Alia multiplex, quæ constat ex terminis æquiuocis, & nõ vnũ conceptũ significantibus, v.g. cælũ mouetur circulariter, Frãciscus dormit.

Enunciatio alia est vna, alia multiplex.

Quartò. Quędam est Enunciatio simplex, in qua enunciatur vnum de vno, v.g. paries est albus. Et quædam composita, quę includit plures simplices, prout aliqua coniunctione co-

Enũciatio alia est simplex, alia composita.

pulantur, v.g. cælum mouetur circulariter & Franciscus disputat.

Tertia conclusio. Tribus modis aliquæ Enunciationes vniuersales inter se opponuntur, penes quantitatem. Probatur à sufficienti diuisione, nã tripliciter de re vniuersali possumus aliquid enunciare, affirmando vel negando.

Triplex oppositio enũtiationum secũdum quantitatem.

Primò possumus enunciare aliquid de vniuersali vniuersaliter considerato, hoc est, cum modo vniuersalitatis, v.g. omnis homo est animal, nullus homo est animal.

Secũdò possumus enũciare, aliquid de vniuersali affirmatiuè vel negatiuè, sed nõ vniuersaliter. v.g. homo est animal, homo nõ est animal.

Tertiò possumus enunciare aliquid de vno vniuersaliter, & de altero non, v.g. omnis homo est animal, & homo non est animal, vel nullus homo est animal, homo est animal.

Quarta conclusio Quatuor modis opponuntur inter se enunciationes secundum veritatem & falsitatem. Probatur. Aut enim sunt contrariæ, quæ enũciant aliquid de vniuersali vniuersaliter affirmando & negando, & simul non possunt esse verę, v.g. Omnis homo est animal. Nullus homo est animal: possunt tamen esse simul falsæ, in materia contingenti, v. g. omnis homo est albus, nullus homo est albus.


Quadruplex oppositio secundum veritatem & falsitatem.

Aut sunt contradictoriæ quarum altera necessariò est vera & altera falsa, impossibile enim est simul esse veras aut falsas in aliqua materia. v.g. omnis homo est animal, quidam homo non est animal.

Aut ſubcontrariæ, quarum lex talis eſt, quod ſi vna eſt falſa, reliqua eſt vera, & non è contra, poſſunt enim ambæ eſſe ſimul veræ in cõtingenti materia, v.g. Quidam homo eſt iuſtus. Quidam homo non eſt iuſtus, ac proinde lex ſubcontrariarum, contrario modo ſe habet reſpectu contrariarum.

Tandem in ſubalternis. Si vniuerſalis eſt vera, particularis erit vera, & non è contra, poteſt enim particularis eſſe vera vniuerſali exiſtente falsâ, v. g. Deus poteſt creare quolibet die, vnum angelum, vel animam incorruptibilẽ & ſic in infinitum, ſed non poteſt creare omnibus diebus collectiuè infinitos angelos, vt dicunt Phyſici. Et hæc docet Ariſtoteles de veritate & falſitate enunciationum, quamuis non ita explicitè. Vt autem plenius prædicta intelligantur, ſtatuunt Logici exemplum in figura ſequente.

FIGVRA OPPOSITIONIS.



ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum vox ſit Genus Orationis, Nominis & Verbi.

VIdetur quod non. Primò. Ex genere & differentia fit vnum per ſe; ſed ex voce & vltima differẽtia orationis, non poteſt fieri vnũ ens per ſe. Ergò vox non eſt genus ad orationem. *Minor prob.* Tunc ex genere & vltima differentia fit vnum per ſe, quando differentia continetur ſub poteſtate generis: ſed ens rationis quo differt oratio, non continetur in poteſtate vocis, quæ eſt ens ſimpliciter reale. Ergò ex voce, & vltima differentia orationis, non poteſt fieri vnum ens per ſe. *Argum. I.*

Secũdò. Ariſtoteles multoties reijcit has propoſitiones: Statua eſt lapis. Lectulus eſt lignũ. Inquit enim, Phyſic. 1. Statua non eſt lapis, ſed lapidea, & lectulus ligneus eſt, non lignum, quia illud quod fit ex aliquo, non ſubijcitur reſpectu illius ex quo fit, ſicut quia homo fit infirmus ex ſano, ſanus non eſt infirmus. *Tunc ſubſumo:* ſed oratio fit ex voce, & per vocem. Ergò non ſubijcitur reſpectu vocis, ergo non eſt vox, cuius tamen oppoſitum docetur in Textu. *Argum. II.*

Reſolutio.

Diſcrimen inter compoſitum ſubſtantiæ, & accidentis.

Reſpondeo. Quod ſicut docet Angelicus præceptor in lib. 2. de anima Lectione 1. Inter cõpoſitum ſubſtãtiæ & accidentis, hæc eſt differentia, quia definitio ſubſtantiæ, complectitur

 prin-

principia materialia, & formalia, quæ nō sunt extranea à definito. v.g. in definitione essētiali hominis, inuenitur animal, & rationale quæ duo non sunt extrinseca ab homine. Cæterum in definitione accidētis ponitur aliquid, quod est extra essentiā accidentis, scilicet, subiectum. v.g. dicendo, Simitas est curuitas nasi, Risibile est aptitudo hominis ad ridendum & cætera: cuius rei talis est causa, nam definitio significat quod quid est alicui' rei, & quoniam substantia est quid completum, & perfectum in sua specie & natura, sicut antea diximus, non verò accidens, quod dependet à subiecto tanquam forma subiecti, hinc est, quod sicut in omni definitione formæ materialis, ponitur aliquid, quod est extra essentiam formæ, scilicet, proprium subiectum, ita similiter in omni definitione accidentis oportet ponere substantiam, quæ est extranea ab accidente: vnde apparet quod in compositis substantialibus materia sola non est tota substantia compositorum, neque composita supponunt pro ea, quia non prædicatur de illis in recto. Composita verò per accidens, quę alias denominatiua dicuntur, ratione materiæ determinant sibi Genus Prædicamenti, v.g. Domus, & statua, sunt substātię, qualitates autem non nisi secundum quid, & ratione formæ accidentalis, & ita materia est tota eorum substantia.

Ex quo infero descendendo ad præsentem arti-

articulum, quod si accipiamus vocem, pro materia ex qua fit Oratio, Nomen, aut Terminus, neganda est semper talis affirmatiua. Oratio est vox, Nomen est vox, &c. sicut etiam negatur hæc: cathedra est lignum, vel domus est lapis & cætera: quia in huiusmodi propositionibus nõ tãtum significatur quod ex vno fiat aliud, verum etiã quod ratio vnius est ratio alterius formalissimè, hoc est, quasi ratio ligni sit ratio formalis cathedræ, & natura lapidis sit natura domus, quod tamen est contra omnem sensum: significant ergò huiusmodi entia materiam, sed non supponunt pro materia, præcisè sed tantum sub aliqua forma, hoc est, cathedra significat lignum, sed non supponit pro ligno præcisè, quod est à natura, sed prout est sub forma cathedræ, quæ fit per artem, sicut domus significat lapides, qui etiam sunt res naturales, non tamen pro lapidibus supponit præcisè, sed pro aliquo ex his, ac proindè pro re lapidea quæ per artem producitur. Et quia etiam oratio non est tota à natura, quia significatio est ab arte, nec est tota ab arte, quia vox à natura, hinc est quod oratio, non significat vocem absolutè, sed quatenus habet aliquid ad placitum, hoc est significationem, cum sit instrumentum non naturale, sed formaliter voluntarium.

Cõclusio. Si vox sumatur non pro materia ex qua fit

Oratio

Oratio, sed pro Subiecto quod denominatur ab intentione orationis concedenda est huiusmodi Propositio, Oratio est vox.

Probatur. Nã paries quando sumitur pro subiecto quod denominatur à forma albedinis, cõtinet in se totũ illud ꝙ cõtinet albũ, ergò similiter vox, sũpta pro subiecto quod denominatur ab intẽtione orationis, cõtinet implicitè totum illud quod continet oratio. Consequẽtia videtur esse manifesta, ex paritate rationis.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Minorem, sed ens rationis quo differt oratio non continetur in potestate vocis, vt vox est simpliciter, concedo Minorem: vt signum est, nego Minorem, signum autem pro formali est ens rationis vt dictum est: vnde in præsenti non definitur vox, neq; significatio orationis, quod est formale in oratione, sed vox vt stat sub significatione, est id quod definitur, sicut quãdo dicimus, Parietem album esse disgregatiuum visus, nõ definitur albedo aut paries, sed albedo vt in pariete, vel si malueris paries vt stat sub albedine.

Resp. ad II. *Ad secundum* admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Quando enim Aristoteles reijcit huiusmodi Prædicationes, statua est lapis, lectulus est lignum &c. sumitur ibi lapis & lignum pro materijs, ex quibus aliquid est, non verò pro subiectis, quæ denominantur ab aliquo

A R-

ARTICVLVS II.

Vtrum ad hoc vt partes orationis separatæ significēt res, neceſſe ſit vt res permaneant?

VIdetur quod ſic. Primò. Si partes orationis factâ mutatione circa rem quæ ſignificatur, idem prorſus ſignificāt, ergò illud quod ſignificatur, idem erit, quod tamen eſt falſum, quia de facto mutatur. *Conſequentia prob.* Nam prius ſignificabatur res exiſtens, & modo factâ mutatione, ſignificatur non exiſtens, ergò exiſtens, & non exiſtens ſunt idem, quod eſt abſurdum, verbi gratia, ſi hæc vox, homo, eandem obtinet ſignificationē manente homine, & non manente, procul dubio homo exiſtens & non exiſtens erit idem ſignificatum. *Argum. I.*

Secundò. Deſtructo vno correlatiuorum deſtruitur & aliud, ſed vox ſignificans, & res ſignificata, ſunt correlatiua: ergò deſtructâ re quæ eſt ſignatum, deſtruitur vox in quantum eſt ſignum, *Maior* videtur eſſe manifeſta ex eo quia in libris Prędicam. docuit Ariſtoteles relatiua eſſe ſimul naturâ, & vnum non exiſtere ſine alio, nec corrumpi, ſine corruptione alterius. *Minor* vero conceditur à Logicis. *Argum. II*

Tertiò. Illud quod non intelligitur, non ſignificatur: ergo quia nō ens nō intelligitur non ſignificabitur. Ergò factâ mutatione circa rem vt eſt exiſtens, erit mutatio in voce vt eſt ſigni- *Argu. III.*

significans. Antece. patet: quia significari est potentiæ cognoscitiuæ repræsentari, omne autem quod intellectui repræsentatur est ens, ac proinde res non existens nec intelligitur, nec significatur, nihil enim prohibet dari sciẽtiam de his quæ intelliguntur, de non ente verò non est scientia, sicut est Chymæra, & Hircoceruus & alia figmenta.

Resolutio. Quando res dicatur mutari.

Respondeo. Quod tunc aliqua res dicitur propriè mutari, quando acquirit formam de nouo per aliquam actionem intermediam, sicut cum paries dealbatur, & nouam acquirit albedinem, quod si aliquod subiectum incipit habere formam, non per actionem nouam distinctam ab illa actione secundum quã est productum, sed per quandam simplicem emanationem, & naturalem sequelam, tunc nõ dicitur in rigore mutari, v. g. si per impossibile impediretur Sol, ne ex ipso fluat lux quam lucem causant principia naturalia solis, tanquam veram passionem, similiter si impediretur anima rationalis, ne ex ea deriuarentur potentiæ duæ, nimirum voluntas & intellectus: tunc in hoc casu, deducto postmodum impedimento, sequeretur ex sole lux, & ex anima voluntas cum intellectu, nõ tamen propter illam receptionem huiusmodi formarũ dicetur sol aut anima mutari, quia istæ formæ non adueniunt mediâ actione, sed propter naturalem sequelam. Vnde colligitur quod quia actiones singularium sunt, nihil mutatur mediâ

diā actione præter singularia,& cum partes orationis Logicæ, scilicet Nomen & Verbum, non significent res singulares, sed tantum vniuersales vt statim probabitur, hinc est quod mutatis ipsis rebus quas partes orationis separatæ significant,non mutatur significatio vocis.

Attende ergò diligenter, quod oratio Logica constans ex nomine & verbo, non fuit primò imposita ad significandum aliquid,ratione sui, quia reuera non est præter partes, sed merito suarum partium, nominis, scilicet, & verbi significat ad placitum, & eius significatio est distincta à significatione partium, sicut complexio plurium vocum significatiuarum, quæ sub vnica significatione vniuntur, alia est à qualibet voce seorsum significante, vnde si dares talem casum, in quo deponeretur aliqua pars orationis à propria significatione, procul dubio causaretur consequenter totius orationis significatio, verbi gratia. Hoc nomen, habitus monasticus, significat vestem quæ cedit in vsum alicuius monachi, vbi exprimuntur partium significationes, at vero si deponeretur hæc vox,habitus à propria significatione, & supponeret pro equo vel pariete, tunc complexum illud, non significaret id quod modò significat. NOTA.

Conclusio. Factâ mutatione circa rem secundum quod existit, non sequitur mutatio in significatione vocis

vocis, & consequenter quantumuis mutetur Petrus, qui est indiuiduum hominis, aut albedo, quæ est species coloris, tamen hæc vox, Petrus, significabit indiuiduum hominis; & albedo speciem coloris.

Probatur hoc: Res non significatur per vocem vt existit, sed solum quatenus intelligitur per speciem, ergò quantumuis mutetur res existens, non mutatur significatio vocis, hoc est, nominis & verbi. Antecedens est Aristotelis in cap. 1. in hoc libro, vbi docuit ea quæ sunt in voce, esse signa earum quæ sunt in intellectu passionum, hoc est, cōceptuum. *Consequentia verò probatur*; Nam per eandem speciem cognoscimus naturam rei quando illa res existit, & quando non existit. Ergò per eandem vocem significatur res existens & non existens: ergò factâ mutatione circa rem quatenus existit, non sequitur mutatio in voce, quatenus significat.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*: distinguo consequentiam, ergò illud quod significatur erit idem, in quantum est significatum, concedo consequentiam: absolutè & prout est res, nego consequentiam, non enim prius significabatur res existens, vel non existens, sed tantum res quæ intelligitur, cui extraneum est, existere & non existere, abstrahit enim intellectus ab existentia & particularitate.

Resp. ad II *Ad secundum* concedo totum, sed non est ad propositum dubii, supponit enim argumentum quod res significata per vocem, sit res existens,

istens, quod ego nõ admittam; quia cũ significare sit ens rationis formalissimè, conuenit rei existenti; per rationem, & in ratione, atque adeò conuenit rei non existenti; sed abstractæ ab existentia, quæ sic abstracta significatur intelligitur, & non definitur.

Ad Tertium distinguo consequentiam primam, ergò quia non ens, non intelligitur non significabitur, sumendo non ens quantum ad essentiam, concedo consequentiam; quantum ad existentiam, nego consequentiam. *Resp ad III.*

Sed aduerte quod occasione huius argumẽti offert se hic difficultas non spernenda de significatione vocum quæ nullam rem repræsẽtant, v.g. Chymera, Blytiri, quonam pacto huiusmodi voces significent, cùm sint signa rerum penitus non existentium. In quo dubio grauissimi Doctores Hispani nonnunquam desudarũt, vti est Dominic⁹ Soto in li. 1. Summularum cap. secundo. Lectione 2. in solutione ad primum, & Gaspar de Corduba totius Bethicæ lumen clarissimũ in suis manuscriptis quæ passim circumferuntur & alij. In quorum sententiæ fauorem asserendum est quod hæc vox Blytiri non exprimit nec significat conceptum, alias enim si significaret etiam se prout est in conceptu significaret, quia res in conceptu, & conceptus rei, idem sunt. Est igitur Blytiri quoddã indicium per quod cõijcimus quod loquẽs formauit conceptum, sed non est signum conceptus.

ARTICVLVS III.

Vtrum æquiuocatio reperiatur in mẽte vltimata per absolutam Dei potentiam adeò vt ibi ſint aliquando conceptus repræſentatiui plurium?

Argum. I. VIdetur quod ſic. Primò. Conceptus hominis abſolutè loquendo ſignificat homines viuos & pictos. Sed non poteſt illos ſignificare vniuocè ſicut & ipſa vox homo, ergo æquiuocè, ergo dabitur æquiuocatio in mente vltimata, hoc eſt, in conceptibus. *Maior probatur*, nam conceptus hominis eſt ſimilitudo naturalis hominum viuorum, ſed picti ſunt ſimiles viuis, ergò etiam erit ſimilitudo pictorum, quæcunque enim ſunt vni tertio ſimilia, ſunt inter ſe ſimilia.

Argum. II *Secundò*. Poſſunt eſſe multæ ſpecies ſimul in intellectu angelico, ergò poterit Angelus habere ſimul conceptus plurium vt ſic. Cõſequentia eſt manifeſta, nam res cognita vltimatè in ſuo conceptu, præſupponit ſpeciem intelligibilem ſui ipſius in intellectu, ac proindè vbi cõcurrunt ſimul plures ſpecies rerum, ad eundem intellectum, concurrunt etiã plures conceptus, vt patet. *Antecedens verò probatur*, nam Angelus cognoſcit ſe per ſuam eſſentiam, & deinde alias res per ſpecies rerũ, & inſuper cognoſcit Deum viſione beatâ per ipſam diuinam eſſentiam, ergò multas ſimul habet ſpecies in intellectu.

Argu. III. *Tertiò*. Quælibet oratio cõſtat ex nomine & ver-

verbo, ergò conceptus orationis non potest formari sine conceptu nominis & verbi, Ergò possunt esse simul in intellectu conceptus repræsentatiui plurium, vt sic: consequētia prima prob. nam posito conceptu cōplexo alicujus orationis, non sequitur tunc corrumpi aut desinere esse, cōceptum nominis & conceptum verbi, quia alias oratio non esset quid complexum.

Respondeo. Quod sicut benè docet M. Ferariensis libro primo contra Gentes capit. 55. omnis operatio & presertim immanēs dicitur esse vna, quando est vnum obiectum, & vna species siue forma quæ est operandi principium, v. g. tunc est vna visio, quando & species coloris recepta in visu est vna, & similiter quando est vnum visibile, quod adeò certum est vt etiam impossibile sit imaginari aliquam operationem esse vnam cuius vnitatis non sint hæc principia. Cum enim operatio quælibet procedat ab agente ad obiectum vel terminum, & his duobus veluti quibusdam cancellis definiatur, hinc est, quod ex eodem principio petere debemus rationem vnius, vnde habet rationem entis, hoc est, operationis, quocirca sicut potentia visiua non apprehendit simul plura colorata nisi cōueniant in specie vnius coloris, ita nec intellectus apprehendit vnico actu plura entia, quæ non communicant in vna ratione entis, verbi gratia, quando intellectus meus concipit

Resolutio.

Vnitas operationis sumitur ab vnitate obiecti.

differentia, vt pote hominem, equum, &c. tunc quamuis ea quæ differunt sint plura, hoc est, equus, & homo: attamen ratio differentiæ vnius ab altero, existens in intellectu vna est, intellectus enim cognoscendo hominem per speciem hominis, quâ non intelligitur equus, & præterea cognoscendo equum per speciem equi, quâ non intelligitur homo; postmodum format similitudinem differentiæ inter hominem & equum, & ita licet homo & equus vt repræsentantur per proprias species sint multa obiecta, tamen ratio differentiæ vtriusque adinuicem vnã habet Speciem, & per consequens multa erunt intellecta, sed sub vnius ratione.

Prima conclusio. Impossibile est, per absolutã Dei potentiam, reperiri æquiuocationem in mente.

Probatur. Tunc solum daretur talis æquiuocatio, quando conceptus aliquis significaret plura per modum plurium, & non quatenus in aliqua ratione conueniunt: sed hoc manifestã inuoluit cõtradictionem. Ergò impossibile est reperiri æquiuocationem in mente vltimata per Dei potentiam. *Minor prob.* Conceptus noster nihil aliud repræsentat præter id quod continetur quasi in actu primo in specie impressa, sed nunquam dantur plures species simul & semel in intellectu: quia impossibile est, idem subiectum perfici simul pluribus formis vnius generis & diuersarum specierum, verbi gratia, impossibile est quod idem

idem corpus secundum idem simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris: quæcunque verò intellectus per diuersas species intelligit, non simul intelligit nec eodem conceptu, vt optimè aduertit Angelicus Præceptor in prima parte quæstione 83. articulus 4. in corpore: ergò implicat contradictionem, vt idem conceptus significet plura per modum plurium.

Secunda conclusio. Non tamen repugnat vt aliquis intellectus cognoscat plura per modum vnius.

Probatur. Supponendo inprimis, ex S. Thoma in p. p. q. 58. art. 7. in respõsione ad 2. nimirũ quod operationes duæ possunt esse simul in vna potentia, quarum vna refertur ad aliã, vt patet, quando voluntas alicuius hominis vult finem, & ea quæ sunt ad finem, similiter intellectus cognoscit Principia & Conclusiones per Principia, quando iam acquisiuit scientiam, vbi enim vnum est ratio alterius, ibi quodammodò est vnum, sicut color & lumen est vnum visibile, quia lumen est ratio, propter quam color videtur. *Hoc igitur supposito, argumentor* sic pro Conclusione, ad mentem Angelici Præceptoris. Quoties vnum est alterius ratio ibi censetur esse quodammodò vnum: sed contingit multoties quod in intellectu nostro, cognitio vnius est ratio cognoscendi alterum. Ergò non repugnat, quod intellectus noster cognoscat plura per modum vnius. *Minor prob.* Nam etiã

vsus vnius speciei impressæ est ratio ob quam vtimur alia.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego Maiorem. Ad cuius probationem nego consequentiam, Conceptus enim hominis repræsentans hominem viuum non est naturalis similitudo hominis picti, quia picti non sunt similes viuis in natura, licet etiam possit concedi, quod conceptus hominis viui significat pictos non seipso formaliter, sed mediante similitudine & conceptu naturali pictorum.

Resp. ad II. *Ad secundum.* Distinguo antecedens, possunt esse multæ species simul in intellectu angelico, in quantum sunt multæ, nego antecedens, prout habent aliquam vnitatem & ordinem perfectionalem, concedo antecedens, sicut contingit in proposito.

Resp ad III. *Ad tertium.* Distinguo consequentiam primam. Ergo conceptus orationis non potest formari sine conceptu nominis & verbi, sine conceptu confuso, concedo consequentiam: sine distincto, nego consequentiam: nam partes prout sunt in toto habent quandam confusionem, & cognoscuntur simul per vnam formam totius, omne enim totum constat ex partibus, at verò quãdo cognoscitur quælibet pars per suã speciẽ, & per suũ conceptũ distinctè cognoscitur, sed hoc modo partes nõ simul cognoscuntur, vt est manifestum.

A R-

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Propositione sit veritas tanquam in subiecto?

VIdetur quod sic. *Primò.* Nihil denominatur esse tale ab aliqua forma cuius non est subiectum: sed Propositio siue enunciatiua oratio, prout est conformis intellectui, dicitur esse vera, ergò est veritatis alicuius subiectum. Maior videtur esse manifesta sensui, quia homo non rectè appellatur calidus à calore existente solummodò in igne tanquam in subiecto, nec albus ab albedine quæ existit in pariete. Minor verò est ipsius Aristotelis in Textu Conclusione secundâ. *Argum. I.*

Secundò. Si ex eo censetur esse aliqua oratio vera quia nimirum repræsentat veritatem, quam non habet, ergò falsò repræsentat, ergò oratio vera est falsa, quod implicat. *Consequentia prima probatur*: per te repræsentat veritatem cuius non est subiectum, ergò illã quã non habet, si enim habet, & nõ habet per essẽtiam (nam alias de natura propositionis esset veritas, quod tamen est falsum) vtique erit illius subiectum, sicut homo, quia nõ est essentialis albedo, est subiectum albedinis, ad hoc vt sit albus, & ignis quia non est essentialis calor, subiicitur calori, ad hoc vt sit calidus &c. *Argum. II.*

Respondeo. Quod sicut Metaphysicus secundum diuersa cognita multiplicat cognitiones, nam prout cognoscit Principia, dicitur habere intellectum, & prout cognoscit conclu- *Resolutio.*

ſiones, habet ſcientiam: quatenus verò attingit cauſam altiſſimam, dicitur eſſe ſapiens: inſuper quando agibilia cognoſcit, vel potius rationes agibilium, habet Prudentiā: ita ſimiliter Logicus propter diuerſum modum quo Propoſitiones ſolet accipere, diuerſificat earum rationes, vt benè aduertit Cardinalis Toletus cap. 4. q. 2. ſuper hunc Librum. Vna enim eademque Propoſitio quatenus verum aut falſum ſignificat, eſt oratio: quatenus exprimit & manifeſtat conceptum alicuius rei, eſt enũciatio vel interpretatio: prout ingreditur ſyllogiſmum & conſtituit præmiſſam eſt propoſitio: prout probatur ex præmiſſis, concluſio, ſub dubio relicta, quæſtio, præſertim ſi eſt neceſſaria, ſi verò probabilis fuerit, ſicut hæc: vtrum pax ſit potior bello. vtrum vxor ſit ducenda nec ne? Problema, & multis alijs modis ſumi conſueuit. Sed nobis in Præſenti dubio, idem ſignificat Propoſitio quod enunciatiua oratio, in qua aliquid dicitur de aliquo.

Diuerſa acceptio propoſitionum diuerſificat eiuſdem rationes.

Quid ſit Veritas.

Aduerte igitur: quod ſecundum communem Scholaſticorum ſententiam, veritas formalis nihil aliud eſt, niſi conformitas rei ad intellectum non in eſſendo, quia inter intellectum & res quę cognoſcuntur ab intellectu, maxima interuenit naturæ diſtantia, vtpote quia res quæ cognoſcuntur ſunt ſubſtantiales ſępenumero, intellectus verò eſt accidens animæ, pręterea res quę cognoſcũtur, multoties ſunt

cor-

corporeæ & materiales, ac proinde corruptioni obnoxiæ, quod tamen nullâ ratione conuenit intellectui. Est igitur prædicta conformitas rei ad intellectum in repræsentando, secundum quam res eandem formam habet vt in se est, quam habet vt est in conceptu, verbi gratia, idcircò verum est dicere, quod homo sit animal, quia forma animalis conueniens homini extra intellectum, non est alia à seipsa prout conuenit homini in intellectu, licet sub modo diuerso, quod tamẽ nõ obstat. Et vt clarius dixerim, veritas formalis, nihil aliud est, nisi adæquatio & respectus rationis consequens rem, prout est in intellectu ad seipsum vt est extra intellectum, nam si ita cognoscitur vt existit, resultat prædicta relatio rationis, hoc est veritas. Cum hoc tamen stat, quod si intellectus & res omninò æquantur & omninò sunt similia, tunc relatio huiusmodi, consequitur ex parte vtriusque extremi, adeò vt nec dicitur solum obiectum esse verum, quia assimilatur intellectui, nec solus intellectus verus quia concipit obiectum vt in se est, sed vtrumque simul. Quod si vnum extremum ab altero dependet, tunc in eo consequitur prædicta relatio & conformitas quod dependet siue sit dependentia rei quæ concipitur, siue conceptus à re: Volo dicere, quod quando res quæ intelligitur est mensura & regula intellectus, tunc veritas consistit in hoc, quia nimirum intellectus adæquatur rei, & talis est ve-

In quo cõformitas veritatis ad intellectum consistat.

ritas intellectus speculatiui, de qua currit illud Aristotelicũ. Ab eo quod res est vel nõ est, oratio dicitur vera vel falsa: non enim ideò res est hoc vel illo modo, quia intellectus speculatur illam esse, sed è contra, verbi gratia, non ideò verum est dicere quod homo sit corporeus aut paries albus, quia intellectus considerat in homine formam corporis, & in pariete formam albedinis, sed è cõuerso, res quęlibet est mensura ipsius intellectus speculatiui. Aliud tamen est iudicium de intellectu practico qui est regula sui obiecti: nam veritas in hac consideratione, consequitur ad rem prout dependet ab intellectu & adęquatur intellectui, v.g. Domus tunc dicitur esse vera & perfecta, quando assequitur similitudinem formæ quæ existit in mente Artificis, & quælibet etiam res naturalis est vera, hoc est, verus homo, vera rosa &c. quando retinet similitudinem suæ naturæ, quæ est in mente diuina.

In quo consistat veritas intellectus practici.

Prima conclusio. Nullius rei natura est formaliter veritas, sed tantum denominatiuè.

Probatur. Illud in quo est veritas formalis, omni alio circumscripto denominatur verũ, sicut si Petrus habet in se calorem, omni alio circumscripto dicitur calidus, sed positâ solâ entitate & naturâ rei, & omni alio circumscripto, nondum res denominatur vera, ergò natura rei non est formalis veritas. *Minor probatur*: Nam si res per suã entitatem & naturam deno-

denominatur vera, ergò aliquando huiusmodi veritas erit subsistens realiter, præsertim si fuerit natura substantialis, quod tamen nemo hactenus concessit.

Secunda conclusio. Veritas formalis, quæ est adæquatio & respectus rationis, consequens rem prout est extra ad seipsam vt est in intellectu, nullibi est subiectiuè sed solum obijcitur intellectui.

Probatur Ex Magistro Soncinnate lib.6. Metaph.q. 17. Purum ens rationis distinctum ab ente reali, non est alicubi tanquam in subiecto: sed veritas formaliter considerata, est quidam respectus rationis rei ad extra ad seipsam prout est in intellectu, & per consequẽs est purum ens rationis distinctum ab ente reali, ergò veritas formalis non est in aliquo tanquam in subiecto, Ergò obijcitur solum intellectui sicut reliqua entia rationis.

Tertia conclusio. Oratio enunciatiua quæ est intellectui conformis, est solum repræsentatiuè vera.

Probatur. Illud est repræsentatiuè verum, cuius veritas ponitur & remouetur ad positionem & remotionẽ obiecti: sed quælibet Propositio conformis intellectui est huiusmodi, ergò est repræsentatiuè vera. Minor patet ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum: distinguo Minorem, sed propositio siue enunciatiua oratio, prout est conformis intellectui, dicitur esse vera, denominatiuè, nego Minorem: repręsentatiuè, concedo Minorem. Secundò potest respon- *Resp. ad I.*

responderi & melius, negando Maiorem, cuius probatio non concludit vniuersaliter, nam etiam Deus realiter dicitur Dominus, & realiter creator, quamuis relatio Dominij non sit realis in Deo, similiter columna dicitur realiter dextra, etiamsi dextreitas in illa non sit aliquid reale tanquam in subiecto, hęc responsio adhibetur à Magistro Herrera in p.p.q.28. A.2. dub. 2. & 3. prout communiter circumfertur in manuscriptis.

Resp. ad II. *Ad secũndum*, distinguo consequentiam primam, Ergò repræsentat veritatem quam non habet, tanquam subiectum, cõcedo consequẽtiam, quam non habet vt signum, nego consequ. Ad cuius probationem *Dico*: quod est aliquid medium inter hoc, quod est habere aliquid per essentiam, & habere per modum subiecti, nimirum habere per modum signi, vt patet.

ARTICVLVS V.

Vtrum veritas quam significat Propositio, sit æqualis latitudinis in omni propositione, ita quod vna non sit verior altera?

Argum. I. V*Idetur quod sic. Primò.* Veritas pręmissarum in demonstratione potissima, est causa veritatis conclusionis, ergò vtraque veritas est æqualis. Antecedens est Aristotelis in lib. 1. Posterior. cap. 2. vbi docet demonstrationem à priori

priori constare ex præmissis veris, primis, immediatis, & causis, vt postea dicemus. *Conseq. verò probatur.* Quælibet causa non impedita producit effectum sibi æqualem, ignis enim ignem generat, & homo hominem: sed admittimus veram esse conclusionem demonstratiuam, ex eo quia sunt principia vera, ergò habent veritatem æqualem.

Secundò. Necessitas vnius rei non potest esse maior necessitate alterius; nec possibilitas alterius possibilitate, hæc enim non suscipiunt magis & minus; ergo etiam veritas vnius Propositionis non potest esse maior, quam sit veritas alterius. Consquentia videtur esse manifesta, ex eo quia non est maior ratio de vno quam de altero. *Argum. II*

Respondeo. Quod latitudo in communi considerata, nihil aliud est, nisi dimensio quædam alicuius entis, & est duplex: quædã enim est extensiua, quæ alio nomine appellatur superficies, cuius extremitates sunt duæ lineæ, & alia intensiua siue virtualis quę attenditur secundum perfectiones alicuius rei, verbi gratia, si aliquis fingeret superficiem cuius vna extremitas, hoc est, linea, inciperet fluere in latitudinem ab hinc vsque in mare, tunc in tali casu, tantam extensionem habebit superficies quanta erit distantia ab hac linea vsque ad alteram quæ est in mari, etsi in mille leucas permittas fluere lineam, tantundem numerabis eius extensionem, propterea quia excessus in lati- *Resolutio. Duplex latitudo, quæ sit latitudo extensiua.*

latitudine extensiuâ attenditur penes maiorem vel minorem distantiam terminorum, vt patet: cæterum excessus in latitudine intensiua, desumitur à maiori vel minori perfectione, vndè sumendo albedinem niuis quę habet tantum gradum vt duo, & similiter albedinem parietis eiusdem mensuræ, constat apertè has albedines ęqualem simpliciter extensionem habere, licet albedo in niue magis sit intensa, quam albedo in pariete, quia perfectior est albedine parietis.

Quare vna propositio dicatur verior altera.

De hac igitur latitudine intensiua loquendo, oportet omnino concedere, quod veritas non eandem habet latitudinem in omni Propositione, quæ est intellectui conformis, sed vna verior est alterâ, non quod veritas suscipiat magis & minus secundum se & formaliter, consistit enim in indiuisibili, nec habet medium respectu falsitatis (nam hominem esse animal est verum, non magis pro vno tempore, quam pro altero, nec magis dum homo est, quam si non esset) sed quia datur aliqua Propositio, quæ habet plures causas suæ veritatis quam altera, & consequenter cuius entitatis sunt plures causæ, v.g. Petrum esse animal verius est, quam Petrum esse substantiam; ex eo quia plures causæ cõcurrũt, ad hoc vt probetur ipsũ animal esse, q̃ vt probetur esse substantiam, si enim est ens per se completum & perfectum, est substãtia: sed si est animal, debet esse substantia, corporea, animalia, sensibilis.

Præ-

Præterea Petrum esse hominem, verius est quam Petrum esse corporeum, quia si corporeus est, est ens per se completum, & perfectum, quod subijcitur trinæ dimensioni, at si est homo, est substantia, animata, sensibilis, rationalis, & sic de alijs Prædicamentis est iudicandum. Neque in hoc passu volo docere, plures formas inueniri in eodẽ subiecto Propositionis quæ magis est vera, & pauciores in alia Propositione: nã hæc alterius sunt negotij, & excedunt considerationem Logicam, vt postea Deo iuuante dicemus. Interim vide S. Thomam cum suo Commentatore p.p.q.76. A.4. Ferariensem lib.2. contra Gentes c.58. & Soncinnatem 8. Methap. qu.12.

Conclusio. Non tantum in processu demõstratiuo, verum etiam absolutè & simpliciter, vna Propositio magis debet esse vera quam alia.

Probatur prima pars authoritate Aristotelis lib.1. Poster. cap.2. qui dicit quod his propter quæ alijs credimus magis credimus, semper enim illud est tale magis, ob quod vnũquodque est tale, veluti magis id est dilectũ & amatum, cuius causa amamus, atq; diligimus, tunc sic argumẽtor: ideò ꝑ Aristot. cõclusio demõstratiua est vera quia præmissę sunt notiores cõclusione, atq; adeò sunt magis verę, ergò in processu demõstratiua veritas Pręmissarũ magis est intensa secundum perfectionem quam sit conclusio vera.

Secunda verò pars sic potest ostẽdi, absolutè loquendo Deũ esse magis est necessariũ, quam

hominem viuere, aut animal esse, sicut Deum esse perfectum, verius est, quam me nunc discurrere, quia illud est istius causa, ergò absolutè non sunt æqualis latitudinis omnes propositiones, sed vna verior est alterâ.

Resp. ad I. *Ad Primum igitur dicendum*, nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo Maiorem: quælibet causa non impedita producit effectum sibi æqualē, si est vniuoca, concedo Maiorem: æquiuoca, nego Maiorē, Deus enim non producit per creationē aliquem Deum; nec sol generat solem &c. & quia cognitio præmissarum est alterius speciei à cognitione conclusionis; quia illa est immediatè euidens ex terminis, conclusio autem habet aliquam causam suę veritatis & euidentię, idcircò non currit argumentum; sed de hoc in lib. Post.

Resp. ad II. *Ad secundum*, distinguo anteced. necessitas vnius rei non potest esse maior necessitate alterius, si intelligas ad eum sensum quod ratio necessitatis non magis conuenit vni, quam alteri, concedo antec: eatenus enim dicitur in indiuisibili consistere. Si verò intelligas ad eũ sensum, quod vna res non habet maiorem & potiorem causam suæ necessitatis quam altera, nego anteced. Nam Deum esse magis est necessarium, quam hominem esse animal, & præmissæ demonstrationis magis sunt necessariæ, quam conclusio, vt optimè declarat Dominicus Soto li. 2. Summularum ca. 5. Lectione vnica, Notando 5.

AR-

ARTICVLVS VI.

Vtrum oppositio contradictoria sit maxima?

V*Idetur quod nõ. Primò* Diuersitas est quodam genus oppositionis, sed ad contradictionem minor requiritur distantia seu diuersitas quam ad alias species. Ergò est ibi minima oppositio. *Minor prob.* Illa quæ sic ordināntur vt nullo prorsus iungātur medio, minimè distant abinuicem, sed ens & non ens, affirmatio & negatio, quæ sunt cõtradictoria nullum habent medium, sicut punctus & linea, tempus & instans &c. Ergò nullam habēt distantiam. **Argum. I.**

Secundò. Oppositio contraria includit contradictoriam, ergò non est minor quam contradictoria. *Consequentia prob.* Nam si includit, ergò illam infert, sicut etiam in simili, homo infert animal, & animal corpus, dicendo, homo est, ergò est animal: præterea animal est, ergò est corpus, sed ex minori oppositione non infertur maior, ergò oppositio contradictoria non est maior quam contraria. **Argum. II**

Tertiò. Oppositio cõtradictoria potest fundari super his quæ solâ ratione distinguuntur, vt homo est species, & homo non est species & cætera: sed ad alias opppositiones non sufficit hæc sola diuersitas, ergò oppositio contradictoria nõ est maxima oppositio. *Minor probatur.* Nam ad oppositionem rela- **Argu. III.**

tiuam, contrariam, & priuatiuam, requiritur omninò diuersitas realis inter extrema vt patet, neque enim aliquid relatiuè dicitur ad se ipsum, sed ad aliquid aliud, neque priuatio formæ in subiecto apto habere illam, est idem quod forma, neque insuper albedo & nigredo, virtus & vitium, quæ sunt realiter contraria, possunt in idem coincidere.

Resolutio. *Respondeo.* Quod nomine oppositionis, non debet in hoc loco intelligi repugnantia duarum qualitatum realium, quæ non compatiuntur simul in eodem subiecto, qualis reperitur inter calorem & frigus, nam hæc est oppositio rerum, sed accipitur pro repugnantia duorum terminorum, qui verè & affirmatiuè de eodem respectu eiusdem verificari non possunt, verbi gratia, sedere & non sedere, &c.

Quomodo oppositio hic accipienda sit.

NOTA. *Aduerte igitur:* quod si huiusmodi contradictio sumatur materialiter, pro ipsis videlicet rebus de quibus affirmatio & negatio dicitur, verbi gratia, Petrus est magnus: Petrus non est magnus, &c. tunc non requiritur tanta diuersitas inter extrema realia oppositionis contradictoriæ sicut fieri solet in alia specie oppositionis contrariæ, aut relatiuæ, & ratio est, quia affirmatio & negatio materialiter sumpta, possunt inesse eidem, si illud secundum rationes diuersas consideretur, secundum quarum vnam fundat affirmationem, & negationem secundum alteram, v. g. in puncto duplex

Contradictionis duplex acceptio.

Materialiter accepta.

duplex est ratio, videlicet finis & principij; nam ex comparatione ad lineam posteriorem, dicitur principiũ & non finis, ad priorem autem, est finis & nõ principium, & ita esse principium & non esse, finem esse & non esse, de eodem verificantur. Cæterum contradictio formaliter accepta, est ipsa negatio & affirmatio, in ratione affirmationis & negationis, siue quod idem est, in ratione entis & non entis formalissimè, verbi gratia, quando ego dico, homo est lapis; designo formaliter ens, sed homo non est lapis, nõ ens formaliter: Et hoc modo sumpta contradictio, inuenitur in oppositis quacunque oppositione, & in illis quæ aliquâ ratione distinguuntur ab inuicẽ, vbi enim est distinctio vnius ab altero, oportet inueniri distantiam affirmationis & negationis, & illa quæ secundum nullam affirmationem & negationem differunt, idem sunt: quocirca sicut omne prædicatum postquam descendit ad suũ inferius, amittit illã communitatem & indeterminationem, propter aduentum differentiæ, per quam contrahitur: ita similiter contradictio prout est limitata ad aliam speciem oppositionis non est maxima repugnantia, sed habet latitudinem iuxta exigentiam illius speciei, omnis enim oppositio continet affirmationis & negationis repugnantiam, & aliquid addit: sed illud additum non auget contradictionem sed minuit, vnde

Contradictio formaliter accepta.

concludunt Theologi & benè, quod licet in diuinis reperiatur de facto contradictio quæ consistit in affirmatione & negatione concomitante personas distinctas (nam pater non est filius nec è contra, sed est Pater filij) illa tamen non adęquat omnem latitudinem contradictionis formaliter sumptæ, nec est maxima distinctio, quia non est affirmatio & negatio, in ratione absoluta sed limitata ad relatiuam quæ minima est vt patet.

Conclusio. Oppositio contradictoria sumpta formaliter, est maxima oppositio.

Probatur. Supponendo inprimis quod omne agens creatum producēdo sibi effectum similem, supponit aliquid ante illius effectus productionem, non in actu, nam alias ignis disponeret tabulam mediante calefactione ad ignem quem habet, & homo ageret ad productionem hominis iam producti, quod implicat: sed in potentia, adeò vt quo minor potentia fuerit in passo ad recipiendam formā ab agente, eò maior virtus agentis requiritur, & inde est, quod nihil creatum potest creare, aut esse instrumentum Dei creantis, cum hoc excedat virtutem ipsius finitam vt docet Angelicus Præceptor in p.p.q.45.arti.5. Si enim educere formam ex subiecta materia, est aliqua virtus, & educere de materia remotiori & magis distanti, est maior virtus, procul dubio educere nō ex materia, & nullo pręsupposito subiecto, arguit infinitam virtutem, quæ enim

enim eſt proportio inter nullam potentiam, & aliquam potentiam, quam præſupponit virtus finita agentis? ſic autem in artificialibus vna ars cenſetur eſſe aliâ perfectior, quantò ex materia minus conformi elicit formam, & ſcientia ſpeculatiua præſtantior eſt, quam practica, quia conſiderat res abſtractas aliqualiter à materia.

Hoc igitur ſuppoſito ſic argumentor pro concluſione. Extrema contradictionis magis diſtant quam cuiuſcunque alterius ſpeciei, ergò cõtradictio formaliter eſt maxima oppoſitio. *Conſequentia* eſt manifeſta ex eo, quia oppoſito in præſenti importat repugnantiam terminorum, ac proinde vbi eſt maxima diſtãtia, maxima erit oppoſitio. *Antecedens* verò probatur: extrema contradictionis diſtant in infinitum, quia non poteſt imaginari maior diſtantia, quam ſit inter ens & non ens, & in alijs oppoſitionibus eſt ens aliquo modo finitum, ergò maximè diſtant.

Ad primum igitur dicendum diſtinguo Minorem, ſed ad contradictionem minor requiritur diuerſitas, ſi ſumatur cõtradictio materialiter, pro his ſcilicet, de quibus dicitur affirmatio & negatio, concedo Minorẽ, hoc enim nihil eſt aliud, niſi quod contradictio poteſt fundari ſuper illis entibus, quæ minimam habent diſtantiam, ſi verò ſumatur contradictio formaliter & ſecundũ ſe; nego Minorem, nec eius probatio quidquam concludit, nam ſi *Reſp. ad I.*

fiat

fiat lis in verbo, illa potius magis distant, inter quæ non est medium, sicut maior est repugnantia inter sanum & ægrum, quam inter albedinem & nigredinem, inter quæ duo sunt medij colores, in quibus poterunt coniungi, sed sanitas & ægritudo non habēt medium, & multo magis ens & non ens.

Resp. ad II *Ad secundum* nego consequentiam, ad cuius probationem nego Minorem, potest enim minor oppositio inferre maiorē, sicut in exēplo, ex distinctione specifica aliquorū abinuicem, potest inferri distinctio differentiarū, vt puta ex eo quia homo distinguitur specie ab equo, benè infertur aliā esse differētiā essētialē hominis, & aliam equi, & tamen in hoc casu nō est negandum quin differentię magis sint diuersæ quam species, sunt enim in omni genere primò diuersæ.

Resp. ad III. *Ad Tertium.* Distinguo consequentiam. Ergò oppositio contradictoria, non est maxima oppositio, si sumatur formaliter, nego consequentiā: materialiter pro ipsis videlicet rebus, concedo conseq. vt dictum est.

ARTICVLVS VII.

Vtrum illa quæ opponuntur contradictoriè possint esse simul vera in aliqua materia?

Argum. I VIdetur quod sic. *Primò.* Istæ propositiones sunt contradictoriæ, omne animal fuit in arca Noē; quoddam animal nō fuit in arca

Noē

Noe & tamen ſunt ſimul veræ, ergò oppoſitũ non eſt aſſerẽdum. Minor prob. Nã dato quod cuiuslibet ſpeciei animalis aliquod indiuiduum fuit in arca Noe, tunc affirmatiua eſt vera, & negatiua probatur eſſe vera, hoc modo. Ariſtot. eſt aliquod animal, qui tamen non fuit in arca Noe, ergò verè aliquod animal non fuit in arca Noe.

Secundò. Accipio has contradictorias. Ioannes diſputat, Ioannes non diſputat, & ſic argumentor, probando quod poſſunt eſſe ſimul veræ: Prima propoſitio, ſcilicet Ioannes diſputat, nunc poteſt eſſe vera, ſimiliter ſecunda, Ioannes nõ diſputat, nunc poteſt eſſe vera, ergo poſſunt eſſe ſimul veræ. *Argum. II.*

Tertiò. In corruptione alicuius rei idem, eſt ſimul & non eſt, ergò eidem ſimul conuenit eſſe & non eſſe: ſed hæc contradicũt, ergò in aliqua materia quælibet pars contradictionis poterit eſſe vera. Maior prob. Nam in corruptione res eſt, quia corrumpitur, nihili enim non eſt corruptio, ſed entis: deindè non eſt, quia dicitur corrupta, alias enim corrumperetur aliquid iã corruptum quod implicat. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod in hac difficultate nomine materiæ non intelligitur ſubiectum quod exiſtit in potentia ad aliquam formam ex quo fit aliquid per mutationem, hęc enim eſt materia phyſica, ſed potius intelligitur habitudo ſiue reſpectus prædicati ad ſubiectum qui reſpectus habet rationem cuiuſ- *Reſolutio.* *Quomodo ly materia in quæſtione hac accipiatur.*

cuiuſdam formæ,& pro diuerſitate illius variatur materia Propoſitionis. Aut enim illud Prædicatum dicitur de ſubiecto tanquã pertinẽs ad eſſentiam ſubiecti, & ſic eſt propoſitio in materia neceſſaria. v. g. homo eſt animal, corpus eſt ſubſtantia &c. aut eſt accidens ſubiecti tanquam impertinens ad illius naturam, & ſic conſtituit materiam contingentem, v. g. paries eſt albus. Franciſcus eſt doctus &c. aut inſuper repugnat ſubiecto, ſicut homo eſt lapis, equus eſt rationalis &c. & hoc pacto cõſtituit materiam remotam propoſitionis.

Quid ad contradictionem requiratur.

Aduerte igitur, quod ad hoc vt aliquid dicatur alteri contradictorium, debet ſumi ſecundum idẽ, adeò vt ſi in vna Propoſitione affirmetur Prædicatum de aliquo ſecundum vnam rationem & in altera negetur ſecũdum alteram, nulla ibi erit contradictio, v. g. Iſtæ Propoſitiones non contradicunt, Æthiops eſt albus ſecundũ dentes, & Æthiops non eſt albus ſimpliciter.

Præterea debet ſumi Prædicatum reſpectu eiuſdem, v. g. Franciſcus reſpectu montis, minor eſt, ſed comparatiuè ad infantem maior, in quo caſu, Franciſcus eſt paruus, & Franciſcus non eſt paruus, non contradicunt.

Inſuper neceſſariũ eſt vt eodẽ modo accipiatur terminus qui eſt loco Prædicati in vtraque propoſitione, nam propter hanc cauſam iſtæ propoſitiones nõ opponuntur hac ſpecie, cælum mouetur, intelligendo circulariter, &

cælum

cælum non mouetur, deorsum: similiter Petrus currit,& Petrus non currit, intelligendo quod hodie currit & heri non cucurrit: cum hoc tamen stat quod oppositio inter aliquas propositiones, siue fuerit contradictoria, siue contraria &c. non excludit alias propositiones quæ sunt in simili forma,adeò vt sicut lex contrariarum talis est,quod si vna est vera, altera sit falsa,ita etiam reliquæ propositiones in simili forma,debent hoc ipsum habere,quamuis modo diuerso: nam contrarias simul esse veras repugnat, non tamen simul esse falsas, verbi gratia, istæ Propositiones, Omnis homo est animal. Nullus homo est animal, habent legem contrariam,& licet secundum se non possint esse falsæ,tamen benè poterunt esse in simili forma præsertim in materia contingēti secundum quam prædicatum nec omni supposito conuenit, nec ab omni remouetur, dicendo, omnis homo est iustus, nullus homo est iustus. Deindè subcontrariæ nunquam possunt esse simul falsæ, verbi gratia, quidam homo est animal,quidam homo non est animal,licet possint esse simul veræ in simili forma præsertim in materia contingenti, dicendo. Quidam homo est iustus,quidā homo nō est iustus. Sed de contradictorijs, sit

Conclusio. Non dantur contradictoriæ in aliqua materia simul veræ aut simul falsæ.

Probatur. Impossibile est idem secundū eandē rationem simul esse & non esse: sed contradi-

ctoria in omni materia important idem inesse & idem vniuersaliter non inesse, ergò in omni materia non possunt esse simul vera, & sic repugnare in veritate & falsitate per se primò conuenit contradictorijs, quia conuenit in omni materia.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, explico Maiorem. Omne animal fuit in arca Noe, sumendo omne pro aliquo indiuiduo cuiuslibet speciei animalis, concedo Maiorem: at verò si accipiatur pro quolibet indiuiduo alicuius speciei vel saltim vnius, nego Minorem, potest enim distribui hæc particula, omne pro singulis generum, aut pro generibus singulorum, & quidem pro singulis generum tunc accipitur quando importat singula indiuidua alicuius speciei, sicut in hac propositione, omnis homo est animal, ly omnis distribuit, quia nullum est indiuiduum speciei humanæ, quod rationem animalis subterfugiat &c. pro generibus autem singulorum est distributio pro speciebus tantum, & hoc pacto terminus genericus qui potest habere plures species distribuitur.

Resp. ad II. *Ad secundum* distinguo consequentiam. Ergò possunt esse simul veræ: si hæc dictio, simul, determinet hoc verbum, possunt, concedo consequentiam, hoc enim nihil aliud est, nisi quod simul habent potestatem vt sint veræ. Cæterum si determinet hoc verbum, esse, nego conseq. Sensus enim erit, quod possunt esse

esse pro eodem instanti veræ. Vnde licet ista possit esse nunc vera. Ioannes disputat, & illa etiam nunc, Ioannes non disputat, non tamen possunt esse nunc simul veræ, sed simul habent potestatem vt vtraque sit vera, sed non simul. Lex autem contradictionis postulat, vt si aliqua propositio pro vno instanti est vera, altera pro eodem instanti nequeat esse vera, vt dictũ est.

Ad tertium: distinguo Maiorem. In corruptione alicuius rei, idem est simul & non est, pro eodem tempore & secundum eandem rationem consideratum, nego Maiorem: sub ratione formali diuersa, transeat Maior: nam quando est alicuius rei corruptio, tunc ibi est aliquid vt principium à quo corruptionis, & non est vt finis, ac proinde corruptio est quædam via de esse ad non esse, quæ licet non sint simul, tamen corruptio est in instanti: sed hoc in Physicis explicabitur clarius. *Resp. ad III.*

CAPVT SEXTVM

Quo pacto propositiones de futuro contingenti sint veræ aut falsæ?

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. In singularibus & in futuris contingentibus videtur non esse determinata veritas, sicut in Propositionibus de præsenti & præterito.

Probatur. Si in singularibus & futuris cõtingentibus esset determinata veritas, ita quod vna

vna pars contradictionis esset determinatè vera, & altera determinatè falsa, ergo omnia quæ eueniũt, eueniunt ex necessitate, & ita nihil erit cõtingẽs, quod tamẽ modo supposuim⁹. Cõseq. prob. nam accipio pro exemplo has contingentes de futuro, Franciscus cras disputabit, & postea: Franciscus cras non disputabit, tunc sic argumentor: Illa quæ opponuntur contradictoriè, non possunt esse simul vera in quacunque materia, ergò vna propositio ex his duabus quæ sibi contradicunt, debet esse determinatè vera & altera determinatè falsa; ergò si enuncias verum, affirmãdo quod Frãciscus cras disputabit, illa propositio erit falsa quę denotat, quod non disputabit, ergò ex necessitate eueniet quod disputabit, & cõsequẽter omne quod euenit, necessariò euenit, & quod non euenit, ex necessitate non euenit, quod tamen est falsum: siquidem multa fiunt ad vtrumlibet contingenter, & à casu, vt patet.

Argum. II. *Secundò.* Ponamus casum quod paries sit modò albus, tunc de illo verum prius fuit dicere, quòd erit albus, nam de omni illo quod modò factum est, priusquam fieret, verum erat aliquandò enunciare quod fiet, & non solum in toto tempore præcedente, sed etiam in qualibet parte temporis præcedentis, cum eadem sit ratio de tempore & de partibus temporis: percunctor igitur, quãdo enunciabas heri hanc Propositionem, Paries erit albus, fuitne

hæc propoſitio determinatè vera vel non? ſi non fuit, habeo intentum meæ concluſionis, nimirum quod in futuris contingentibus, vna pars contradictionis non eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa. Si autem fuit, argumẽtor hoc pacto: hæc Propoſitio, Paries erit albus, fuit heri vera determinatè, ergò non potuit fieri paries non albus, ergò neceſſarium eſt parietem eſſe album nam ſi potuit non eſſe albus, & ſi non eſt neceſſe album eſſe, ergò potuit vtraque propoſitio eſſe falſa, & conſequenter nulla ex illis eſt determinatè vera.

Secunda concluſio. Inconueniens eſt opinio prædicta cum ſuis rationibus. Probatur: nam ratio prima facilè ſoluitur dicendo, quod licet in contradictorijs vna propoſitio ſit determinatè vera, & altera falſa, non tamen neceſſariò ita eſt, ſi eſt verum, ſed poteſt eſſe ſecundum quid neceſſarium, hoc eſt, pro illo tempore quo Propoſitio eſt vera, ac proinde in oppoſitis contradictoriè, datur vna pars determinatè vera, & altera deteminatè falſa, nihilominus hæc determinatio non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ab extrinſeco, hoc eſt, ſecundum tempus, pro illo enim tempore in quo res eſt, verum eſt dicere quod ſit, ſed ſi non eſt, falſum, verbi gratia, Petro diſputante, verum enunciatur quod diſputet, ſed non diſputante, falſum, neque enim res fiunt propter noſtrum affirmare aut negare, neque non fiunt, & conſequenter ſiue quiſpiam dixerit affirmationẽ, aut

De futuris contingentibus datur determinata veritas.

Solutio Argum. I.

aut negationem esse veram, siue non, nihil propter hoc de necessitate rei mutatur.

Solutio Argum. II. Neque etiam secunda ratio conuincit, ex eo enim quod modo paries est albus, non infertur heri fuisse determinatè verum, Paries erit albus, nam sicut antequam fieret, indifferens erat ad esse & non esse, tanquam merè possibile, ita etiam propositio heri prolata non magis erat determinatè vera, quam falsa, est ergò vera determinatè quando res est in tẽpore pręsenti, sed de futuro indeterminatè, hoc est, nec vera nec falsa, quia potius disiunctiuè vti oportet vocabulis, dicendo, necesse est parietem esse album vel non album, necesse est Franciscum disputare, aut non disputare, licet disiunctiuè partes huius propositionis, non debeant inferri, quia non valet si volueris inferre, ergò parietem esse album est necesse, vel parietem esse album non est necesse, quia est inutilis cauillatio. Et hæc sunt quæ docet Aristoteles circa hunc Librum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum futurum contingens sub conditione prout sumitur in vi causalis sit verè futurum?

Argum. I. VIdetur quod non. Primò Ex duabus contradictorijs altera necessariò est vera & altera necessariò falsa, vt iã superius dictũ est: sed istę propositiones de futuro cõtingẽti sub cõditione, v. g. si Petrus esset Rex, furaretur, non si Pe-

si Petrus esset Rex furaretur, sunt cōtradictorię, ergò altera ex illis est verè futura, sed nulla apparet causalitas in antecedente respectu rei significatæ per consequens, ergò futurum contingens sub conditione poterit esse verum, etiamsi non sumatur in vi causalis, Minor, quæ subsumitur probatur: nam esse Regem, non est verè causa futuritionis furti in Petro, si poneretur sub conditione regni, vt patet ad sensum.

Secundò. Hæc propositio est de futuro contingenti sub conditione, si Iudæus acceperit vxorem de filiabus gentilium, illa fornicari faciet filios suos, nam desumitur ex verbis S. scripturæ, Exodi 34. vbi dicitur. Nec vxorem de filiabus eorum, hoc est, gentilium, accipies, ne postquam illa fuerit fornicata, faciat fornicari filios suos: vbi duplex conditionatus effectus videtur includi vt patet: sed horum effectuum nullus dicitur futurus, per ordinem ad causam: ergò futurum contingens sub cōditione non oportet vt sumatur in vi causalis, ad hoc vt sit verè futurum. Cum hoc etiã loco habent cònuenientiam multa alia sacræ scripturæ, vtpote in Psalmo 105. Et dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset, in cōfractione in cōspectu eius. Cuius loci sensus est, quod si Moyses non orasset pro populo, disperderet illum Dominus. Ergò Deus sciuit hoc futurum conditionatum, cuius tamen nulla est causa. *Argum. II*

Tertiò.

Argu. III. *Tertiò*. Si illa tantum Propositio conditionalis dicetur esse de futuro propriè, in qua res significata per antecedens, est causa rei significatæ per consequens, ergo sicut ad determinatam causam simpliciter, sequitur effectus determinatus simpliciter, ita etiam ad veritatem antecedentis sub conditione, sequeretur consequens sub conditione rerum. Ergò non erit aliquid verè futurum.

Resolutio. *Multiplex propositionis conditionalis acceptio.* *Respondeo*. Quod propositio conditionalis in communi modo loquendi multipliciter accipi potest. *Aut* enim est promissoria sicut ista; si oraueris pro me, ditabo te. *Aut* comminatoria, verbi gratia, si feceris hoc, accusabo te coram iudice. *Aut* importat simplex animi propositum, verbi gratia, si crastina dies non fuerit nubilosa ibo recreationis causa in agrum. *Interdum* vero accipitur vt est consequens illatum ex altera hypothetica causali, in quo sensu currit illud Thomisticum in 3. p.q.1.A.3. Si Adam non peccaret, Christus nõ incarnaretur. Et etiam D. August. in sermone primo de S. Stephano. Si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Accipitur enim aliquid in his Propositionibus vt consequens illatum ex hypothetica causali, vtputa, quia Adam peccauit, Christus assumpsit humanam naturam, & quia Stephanus orauit, Ecclesia Paulum possedit.

Insuper aliæ conditionales sunt, quę sumuntur in vi causalis, adeò vt id quod significatur per ante-

antecedens, non solum sit causa inferendi id quod significatur per cõsequens, sed etiam est causa essendi ipsi', v.g. dicẽdo si Chymera esset animal, Chymera esset corporea: Et de his in præsenti loquimur.

Sciendum est ergò Quod nulla res est futura secundum quod in se ipsa existit, nã sic est præsens & determinata ad vnum, neq; etiam prout existit in causa quomodocunq;: nam possibilia in causa sunt (ideo enim aliquis effectus est possibilis, quia ponitur causa potens producere talem effectum) sed ratio formalis futuritionis in communi hæc est, quod res sit in virtute causæ completæ & vltimò determinatæ ad infallibilem productionem talis rei quæ dicitur esse futura: ita tamen quod si res fuerit in virtute causæ actualiter completæ & determinatæ per conditionem, est actualiter futura, si verò fuerit in causa solum possibiliter completa, est futura possibiliter, & in causa impossibiliter complenda, est impossibiliter futura.. *Pono super hoc exemplum.*

Quæ sit ratio formalis futuritionis.

Hæc propositio, si Petrus esset Rex, faceret iustitiam, est conditionalis de possibili tantũ, quia per eam significatur possibilis administratio iustitiæ à Petro, si existeret sub conditione regni, non tamen hoc aliquando est futurum, quia esse Regem non est conditio complens vltimatè voluntatem Petri vt faceret iustitiam: sed ista, Si Antichristus moueretur à Deo auxilio efficaci ad faciendam finalem

 pœni-

pœnitentiam, faceret illam, est conditionalis de futuro, quia significat futuritionem possibilem in finali pœnitentia Antichristi, si poneretur sub conditione auxilij efficacis, quod vtique verum est, nam auxilium quo Deus potest mouere Antichristum, est conditio complens voluntatem eius ad hoc, vt producat actum finalis pœnitentiæ.

Ex quo sequitur opinionem illam esse minus probabilem, præsertim in schola Angelici Doctoris, quæ asserit quod ratio futuritionis cuiuslibet rei consistit in hoc, quod res sit in se ipsa in tempore futuro, seu quod habeat aliquam propositionem de inesse veram, in tempore futuro: nam licet sit aliquid consecutum ad futuritionem simpliciter, quod res quæ dicitur futura, sit aliquando in se ipsa, & habeat aliquam de inesse veram in tempore futuro, ita vt per hoc à posteriori possit probari, quod antequam esset in se ipsa, iam erat futura, nihilominus ipsa ratio formalis futuritionis in communi considerata, non potest in hoc consistere, cum futurum secundum quod est in se ipso, sit præsens & non futurum.

Prima conclusio. Neque propositio conditionalis Promissoria, vel Comminatoria, neque vt consequens illatum ex altera hypothetica causali, (in inferendo tantum, est de futuro conditionato propriè.

Proba-

Probatur prima pars: Propositiones prædictæ potius important veritatem de re præsenti, quæ existit in actu, ergò non sunt de futuro propriè. *Anteced. prob.* Nam faciunt hunc sensum, ego si oraueris pro me, habeo firmũ propositum dandi tibi aliquid: vbi totum illud, si oraueris pro me, efficitur pars subiecti, per quam directè & per se importatur, tanquam verum significatum, præsens propositum aliquid conferendi.

Secunda verò pars sic ostenditur. Futuritio propriè dicta, est quidam modus positiuus conueniens rei, quæ dicitur esse futura: sed in hac propositione: si Adam non peccaret, Christus non incarnaretur: vel si Stephanus non oraſſet, Ecclesia Paulum non haberet, affirmatur futuritio negationis futurę incarnationis, vel etiam futuritio negationis futuræ vocationis Pauli ad fidem, & non est aliqua positiua futuritio effectus ex vi alicuius causæ positiuæ, ergò vt prius.

Secunda conclusio. Qualibet propositio conditionalis in qua res significata per antecedens, accipitur non solum vt causa inferendi illud, quod significatur per consequens, sed etiam vt causa essendi ipsius, est de futuro propriissimè.

Probatur. Futuritio rei consistit in hoc, quod res sit in causa completa & determinata ad infallibilem productionem rei quæ dicitur esse futura, ergò nisi propositio conditionalis sumatur in vi causalis, non erit propriissimè

de futuro, ita vt significet aliquam futuritionem conditionalem, rei significatæ per consequens.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum.* Quod ex his duabus cōtradictorijs de futuro, si Petrus esset Rex furaretur, non si Petrus esset Rex furaretur: *Prima* est falsa & impossibilis, nam sensus illius est iste: Actus furti qui in voluntate Petri nudè sumpta non habet futuritionem, in eadem voluntate si staret præcisè sub cōditione regni, haberet futuritionem: hoc autem est impossibile, quia nullus actus habet futuritionē in causa, nisi ponatur sub conditione complente & vltimò determinante ad infallibilem productionem talis actus, & huiusmodi non est conditio regni respectu furti.

Secunda verò Propositio vera est & necessaria, quia cum sit contradictoria primæ non debet sumi in sensu contrariò; affirmante futuritionem alicuius actus positiui contrarij actui furti in voluntate Petri si esset Rex: sed proprijssimè sumenda est in sensu contradictorio, sensus autem propositionis negatiuæ, quæ contradicit affirmatiuæ, non est affirmare aliud, sed negare hoc quod importatur per affirmatiuam, vnde ista propositio. Non si Petrus esset Rex furaretur, sic est explicanda: actus furti non haberet futuritionem in voluntate Petri, etiam si talis voluntas poneretur præcisè sub conditione regni, & hoc libenter con-

concedimus , quia vt dixi necessarium est actum furti non habere futuritionem in causa non completa per aliquam conditionem, sic enim actus est solummodò possibilis,& non futurus.

Ad secundum dico, quod illa propositio, si Iudæus acceperit vxorem de filiabus &c. non est proprijssimè de futuro, quia futuritio quā Deus intendit per illam significare, non est futuritio simpliciter, sed secundum quid, hoc est, secundum inclinationem causarum secundarum: nam animus gentilium facilè propendit ad falsum cultum Deorum: ad veritatem autem propositionis de futuro conditionato secundum quid, non requiritur, vt talis propositio sumatur in vi causalis vt patet. Cuius rei pulcherrimam rationem adumbrat Angelicus Præceptor in prima parte q.19.art.7.ad secundum: nimirum quod aliquando prædicatur aliqua res, vt futura sine conditione; quę tamen non est futura simpliciter, nec de facto producetur: & ponit exemplum: nam Isaię 38. prædixit Deus Ezechiæ in hæc verba. Dispone domui tuæ quia morieris, & non viues, & tamen non ita euenit, quia aliter erat in scientia & voluntate Dei ab æterno, videlicet quod tūc nō moreretur, & in hoc nō mentitur Deus quia talis mors non prædicitur à Deo, vt futura simpliciter, & per habitudinem ad diuinam voluntatem, sed tantum vt futura secundum quid, seu secundum inclinatio-

Resp. ad II.

nationem causarum secundarum, & quia causæ secundæ maximè tunc inclinabant, ad mortem inferendam, vt pote infirmitas grauis, vera fuit prædictio: quemadmodum si quispiam respiciens ad causas secundas inferiores diceret: Lazarus non resurget, procul dubio verum diceret, quia in virtute causarum secundarum non erat talis futura suscitatio etiamsi esset in virtute causæ primę: ita similiter è conuerso, qui respicit ad causas secundas, enunciat Ezechiam moriturum, quia in virtute causarum secundarum, erat talis mors futura, verum enunciat. *Ex quo* patet solutio ad alium locum scripturæ, pronunciauit enim sacer Propheta futuram destructionē populi, si Moyses nō orasset, quia non stante oratione Moysis quâ detinuit quodammodò manum Domini, peccata populi antea cōmissa in adoratione vituli maximè inclinabant ad talem destructionem, vide pro hac doctrina Illustrissimum D. Caiet. in 1. Secundæ q. 100. A. 8. in solutione ad primā rationem Scoti.

Resp. ad III. *Ad tertium* dico, quod argumentum hoc postulat dubium speciale, pro quo sit

ARTICVLVS II.

Vtrū propositiones de futuro cōditionato, sint determinatè veræ vel determinatè falsæ?

Argum. I. V*Idetur quòd nō. Primò.* Ad hoc ꝙ Propositio conditionalis sit determinatè vera, requi-

requiritur vt ſit in bona cõſequentia, ita ꝙ vna pars conditionalis benè inferatur ex altera. Sed nulla de facto hoc habet, ergò nulla eſt determinatè vera. Minor probatur. In bona Conſequentia nunquam poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum: ſed in conditionali ſæpius conſequens habet ſe omninò accidentaliter ad antecedens, & ſic poteſt adeſſe & abeſſe. Ergò non eſt conſequentia bona.

Secundò. Omnes propoſitiones de futuro conditionato non neceſſario, ſaltim affirmatiuæ ſunt de ſubiecto non ſupponente, ergò non ſunt determinatè veræ ſed omninò falſæ. *Cõſeq. patet, & antecedẽs probatur*: quia huiuſmodi futura conditionata non erunt, vt modo ſupponimus, & maximè prout ſignificantur per propoſitiones affirmatiuas, v. g. ſi paries eſſet homo, eſſet riſibilis, ergò ſubiectum in tali propoſitione non accipitur pro aliquo de quo verificetur, & conſeq. pro nullo ſupponit. ***Argum. II.***

Tertiò. Authoritate Ariſtotelis qui in Textu præſente videtur docere, propoſitiones de futuro contingenti abſoluto non habere veritatem determinatam, ergò cum ſit par ratio & de his quæ ſunt de futuro conditionato nulla erit veritas determinata in conditionatis. ***Argu. III.***

Reſpondeo. Quod quia in articulo præcedẽte dictum eſt, futura conditionata ad hoc vt ſint de futuro propriiſſimè, debere ſumi in vi cauſalium, ita vt res conſequentis ***Reſolutio.***

 ſequa-

Modus multiplex consecutionis ex cõditione.

sequatur antecedens, non tantum per modum consequentiæ, sed etiam per modum effectus: idcircò oportet hic aduertere, quod pro diuersitate conditionalium, diuersimodè hæc consecutio potest fieri: sunt enim quædam futura, quæ naturaliter sequuntur ex conditione si poneretur, quale est illud: si Deus crearet alios angelos, tunc illi haberent intellectum & voluntatem, nam hoc quod est esse intellectuale, ita pertinet ad naturam cuiuslibet angeli, vt nullâ ratione possit esse non intellectualis, sicut ignis non calidus: & de his futuris manifestum est, quod sunt determinatè vera, alia verò sunt quæ contingenter solum sequerentur, si esset posita conditio, quæ ibi exprimitur, verbi gratia, si caderet fulgur in terram, interficeret animal, vel etiam liberè, vtputa: si ego essem Rex, facerem iustitiam. Aut deniq; impertinenter & disparatè se habent ad conditionem, v.g. si canis saltaret, Turca esset surdus. Et de his currit præsens artic.

Quid ad veritatem conditionalis affirmatiuæ requiratur

Dico igitur: quod ad veritatem propositionis conditionalis affirmatiuæ quæ propriissimè est de futuro sub conditione, requiritur quod res significata per antecedens sit causa completa & vltimò determinata, respectu illius rei, quæ significatur per consequens, causa, inquam, vel quo ad esse vel quo ad consequi, hoc est, in essendo vel in inferendo, istæ enim duæ rationes habent se sicut inferius & superius, quia causalitas inferendi abstrahit à causali-

ſalitate eſſendi, non verò è contra, nam licet poſſit dari propoſitio conditionalis vera, in qua res ſignificata per antecedens, non ſit cauſa eſſendi conſequentis, ſed ſolum inferendi, qualis eſt hæc. Si homo volaret, homo haberet alas, nunquam tamen poterit dari propoſitio conditionalis vera, in qua res ſignificata per antecedens, ſit cauſa completa eſſendi conſequentis, quæ non ſit etiam cauſa infallibilis inferendi rem illam quæ ſignificatur per conſequens, ac proinde præter cauſalitatem eſſendi, quæ importatur in antecedente reſpectu conſequentis, debet eſſe bona conſequentia de materia non verò de forma: nam propoſitionem conditionalem affirmatiuam de futuro, eſſe bonam conſequentiã de materia, nihil aliud eſt, q̃ quod p antecedẽs ſignificetur aliquid, quod ſi daretur, infallibiliter inferet poſitionem rei ſignificatæ per conſequẽs, & ſi hoc deeſt, nullâ ratione poteſt dici vera.

Dixi non ſine aduertentia, non eſſe neceſſarium ad veritatem propoſitionis conditionalis de futuro vt ſit in bona conſequentia de forma, quia hæc propoſitio conditionalis eſt etiam vera, verbi gratia: ſi Deus vellet creare alterum vniuerſum, tale vniuerſum de facto produceretur, & tamen non eſt bona conſequentia de forma, quia in ſimili forma, poteſt dari antecedens verum & conſequens falſum, vt patet dicendo: ſi Deus vellet creare alterum

vniuersum, paries esset homo &c. Vnde sequitur non esse sustinendam opinionem quorundam Recentiorum quibus subscribit Dominicus Bannes in lib. 1. Summularum Tractata secundo cap. 3. circa finem, hi asserunt conditionalem affirmatiuam non affirmare aliquid ex parte rei significatæ neque eius cōtradictoriam negare, sed sensum istius propositionis, si Petrus esset Rex faceret iustitiā, hunc esse, benè sequitur, si Petr⁹ esset Rex faceret iustitiam, & ita secūdū hāc doctrinā ōnes affirmatiuę in quib. particula Si nō negatur, erūt falsę, quia sēsus illarū est, esse bonas cōsequētias cum tamen non sint.

Sed hoc ita potest impugnari : Deus in sacra scriptura multoties affirmat aliquas propositiones cōditionales, in quib. tamē nō intēdit docere bonas cōsequētias, falsū ergò est quod sēsus propositionis affirmatiuę sub cōditione sit iste, benè sequitur: patet hoc ex verbis quæ
4. Reg. ca. 31. per prophetā Elisęū dixit Deus Regi Israel, vt percuteret terrā ictu sagittarū, & Rex immittēs sagittā trib. vicib. in terrā substitit. Cui Elisę⁹: si percussisses quinquies, aut sexies siue septies percussisses Syriā vsq; ad cōsūmationē. *Tunc sic:* in hac affirmatiua enūciat aliquid verū, & tamē non bonā consequentiā vt patet, imò sequere-
2. Reg. cap. 1. 3. tur quod quādo Dauid interrogauit Dominū per hāc propositionē cōditionalē, si remāsero in Sylla, veniet Saul & hi tradēt me? solū consuleret an illa propositio esset in bona consequētia,
quod

quod tamē nō est dicēdū, quia sciebat esse absurdā, vt pote qui super docentes se intellexit.

Prima conclusio. Propositiones de futuro conditionato, sunt determinatè veræ.

Probatur. Deus non potest falli, nec falsum dicere tam per se immediatè, quam per alios, vt docet Angelicus Præceptor in secunda secundę qu. 1. A. 3. sed inueniūtur sępius in scripturis aliquæ propositiones quas Deus affirmauit sub conditione non necessaria. Ergò tales Propositiones erunt determinatè veræ. Minor patet, ex pluribus testimoniis quæ collegit M. Suarez in Opusculis cōtra impugnātes scientiam mediam & potissimum in Lib. secundo de scientia conditionatorum c. 1. inter quæ illud est præcipuū. Vę tibi Corosaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro (ecce conditionalis) & Sydone factæ essent virtutes, quę factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent, licet idem Doctor oppositum huius dubij teneat contra Thomistas in eodem Lib. 2. cap. 5. numero 8. Præterea istæ propositiones sunt contradictoriæ. Si Petrus esset Rex faceret iustitiam. Nō si Petrus esset Rex faceret iustitiam: Ergo altera illarum est determinatè vera. Ergò iā Propositio de futuro conditionato libero habet veritatem determinatam. *Prima consequentia prob.* Nam alias possent dari ambæ cōtradictoriæ falsæ, quod tamē est cōtra superius dicta, vnde affirmatiua in hac contradictione est impossibilis, quia ante-

antecedens non est causa completa & determinata respectu rei significatæ per cõsequens, vt dictum est.

Secunda conclusio. Omnis propositio conditionalis de futuro, in qua res significata per antecedens, est causa completa, & vltimò determinata respectu rei significatæ per consequens, est determinatè vera, & per oppositum, est falsa.

Probatur. Rem esse futuram sub conditione nihil aliud est, quam rem esse conditionaliter in causa completa & vltimò determinata ad productionem talis rei futuræ. Ergò ad hoc vt propositio conditionalis affirmatiua, quæ est propriissimè de futuro sit vera, necessarium est, vt res significata per antecedens, sit causa completa & vltimò determinata ad productionem infallibilem, rei significatę per consequens. *Conseq. patet:* quia ab eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa. *Anteced verò probatur:* ex S. Thom. in p.p.q.14. A.13. vbi sic inquit: Futurum non est futurum secundum quod est in se ipso, nam sic est præsens, & non futurum: ergò debet esse futurum in causa. *Tunc subsumo:* sed res non est simpliciter futura quãdo habet esse in causa incompleta & indeterminata, vt idem S. Doctor prolixè docet in p.p.q.19. A. 7. ad 2. & in 2.2. q. 171. A. 6. ad secundum: quia hoc pacto est tantum futura secundum quid, hoc est, secũdum inclinationem causarum: ergò à sufficiẽti diuisione rem esse futuram sub conditione, nihil

nihil aliud eſt, quam rem eſſe conditionaliter in cauſa completa & vltimò determinata ad producendum.

Ad primum igitur dicendum: diſtinguo Maiorem. Ad hoc vt aliqua Propoſitio conditionalis ſit determinatè vera, requiritur quod ſit in bona conſequentia, quantum ad materiam, concedo Maiorem. Ex parte formæ, nego Maiorem: nam etiam hæc conſequentia eſt bona materialiter, dicendo. Si Petrus eſt animal: ergò omnis homo eſt animal, quia eſt in materia neceſſaria, tam antecedens quam conſequens in qua non poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum, & tamen eſt malè de forma, quia in ſimili forma, dabitur antecedens verum & conſequens falſum, vt dictum eſt in corpore. Interim lege D. Soto in Lib. ſecundo Summul. cap. 4. lect. 3. notabili 5. vbi aſſerit nullam conſequentiam quæ fundatur ſuper propoſitionem conditionalem contingentē, eſſe bonam conſequentiam formaliter. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum nego antecedens: nam ſicut iſta propoſitio, homo eſt animal rationale: nō eſt de ſubiecto non ſupponente, quamuis homo non exiſtat quia ſolum importatur per eam connexio neceſſaria prædicati cum ſubiecto, ita ſimiliter hęc propoſitio, ſi paries eſſet homo, paries eſſet riſibilis, non eſt de ſubiecto nō ſupponente quamuis paries non ſit, nec riſibile, aut homo habeant aliquam futuritionem formalem, quia ſimiliter per eam ſignificatur *Reſp. ad II.*

con-

connexio necessaria possibilis concomitantiæ quam haberet risibilitas in pariete, si paries compleretur, & vltimo determinaretur per humanitatem, & hoc est verum.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego conseq. nam ratio disparitatis stat in hoc, quia Propositio de futuro cõtingenti absoluto, significat primariò, quod talis res futura modò est in causa completa & vltimo determinata, siue actualiter si est futurum actuale, siue possibiliter si est possibile, &c. & in hoc consistit ratio formalis futuritionis vt dictum est. Secundariò verò importat, quod ista res quæ modò est in causa completa, erit aliquando in seipsa in tempore futuro absolutè loquendo, & hoc est consequẽs ad rationem formalem futuritionis, vt in arti. pręcedente dictum est. Cum igitur futuro cõtingenti absoluto accidat esse extra suam causam vel non esse, accidit similiter esse propositionem veram vel falsam, & consequenter non dicitur determinatè vera. Cæterum in futuro conditionato contingenti non importatur consequenter esse vel non esse absolutè loquendo, sed tantum sub conditione, nihil autem existit conditionaliter extra suam causam, ac proindè inuenitur in huiusmodi propositionibus determinata veritas, vt dictum est. Et hęc de hoc Lib. primo sufficiat dixisse.

BENEDICTVS DEVS.

IN LI-

IN LIBRVM SECVNDVM ARISTOTELIS DE INTERPRETATIONE.

CAPVT I. ET II.

De Enunciationum vnitate ac pluralitate.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Enunciatio affirmatiua componitur ex Nomine & Verbo.

Probatur. Illud quod significat aliquod prædicatum de aliquo subiecto, constat ex Nomine & Verbo: sed Enunciatio affirmatiua significat aliquid de aliquo, verbi gratia, homo est animal, significat animal affirmari de homine &c. ergò affirmatiua Enunciatio componitur ex Nomine & Verbo. Ex quo colligitur quod illud de quo affirmatio aliquid significat, vel est ipsum nomen, vel innominatum, hoc est, infinitum nomen, sicut etiam multoties propter negationem superadditam ad verbum, efficitur verbum infinitum, vt in Lib. pręcedente satis explicauimus cum Aristotele. Ac proindè enunciatio multiplicari potest per nomen finitum & infinitum, verbi gratia, homo est, homo non est, finita

finita sunt nomina, sed non homo est, non homo non est, sunt infinita &c.

Secunda conclusio. Non eodem modo multiplicantur Propositiones de secundo Adiacente, sicut de tertio.

Probatur. Nam supposito quod propositio de secundo Adiacente illa vocatur, in qua particulam verbalem Est non sequitur aliquid, prima affirmatio & negatio, poterit esse huiusmodi, homo est, homo non est. Deinde ex parte nominis infiniti. Non homo est, Non homo non est. Præterea accipiendo terminos vniuersaliter: omnis homo est: omnis homo non est: Et quemadmodum hæc multiplicatio consurgit in tempore præsenti: potest similiter esse in tempore futuro aut preterito, &per consequens octo erunt differentię principales Enunciationum de secundo Adiacente, quia ipsæ tantum multiplicantur ex parte subiecti, quod aliquando sumitur sine negatione, aliquando cum negatione, aliquando vniuersaliter &c. At verò propositiones de tertio adiacente, in quibus copulam verbalem EST subsequitur prædicatum, in duplo pluries multiplicantur, quia non tantum ex parte subiecti, vt de illis est dictum, sed etiam ex parte prædicati, penes finitum aut infinitum penes affirmationem aut negationem, multiplicari possunt.

Tertia conclusio. Ad antecedens diuisum potest in quibusdam terminis inferri, consequens coniunctum, & in quibusdam, non potest. Pre-

Probatur. Sunt enim quædam prædicata quæ dicuntur per auidens de se inuicem,& de subiecto,& ista non faciunt vnum per se, sed tantum secundum quid ac proindè non valet in his consequentia à diuisis ad coniuncta,v.g: homo est albus musicus;non enim valet, homo est musicus,ergò est albus,nec è contra:est albus ergò musicus,quia vtrũque accidit homini,cum sint vnum per accidens; similiter homo est cytharędus bonus, nõ sunt vnũ simpliciter,in quibus etiam non valet consequentia à diuisis ad coniuncta,vt patet:alia verò sũt prædicata essẽtialia, sicut rationale & animal respectu hominis & indiuiduorum ipsius, & in talibus valet consequentia à diuisis ad coniuncta,dicendo,Petrus est animal & rationale, ergò est animal rationale.

In quibus consequẽtia à diuisis ad coniuncta valeat.

Ex quo colligitur quod etiam coniuncta licet aliquando diuidere,& aliquando non. Si enim coniunctum constat ex partibus repugnantibus non oportet vti aliqua diuisione, verbi gratia,definiẽdo cadauer dicis,est animal mortuum,sed hic non poteris diuidere dicendo, ergo cadauer est animal,repugnat enim ratio animalis cum natura cadaueris,quia hoc mortuum est, illud sensibile, viuens &c.similiter definiendo imaginem alicuius hominis dicis, est homo pictus,sed non valet,ergò est homo, quia imago hominis est similitudo hominis, cæterum homo non est sui ipsius similitudo quia nihil sibi est simile sed alteri, vt patet. Et

præterea non licet coniuncta diuidere, quando prædicatur vnum per accidens, verbi gratia dicendo, Petrus est homo, non licet inferre; ergò Petrus est, nam existere, per accidens conuenit Petro, licet Petrum existere hominem, non sit per accidens. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum propositiones oppositæ possint aliquando conuenire in eandem veritatē & esse æquipollentes?

Argum. I. VIdetur quod non. Primò. Nullum signum potest præsupponere negationem, ergò nulla propositio cōtradicens alteri, potest cōuenire in eandem veritatem cum altera. Consequentia prob. Nam ex hoc solùm docēt cōmuniter Dialectici Propositiones contradictorias eandem veritatem aliquandò significare, quia alteri earum additur negatio. Antecedēs verò est ipsius Aristotelis in lib. præcedēte c.5. prope finem dum ait: Oportet negare negationem, quod affirmatio affirmauit. *Tunc subsumò:* sed affirmatio in contradictorijs significat compositionem subiecti cum prædicato, non verò significat compositionem signi, ergo nullū signū potest pręsupponere negationē, vt illa mediāte, propositio affirmatiua ęquipolleat negatiuę in cōtradictorijs.

Secundò Negatio vbicunque ponitur eiusdem est naturæ & rationis, sed præsupposita *Argum. II.*

signo,

ſigno, non habet hanc naturam vt faciat æquipollere Propoſitiones contrarias, ergò neque dum poſtponitur eſt euidens, ex eo quia negatio quocunq, modo aptetur in Propoſitione nunquam adæquat naturam entis poſitiui.

Tertiò. Illa quæ ſibi proportionantur, & ſunt æqualia non poſſunt in ſe agere mutuò: ſed duæ negationes proportionantur ſibi & ſunt omninò æquales, ergò vna non agit in alteram, Ergò in ſubalternis negatio poſtpoſita, non conducit ad veritatem magis quam illa quæ anteponitur. *Argu. III.*

Reſpondeo. Quod licet Ariſtoteles nihil prorſus egerit de conuerſione & æquipollentia propoſitionum in textu præſente, ſed potius negotium hoc pertractat in lib. 1. Priorum cap. 2. & 3. nihilominus vt Dialecticæ ſtudioſis melius conſulerem, decreui nonnulla de huiuſmodi Proprietatibus inſerere, ne videatur quippiam operi deeſſe, quod conducat ad iuuentutem erudiendam & inſtituendã. *Reſolutio.*

Æquipollentia ergò, nihil aliud eſt, niſi conuenientia duarũ Propoſitionum in qualitate, & quantitate, in veritate, vel falſitate, per aduentum negationis facta: nam poſitis duabus contradictorijs, quæ eo ipſo quod maximè repugnant in nullo conueniunt, verbi gratia, omnis homo eſt animal, quidam homo non eſt animal. Si vni ex iſtis anteponas particulam, Non, amittet vim contradicendi, & ſtabit loco alterius, ſicut enim duæ *Quid ſit æquipollẽtia.* *Aequipollentia cõtradictoriarum.*

duæ propositiones identicæ per aduentũ negationis efficiuntur contradictoriæ, v.g. vestis est alba, indumento nõ est albũ: ita similiter quãdo negatio præponitur alicui ex cõtradictorijs, efficiũtur æquipollẽtes; vt non omnis homo est iustus, quidam homo non est iustus.

Aequipollentia cõtrariarum Sic in contrarijs ponendo negationem immediatè post terminum qui est à parte subiecti, tota propositio æquipollet alteri, quæ ante negationem erat contraria. Vnde in his propositionibus eadem est veritas; omnis homo non est paries, nullus homo est paries.

Subalternarum. At verò in subalternis si subiecto propositionis vniuersalis præponatur & postponatur negatio, æquipollet particulari, & è cõtra. v.g. dicendo. Non omnis homo non est iustus, quidam homo est iustus, & hoc totum facilè deprehenditur in versu sequente.

Præ, contradict, post, contra, præ, postque, subalter.

Ex quo infero quod veritas de qua in præsenti loquimur, vltra conformitatem ad intellectum, includit conuenientiam in eadẽ quãtitate & qualitate, nam contradictoriæ repugnat vtroq; modo, sed negatio præsupposita, mutat qualitatem Propositionis & quantitatem signi: deinde in contrarijs, sola qualitas est diuersa, sed negatio postposita signo, & addita copulæ, inducit eandem qualitatem, ac proindè facit æqualiter veras aut æqualiter falsas, vt patet in exemplis modo adductis.

Conclusio. Possunt aliquæ Propositiones oppositæ adin-

adinuicem, conuenire in eandem veritatẽ de ijsdẽ extremis, si alteri earum superaddatur, negatio.

Probatur. Quælibet propositio æquipollens alteri propter negationem, est illatiua ipsius in consequentia formali, ergo signũ est quod ambæ conueniunt in eandem veritatem formaliter, ac per consequens ambæ eandem rem significant. *Antec. est manifestum:* nam benè infers vtramq; ex his. Nõ omnis homo est iustus, ergò quidam homo non est iustus & sic discurrendo per alias Species.

Ad primum igitur dicendum distinguo Antecedens, nullum signum potest præsupponere negationem, negantem, nego antecedens: infinitantem, concedo antecedens: quia signum ut signum est, non potest secundum se infiniri, cũ pro nihilo supponat determinatè, nec aliquid determinatè significet, sed potius est vox consignificans. *Resp. ad I.*

Ad secundum. Distinguo Maiorem: negatio vbicunque ponitur eiusdem est naturæ & actionis, quantum ad id quod est actu in negatione, concedo Maiorem, quo ad modum: nego Maiorem, licet enim negatio vbicunque ponatur habeat actum negandi quia videlicet inducit oppositum eius cui adiungitur, nihilominus non eodem modo solet applicari in qualibet Propositione, nam si postpositus signo, remanet post illam qualitas, & non potest negare plus nisi qualitatem, verbi gratia, nullus homo est animal, omnis *Resp. ad II*

 ho-

homo est animal, contrariantur in qualitate, quia vna est affirmatiua, & altera negatiua, cui si postponas negationem, dicendo, nullus homo non est animal, sola qualitas relinquitur post illam, secus autem est si præponatur, quia tunc inuenit vtrumque, scilicet, quantitatem, & qualitatem, ac proinde hoc totum negat, inducendo oppositum.

Resp. ad III. *Ad tertium*: distinguo Mai. Illa quę sibi proportionantur & sunt æqualia, non possunt in se agere mutuò, si sunt æqualia secundum se & per suam naturam, concedo Maiorem: si sunt æqualia propter aliud extrinsecum, nego Maiorem, vt est videre in præsenti, vbi negationes si quam habent similitudinem & æqualitatem, habent illam ab intellectu præcisè.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquæ propositiones possint participare vtroque termino ordine conuerso?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Ista Propositio est vera: Aliquod monstrum intenditur à natura vt potest deduci in hũc modum. Hoc intenditur à natura, & h. e. mõstrũ, ergò monstrũ intẽditur à natura, & tamen sua conuertẽs est falsa, quia natura non intendit monstrum, teste Philosopho in Libro secundo Phys. text. 8.

82. Ergò ex eo quod vna Propositio conuertitur in aliam amittit suam veritatem.

Secundò. Homo & risibile conuertuntur adinuicem, sed non apparet secundum quam speciem ex his quas assignant Dialectici. Ergò huiusmodi doctrina non est sustinenda. Maior est euidens: nam homo risibile habent se tanquam subiectum & propria passio, quæ duo ita inter se ordinātur, quod Propria passio dicitur de omni illo quod continetur sub subiecto principali, ac proindè conuertitur cum subiecto, si enim risibile dicitur de omni indiuiduo hominis, proculdubio conuertitur cum homine, quia nihil est de quo prædicetur homo, & non risibile, vt patet. *Argu. II.*

Tertiò. Illæ propositiones in quibus ponun- [t]ur pronomina primæ vel secundæ personæ [m]ultoties sunt veræ, v.g. Ego curro, tu dis[p]utas &c. Et tamen non videtur quâ specie [p]ossint conuerti, ergò doctrina ruit. *Minor pa[te]t*, applicando singula singulis. *Argu. III.*

Respondeo. Quod conuersio nihil aliud est, [ni]si duarum propositionum cathegorica[ru]m vnius ad alteram consequentia formalis, [m]utando prædicatum pro subiecto, & è cō[uers]o, verbi gratia, nullum bonum est fugiēdum, [er]gò nullum fugiendum est bonum: vbi tota [co]nsequentia formalis vocatur conuersio, sed [an]tecedens illius, est propositio cōuersa & quæ [seq]uitur conuertens. Hæc vero transmutatio *Resolutio. Quid sit conuersio. Conuersionis modi. Quæ sit cōuersio simplex.*

diuersimodè fieri potest: nam si facis prędicatum de subiecto, & de prædicato subiectum, manente eadem quãtitate & qualitate vtriusque propositionis, tunc conuertis vnam in alteram simpliciter, Vniuersalem scilicet negatiuam in se ipsam, & affirmatiuam particularem etiam in se ipsam, verbi gratia, nullus homo est lapis, Ergò nullus lapis est homo. Quidam homo est bonus, ergò quoddam bonum est homo. *Vocatur* autem hæc conuersio simplex, quia nullum accidens mutatur, nec quantitas vel qualitas, nec extrema propositionis nisi solò situ. Vnde nec vniuersalis affirmatiua in se ipsam, nec particularis negatiua etiam in sę ipsã hoc genere conuertuntur, quia inconueniens sequitur dicendo, omnis homo est corporeus, ergò omne corporeum est homo: similiter, quoddam animal non est homo. Ergò quidam homo non est animal.

Quare vocetur conuersio simplex.

Conuersio per accidens.

Si verò mutatur sola quantitas, est conuersio per accidens, secundum quam Particularis affirmatiua conuertit Vniuersalem affirmatiuam, & negatiua Vniuersalis, etiam Particularem negatiuam, verbi gratia, omnis homo est rationalis, ergò quoddam rationale est homo: nullus homo appetit malum, ergò quoddã appetens malum non est homo.

Cõuersio per cõtrapositionẽ.

Tertia verò & postrema Species cõuersionis est, quæ dicitur per contrapositionẽ & in hac seruatur eadem quantitas & qualitas, sed ter-

termini finiti mutãtur in infinitos, quo pacto Vniuersalis affirmatiua in se ipsam conuertitur, & particularis negatiua similiter in se ipsam, v. g. omnis homo est animal, ergò omne non animal est non homo: quidã homo nõ est lapis, quidã nõ lapis est nõ homo. Vt autẽ hæc facilius intelligantur, adinuenerunt Logici antiquiores non sine magno studentium commodo talem versiculum.

EccE, tIbI, simpl. ArmI, gErOs, Ac, ArmA, bOnO, Con. Vbi A denotat vniuersalem affirmatiuam E vniuersalem negatiuam. I. particularem affirmatiuam. Et O. particularem negatiuam & ita EccE nullus lapis est homo, ergò nullus homo est lapis. TIbI. quidam paries est albus, ergò quoddam album est paries simpliciter conuertuntur, postea ArmI. Omnis homo est animal, ergò quoddam animal est homo. GErO, nullus homo est paries, ergò quidam paries non est homo, conuertuntur per accidens. ArmA, omnis homo est animal, ergò omne non animal est nõ homo. bOnO: quoddam animal non est lapis, ergò quidam non lapis non est nõ animal, per contrapositionẽ, quod si conuersa implicat aliquid in subiecto in copula vel in prædicato, oportet sæpius illud explicare in conuertente, quia aliâs non erit debita conuersio, v. g. nemo est asinus, sic conuertitur. Nullus asinus est homo, quia in ista particula, Nemo, implicatur hoc totum, nullus homo, similiter dicendo. Nihil & Chy-

mæra ſunt fratres, ita conuertitur, nulli fratres ſunt aliquid & Chymæra, & ſic de alijs, vt optimè aduertit ſubtilis Scotus in primo Prior. q.12.& 13.

Concluſio. Nihil repugnat vt quælibet Propoſitio poßit conuerti in aliqua ſpecie ex prædictis & conſequenter, conuerſio eſt paßio Propoſitionis ſimpliciter.

Probatur. Si aliqua propoſitio non poſſet conuerti, maximè ſingularis & indefinita: ſed hoc non eſt dicendum, ergò quælibet propoſitio conuertitur. Sequelam Mai. prob. Nam vltra ſpecies prædictas quæ dantur de conuerſione Vniuerſalis affirmatiuæ & negatiuę, particularis etiam affirmatiuæ & negatiuæ, nõ eſt dabilis altera, præter ſingularem & indefinitam. Minor prob. De particularibus indefinitis & ſingularibus idem eſt iudicium, quo ad conuerſionem mutuam, ergò poſſunt omnes conuerti ſimpliciter, ſicut & particulares, v. g. Petrus non eſt aſinus, ergò nullus aſinus eſt Petrus.

Reſp. ad 1. *Ad primum igitur dicendum* nego Minorem, ad cuius probationem *Dico:* quod in hac Propoſitione, loco termini connotatiui qui ponitur à parte ſubiecti neceſſe eſt accipere Pronomen Demonſtratiuum, per quod demonſtretur illud pro quo terminus connotatus ſupponebat, vnde iſta Propoſitio, monſtrum intenditur à natura, conueritur in hãc, aliquid quod à natura intenditur eſt hoc, demonſtrando

do illud, pro quo prius ſupponebat hic terminus, monſtrum, ita reſpondet Scotus.

Ad ſecundum: diſtinguo Mai. Homo & riſibile conuertuntur adinuicem, ſecundum conuertibilitatem concedo Mai. ſecundum conuerſionem nego Mai. vnde iſta tria non omninò idem ſignificãt, conuerſio, conuertibilitas, & conuertentia: nam conuerſio propoſitioni conuenit tanquam illius proprietas, conuertentia relatiuis, quæ (vt docuit Ariſtoteles in Prędicamentis) dicuntur ad conuertentiã, conuertibilitas autem ſubiecto & paſſioni, vt eſt manifeſtum.

Ad tertium nego Minorem: nam illę Propoſitiones aliter conuertuntur à proferentibus, verbi gratia, dicendo: Tu legis, debet eam proferens conuertere, ergò legens es tu, ſed ſi debeant conuerti ab aliis quã à proferentibus & maximè ab illo ad quem eſt huiuſmodi oratio, dicendum erit. Legens eſt illud, quod ego ſum, ſed alter audiens, debet eam in vnam cõuertere, cuius prædicatum eſt pronomen tertiæ perſonæ, dicendo, legens eſt ille, & demõſtrabit eum pro quo ſupponebat hæc vox, Tu antea, ſed de his ſufficiat.

CAPVT III. ET IV.

De Enunciationibus cum modo.

SVMMA TEXTVS.

P*Rima concluſio. In modalibus ſumenda eſt oppo-*

ſitio

sitio contradictoria penes negationem quæ ponitur ad modum.

Probatur. Nam ſicut ſe habet copula verbalis in propoſitionibus de ineſſe, ita modus in modalibus, quia eſſe vel non eſſe in qualibet propoſitione modali, ſubijcitur, & mod° prędicatur, ſed in propoſitionibus de ineſſe attēditur contradictio, penes affirmationem vel negationem ipſius copulæ, ergò in modalibus ſumenda eſt oppoſitio contradictoria penes negationem, quæ apponitur ad modum: vnde quando dicitur aliquid neceſſarium eſſe, contradictoria eius non eſt hæc, neceſſarium eſt non eſſe, ſed, non neceſſarium eſt eſſe. Similiter contradictoria huius, neceſſarium eſt nō eſſe, importat, non neceſſarium eſt non eſſe. De impoſſibili verò idem eſt iudicium, nam dicēdo, impoſſibile eſt eſſe, non cōtradicit huic, impoſſibile eſt non eſſe, ſed altera quæ negat modum, ſcilicet, non impoſſibile eſt eſſe, & ſic de alijs. Ex quo infero: quod veritas & falſitas propoſitionum ſimplicium conſideratur ex parte verbi, ſicut affirmatio & negatio, v.g. homo eſt riſibilis, paries non eſt albus &c. nam hoc verum erit, ſi copula verbalis non aliter enunciat eſſe quam ſit, at verò in modalibus dependet à modo, verbi gratia, Petrum currere eſt poſſibile, non ſcitur verum eſſe, ab eo quod ita ſit, vel non ſit, nam poſſibile nondū eſt actu, ſed quia verum eſt poſſe fieri, hoc eſt, quia non repugnat currere. Et hoc patet in figura ſequenti.


Æqui-

Æquipollētes

Pur. Socratem non currere non est possibile.
pu Socratem non currere non est contingens
re Socratem non currere est impossibile
a Socratem currere est necesse

I Socratem currere non est possibile
li Socratem currere non est contingens
a Socratem currere est impossibile
ce Socratem non currere est necesse

Æquipollētes



Æquipollētes

A Socratem currere est possibile.
ma Socratem currere est contingens
bi Socratem currere non est impossibile
mus. Socratem currere non est necesse

E socratem non currere est possibile.
dē Socratem non currere est contingens.
tu Socratem non currere non est impossibile.
li Socratem currere non

Æquipoll

Secunda conclusio. Oppositio consistit in negatione & affirmatione eiusdem prædicati de eodem subiecto.

Probatur. Primò. Illa magis opponuntur, quę ita se habent, quod vnum eorum magis est verum, & alterum magis falsum: sed affirmatio & negatio eiusdem prædicati de eodem subiecto ita se habent adinuicem, ergò sunt magis opposita. *Minor patet ab exemplo:* nam ista propositio, Bonum est bonum, magis est vera quam hæc, Bonum non est malum, ergò & ista magis est falsa. Bonum non est bonum, quam hæc, Bonum est malum, vt patet.

Secundò. Sunt aliquæ Propositiones in quibus non potest sumi contrarietas aliter quàm per affirmationē & negationem, ergò ita sumetur oppositio in qualibet specie oppositionis, vel in nulla, cum sit eiusdem rationis in qualibet specie. *Antecedens patet* in hac Propositione, homo est homo, nam hic non est aliqua oppositio: sed affirmatio simplex eiusdem de eodem, quod si negationem apposueris, efficiuntur oppositæ. Hæc de Textu huius Libri dicta sint.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum propositio modalis distinguatur specie à simplici cathegorica?

Argum. I. VIdetur quod non. Primò. Illa quæ habēt eandē formā, continētur sub eadē specie, sed pro-

propositio de simplici inhærentia, eandem habet formam quam habet modalis, ergò similiter eandem speciem. *Minor prob.* Forma cuiuslibet propositionis est copula verbalis, quia secundum hanc prædicatum conuenit subiecto: ergò si eadem prorsus est copula in modali & simplici, eadem erit vtriusque species, nam aliâs quo pacto diceres alteram ex his non esse veram, Petrus est currens, & Petrum currere est possibile, si vtraque idem affirmat.

Secundò. Modus iste quem addit propositio modalis, est accidens propositionis, ergò non potest variare speciem, ergò propositio modalis & sine modo eiusdem sunt speciei. *Consequentia prima prob.* Quia nullum accidens quantumuis intensum, habet vim inducendi aliam speciem in subiecto cui accidit, Æthiops enim etiãsi infinitos gradus habeat de nigredine intensa, nunquam amittet speciem hominis, quia hoc est accidens ipsius. *Argum. II*

Tertio. Illa Propositio in qua denotatur prædicatum inexistere subiecto est verè simplex, sed modalis hoc habet, ergò non differt à simplici. *Minor prob.* In omni materia potest aliquid dici de aliquo affirmatiuè cum modo, ergò in modali saltim affirmatiua denotatur prædicatum inesse subiecto, & cõsequẽter non differt à simplici. *Argu. III.*

Respondeo. Quod modus in præsenti nihil aliud est, nisi quædam determinatio adia- *Resolutio.*

adiacens rei, non secundum esse physicum & naturale, prout est ad extra, quia res sub tali modo non est in Propositione, sed prout cõcipitur, adeò vt modus sit determinatio nõn naturæ aut vocis, sed rei conceptæ & exinde propositio modalis sumit originem, significat enim quomodo aliquid alicui insit prout concipitur ab intellectu, quod tamen propositio simplex non habet, cum sit de simplice inhærentia prædicati ad subiectum & modum non exprimat, modum inquam non de nomine, quo pacto adiectiua respectu alicuius substantiui dicuntur ipsum modificare, quia adiacent substantiuo: sed verbalem, licet enim in hac Propositione, Petrus albus currit, homo iustus orat, & similibus exprimatur modus rei quę dicitur currere, ille tamen modus magis adiacet subiecto vt in se est, & non in Propositione, quod ad modalem Logicam non sufficit.

Discrimen inter modũ & nomen adiectiuũ.

Quomodo modus differat à vero & falso in propositione.

Similiter verum & falsum, quamuis constituant propositiones adinstar modaliũ, excluduntur tamen à præsenti consideratione quia quãtũ attinet ad propositiones & æquipollẽtias earũ nihilo differũt à simplicib. cathegoricis, nec aliquid supra illas addunt, nam si dixeris, Petrum disputare est verum, idem valet, ac si dicas, Petrus disputat, & qui contendit asserere, quod in veritate Petrus disputat, non iurat magis quam si diceret. Petrus disputat; aliter tamen est iudicandum de hac

pro-

propositione, Petrum disputare est continges vel possibile &c.

Duplex autem est Propositio modalis, quædam in sẽsu composito, & alia in sensu diuiso. Tunc est in sensu composito, quando modus determinat totam propositionẽ, hoc est, quãdo dictum subijcitur, & modus prædicatur; vel è contra, intelligẽdo nomine, dicti, orationem ex accusatiuo & infinitiuo compositam; verbi gratia, Petrum disputare est possibile, nã dictum est, Petrum disputare, sed possibile modus, determinans totam propositionem, & tantum valet ac si dicas, hæc propositio Petrus disputat est possibilis, quod sanè est verum, cum disputare sit accidens non per se conueniens subiecto, & consequenter non necessariò, nihil autẽ officit si ponatur hic modus in principio aut in fine propositionis, dummodò partes dicti copulentur sine medio; verbi gratia, possibile est Petrum currere, & Petrum currere est possibile & cætera.

Duplex propositio modalis.

Tunc autem propositio modalis sumitur in sensu diuiso, quando modus ponitur in medio, hoc est, quando partes dicti nimirum Accusatiuus cum Infinitiuo, diuiduntur per modum, verbi gratia, Petrum possibile est currere, hominem necesse est esse animal rationale.

Conclusio. Propositio modalis distinguitur speciè ab illa quæ est de simplici inhærentia: sed non

 distin-

distinguitur à cathegorica.

Probatur. Prima pars. Illa quæ per differentias formales intrinsecas distinguuntur, pertinent ad diuersas species. Sed propositio modalis non eam habet differentiam quam Propositio de inesse, ergò nec eandem habet speciem. *Minor est manifesta*, ex eo quia Propositio de inesse importat simplicem inhærentiam prædicati ad subiectum, modalis verò distinguitur per modum.

NOTA. *Cautè tamen aduerte* inhærentiam in præsenti, non accipi propriè quæ solis accidentibus conuenit: sed pro quadam in existentia vnius ad alterum, iuxta quem modum, etiam prædicata quæ habent necessariam connexionem cum subiectis dicuntur inhærere, verbi gratia, homo est substantia. Petrus est animal, &c. Imò verò si aliquod prædicatum non inest verè & realiter subiecto, tamen quia denotatur inesse propter copulam verbalem quæ vnit extrema, appellatur propositio de simplici inhærentia, licet sit omninò impossibilis, &c.

Secunda verò pars probatur. De ratione propositionis cathegoricæ est, vt habeat subiectum, prædicatum, & copulam, tanquam principales partes sui: sed modalis etiam hoc habet, quia in quocunque sensu sumatur, dictum debet subijci, & modus præ-

prædicari, vel è contra, & similiter est ibi copula, vt patet, ergò non distinguitur specie à cathegorica, sed est eius species, distincta à propositione simplici.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*: distinguo Maiorem: Illa quæ habent eandem formam continentur sub eadem specie, si habent eandem formaliter, concedo Maiorem: sicut Petrus & Franciscus sub eadem specie continentur, hoc est, sub homine, quia forma & definitio vtrique conuenit formaliter, non enim aliam definitionem formaliter haberet Petrus inquantum homo, si definiretur, quam haberet Franciscus inquantum homo, quia vnica est differentia hominis, vt patet; at verò si habent eandem formam materialiter, & diuersas formaliter, nego Maiorem: & ita est in præsenti, nam licet illa particula E S T, si secundum se sumatur, eandem retineat rationem materialiter in vtraque propositione, hoc est, in simplici & modali, vt pote idem significans, affirmat enim Petrum esse currentem, aut posse currere, vt argumentum alludit, nihilominus quia extrema quæ vniuntur sunt inuicem diuersa, & vnionem habent cum subiectis valdè diuersam, vtpote, cum modo vel sine modo, & ex alia parte copula verbalis eam debet vnionem significare, qualem extrema important, idcircò hæc copula

existens in vna propositione, diuersa est formaliter à seipsa vt existit in alia.

Resp. ad II. *Ad secundum.* Distinguo Antecedens, modus iste quē addit propositio modalis est accidens propositionis, in communi consideratæ, concedo antecedens: reduplicatiuè & in quantum est modalis, nego. Nam est ipsius essentia sicut albedo accidit homini vniuersaliter sumpto, sed est de essentia hominis in quantum est albus, & rationale similiter accidit animali prout est genus, quia non est de essentia animalis, attamen sumendo animal in quantum est homo, est de essentia animalis, quia est de essentia hominis.

Resp. ad III. *Ad tertium*, distinguo Maiorem, illa propositio in qua denotatur prædicatum inexistere subiecto, est verè simplex, si denotatur inexistere cum aliquo modo, nego Maiorem: alias concedo, nam etiam in Propositione modali, prædicatum dicitur de subiecto mediante copula, sed quia dicitur cum aliqua determinatione, non dicitur simpliciter vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum ex duabus oppositis modalibus poßint cōstitui omninò æquipollentes?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Istæ duæ modales, Socratem currere est possibile & Socratem currere est impossibile, opponuntur con-

contradictoriè, de poſſibili & impoſſibili, ſed nullâ ratione poſſunt ſibi æquipollere, ergò oppoſitum non eſt aſſerendum. *Minor probatur*, nam ſi æquipollerent, hoc erit ideò, quia negatio poſita ad modum alterius mutat quantitatem, & qualitatem Propoſitionis, & per conſequens facit æquipollere contradictorias dicendo, Socratem currere eſt poſſibile, Ergò Socratem currere non eſt impoſſibile, ſed hæc ratio non valet, ergò vt prius. *Minor probatur*; nam in hac, Socratem currere eſt poſſibile, verbum, Eſt, affirmatur, in altera verò, ſcilicet Socratem currere non eſt impoſſibile, negatur: affirmatio autem nullo modo æquipollet negationi quia eſt illi oppoſita.

Secundò. Contingens & poſſibile ſunt modi longè diuerſi, ergò aliud eſt iudicium de contingenti, & aliud de poſſibili quantum ad æquipollentiam, quia non eſſent 4. modi qui conſtituunt propoſitionem modalem, quod eſt contra Logicos. *Antecedens poteſt in hoc exemplo manifeſtari*. Nam Propoſitio hæc vera eſt. Hominem eſſe animal eſt poſſibile, ſed non poteſt dici hominem eſſe animal eſt contingens, quia eſt neceſſariū, ergò iſti duo modi ſunt valdè diuerſi. *Argum. II*

Reſpondeo quod quia in propoſitione modali duplex poſſumus conſiderare ſubiectum & prædicatum, modi, ſcilicet & dicti, ſicut Petrum eſſe hominem eſt ne- *Reſolutio.*

cesse, hoc quod est hominem esse, prędicatur de Petro, sicut esse necesse de tota propositione, idcirco duplex qualitas, similiter quantitas & materia potest in huiusmodi propositionibus assignari, aut enim est qualitas in affirmatione & negatione solius modi consistens, aut solius prædicati, quod continetur in dicto, vel vtriusque simul, verbi gratia, hæc propositio, Petrum non currere est possibile, est affirmatiua de modo, & negatiua de dicto, & Petrum currere non est possibile, est affirmatiua de dicto sed negatiua de modo, sicut Petrum currere est possibile, est affirmatiua simpliciter: Enunciationes igitur quæ sunt affirmatiuæ ex parte modi, sunt affirmatiuæ simpliciter, & è contra, siue dictum affirmetur siue negetur, & sic deprehendes qualitatem modalium. Et licet quantitatem modalium posset quis facilè colligere ex signo quod anteponitur toti Propositioni, vt puta dicendo hanc esse Vniuersalem, Omnem hominem esse animal est necesse, & hanc particularem, aliquem hominem esse bellicosum est contingens, similiter indefinitam, hominem mori est possibile, singularem verò, Petrum esse irrationalem est impossibile, quia tamen non semper contingit has propositiones accipi cum signo, idcirco necessarium & impossibile constituunt absolutè vniuersalem, necessarium enim perpetuò

Propositiones modales habent duplicem quantitatem, qualitatem, & materiam.

Vnde modalium quantitas accipiēda.

petuò rem ponit , ſicut perpetuò tollit impoſſibile. Cæterum contingens & poſſibile, quia ſignificant rem ita eſſe vt poſſit non eſſe, & deinde ſic non eſſe, vt aliquando poſſit eſſe, erunt particulares . Cum hoc tamen ſtat quod ſicut in Propoſitionibus de ineſſe negatio addita ſigno Vniuerſali , reddit Propoſitionem particularem & è contra, ita ſimiliter non neceſſarium & non impoſſibile, ſunt modi particulares, non poſſibile autem & non contingens, Vniuerſales. Et hoc pertinet ad quantitatem modalium.

Materia verò naturalis aut remota & cætera, deſumenda eſt ex modo dicti , ad eum ſenſum quod ſi fuerit habitudo modi ad dictum, tanquam prædicati neceſſarij, illa Propoſitio modalis erit in materia neceſſaria, verbi gratia, hominem eſſe animal eſt neceſſe, ſi verò habitudo prædicati ad ſubiectum eſt impoſſibilis, erit propoſitio in materia remota, vt patet dicendo, hominem eſſe equum eſt impoſſibile, & ſic de alijs per ordinem.

Vnde materia modalium ſit petenda.

His ergò ſuppoſitis aduerte vlterius, quod illæ quatuor dictiones quas in fronte cuiuslibet oppoſitionis adiunximus ad mentem Ariſtotelis, adeò ſunt notandæ vt ſine ipſis nulla ratione oppoſitio aut æquipollētia modalium

possit cognosci, sicut Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli, in quibus sunt 4. vocales, A designat propositionem illam, cui apponitur esse affirmatiuam de dicto & modo, verbi gratia, Socratem currere est possibibile. E demonstrat modalem negatiuam de dicto, & affirmatiuam de modo, verbi gratia, Socratem nõ currere est possibile. I è conuerso affirmatiuam de dicto, & negatiuam de modo, verbi gratia, Socratem currere non est possibile. V negatiuam de dicto & de modo simpliciter, verbi gratia, Socratem non currere nõ est possibile, vnde ille versiculus.

E verbum negat, Iq; modum, nihil A. sed V totum.

Et ita si disposueris in quolibet rotulo primam modalem de possibili, secundã de contingenti, tertiam de impossibili, & vltimam de necesse, omnem oppositionem modalium comprehendes.

Vbi ponenda sit negatio vt modales oppositæ æquipolleant.

Sed pro æquipollentia aduertendum est : quod negatio posita ad modum, mutat quantitatem & qualitatem propositionis, & facit æquipollere contradictorias, sicut illa quæ proponitur signo de inesse : sed posita solum ad dictum, non mutat quãtitatem modi: sed qualitatem, & habet se vt negatio postposita signo, propter quam æquipollent contrariæ, si verò adiungatur modo simul & dicto, mutat quantitatem solum, & habet se vt negatio anteposita & postposita signo, & constituit subalternam æquipollẽtiam, vt in exemplis adductis in figura est manifestum. Con-

Conclusio. Ex duabus modalibus oppositis licitè possunt constitui omninò æquipollentes.

Probatur. Ad hoc vt aliquæ propositiones dicantur æquipollentes, sufficit quod sint de eodem subiecto & prædicato, & quod eandem veritatem & falsitatem significent: sed modales oppositæ multoties conueniunt in eandem veritatem & in eadem extrema, ergò ex oppositis possunt constitui æquipollentes. *Maior patet.* Quia omnis æquipollentia aut est in quantitate, aut in qualitate aut in solis extremis &c. Minor verò deducitur ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum nego Minorem, ad cuius probationem nego similiter Minorem, nam duplex verbum in qualibet propositione modali assignari potest, scilicet verbũ dicti, nimirum infinitiuus, consequens ad accusatiuum, & verbum modi, quod vnit modum cum dicto. Sicut est hæc copula verbalis Est. *Tunc dico ad argumentum,* quod in prædictis contradictorijs verbum dicti se habet similiter, quia in vtraque propositione affirmatur dictum, vt pote Socratem currere, non tamen verbum quod vnit modũ cum dicto, habet se similiter quia in vna modus affirmatur, dicendo Socratem currere est possibile, & in altera negatur, hoc est Socratem currere nõ est impossibile. *Resp. ad I.*

Ad secundum distinguo antecedens, contingens & possibile sunt modi longè diuersi, si *Resp. ad II*

contingens ſumatur ſpecialiter, pro omni eo quod poteſt eſſe & non eſſe, iuxta quem ſenſum opponitur neceſſario, concedo antecedens: ſi verò contingens ſumatur generaliter, quatenus dicitur de omni eo quod eſt vel poteſt eſſe, ſiue ſit neceſſarium ſiue non, nego. nam ſic conſequitur ad neceſſarium, & conuertitur cum poſſibili, vt docet Magiſter Verſorius in tractatu primo Summulatum Petri Hiſpani. Et hæc de Libro ſecundo dicta ſufficiant.

BENEDICTVS DEVS.

IN LI-

IN LIBROS POSTERIORVM ARISTOTELIS.

ARTICVLVS PROOEMIALIS.

Vtrum ſubiectum adæquatum huius ſcientiæ ſit Demonſtratio?

VIdetur quod non. *Primò.* Illud eſt ſubiectũ adæquatum alicuius ſcientiæ, ad quod ordinantur omnia quæcunque ſunt in illa ſcientia. Sed non omnia quę conſiderantur in libris Poſteriorum habent ordinem ad demõſtrationem. Ergò demonſtratio non eſt ſubiectum adæquatum ſcientiæ Poſteriorum. *Minor prob.* Nam etiam in iſtis libris tractat Ariſtot. de ſyllogiſmo ignorantiæ, ignorantia autem non continetur ſub demonſtratione vt patet, quia finis demonſtrationis eſt ſcientia. *Argum. I.*

Secundò. Subiectum vnius ſcientię, non poteſt in ſe continere ſubiectum alterius ſcientiæ diſtinctæ, ſicut verbi gratia, in ſenſibus eſt manifeſtum, nam obiectum viſus non continet in ſe obiectum auditus, ſed demonſtratio continet in ſe naturam ſyllogiſmi, ſyllogiſmus autem eſt obiectum in libris Priorum. Ergò demonſtratio non eſt ſubiectum huius ſcientiæ. *Argum. II.*

Tertiò.

Argu. III. *Tertiò.* Subiectum in qualibet ſcientia præcognoſcitur ante ſcientiam: ſed demonſtratio non præcognoſcitur ante iſtum tractatum. Ergò demonſtratio non eſt ſubiectum iſtius tractatus. *Minor eſt euidens*: quia in iſtis libris dantur definitiones & diuiſiones demonſtrationis, & ita per hunc librum incipimus cognoſcere quid ſit demonſtratio.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod iſta eſt iam poſtrema pars totius Logicæ in qua determinat Ariſtoteles per duos libros de Poſteriori analyſi, hoc eſt, de reſolutione poſterioriſtica: reſoluere autem nihil aliud eſt, niſi reducere aliquam rem ad ſua principia ex quibus eſt compoſita, cuius exemplum patet in domo, in homine, in animali, &c. nam domus eſt quid compoſitum ex tecto ex parietibus & pauimento, ac proindè reſoluere domum nihil aliud eſt, niſi reducere ipſam ad tectum, ad parietes, & pauimentum. Reſoluere enim idē videtur ſignificare, quod retrorſum ſoluere. Ariſtoteles ergò tam in Libris Priorum, quam etiam in iſtis duobus libris Poſteriorum docet nos, quo pacto debeamus ſyllogiſmos reſoluere, ſed tamen non ſub eadem ratione, quia etiam reſolutio eſt duplex: quædam enim eſt reſolutio à priori, hoc eſt, conſequentiæ alicuius ſyllogiſmi, & quædam eſt reſolutio à poſteriori, hoc eſt conſequentis.

Quid ſit Reſolutio. (margin)

Reſolutio eſt duplex. (margin)

Quid ſit Reſolutio à priori. *Illa* vocatur reſolutio à priori ſiue conſequentię, quando aliquis ſyllogiſmus reſoluitur in

in ſua principalia formalia,hoc eſt,in figuram & modum,& de iſta tractatur in Libris Priorum,vbi docet Ariſtoteles,quomodo ſyllogiſmus imperfectus & ineuidens, reducatur ad aliquem modum primæ figuræ perfectum.

Reſolutio verò à poſteriori ſiue conſequentis illa vocatur, ſecundum quam reſoluimus aliquem ſyllogiſmum in ſuas pręmiſſas, & iudicamus de illis præmiſſis an ſint neceſſarię, vel contingentes,an ſint verę vel falſę,an ſint corruptibiles vel non,&c. *Quæ à poſteriori.*

Hoc igitur ſuppoſito dico : quod licet in iſtis duobus Libris doceat nos Ariſtoteles reſoluere ſyllogiſmos in ſua principia, hoc eſt,in ſuas præmiſſas veras,& neceſſarias,non tamen ipſa reſolutio eſt ſubiectum adæquatū huius ſciētiæ,propter hanc cauſam : quia ideò nos docet reſoluere,vt nos ducat in cognitionem demonſtrationis, verbi gratia, ſi etiam aliquis artifex, vt puta faber ferrarius vellet docere puerum quo pacto ſit efficienda ſerra,aut clauis, tunc ille artifex prius debet reſoluere aliquam ſerram,vel clauem in ſuas partes, vt vel ſic puer percipiat,quo pacto ſit efficienda ſerra:ſimiliter de veſte, & de domo eſt iudicandum.Ita ergò in pręſenti,Ariſtoteles docet nos reſoluere & examinare concluſiones an conſtent ex præmiſſis neceſſariis vel non propter hunc tantum finem,vt etiam ſciamus formare demonſtrationes ex præmiſſis, veris, & neceſſariis. *Reſolutio non eſt obiectum horum Librorum.*

Con-

Conclusio. Demonstratio est subiectum adæquatũ huius scientiæ.

NOTA. *Probatur*. Illud est subiectum adæquatum alicuius scientiæ, cuius principia, partes, & passiones quæruntur ab illa scientia: sed principia, partes, & passiones demonstrationis quæruntur in his duobus libris Posteriorum, ergò demonstratio est subiectũ adæquatum huius scientiæ.

Cautè tamen aduerte, quod in hac conclusione non accipitur demonstratio primò intentionaliter, scilicet pro syllogismo qui componitur ex tribus propositionibus & tribus terminis, nam sic de illo non est definitio, neque scientia, sed accipitur secundò intentionaliter pro illo videlicet termino simplici qui est demonstratio, seu secunda intentio, & sic potest definiri & sciri, sicut est in proposito.

Resp. ad I. *Adprimum igitur dicendum*, nego Minorem, ad cuius probationem distinguo assumptum, ignorantia non continetur sub demonstratione tanquam pars vel passio demonstrationis, concedo: tanquam priuatio demonstrationis, nego, sicut in exemplo, cæcitas pertinet ad oculum, non tanquam forma oculi, sed tanquam priuatio visus, & surditas similiter est priuatio auditus.

Resp. ad II *Ad secundum*. Distinguo Maiorem, subiectũ vnius non potest in se continere subiectum alterius scientiæ pro materiali, nego Maiorem.

for-

formaliter, concedo, hoc eſt, poteſt continere in ſe eandem rem, quæ obijcitur alteri ſcientiæ, non tamen ſub eadem ratione formali, ſicut in Phyſica Ens mobile, continet in ſe ens quod eſt obiectum Metaphyſicæ, ſed non ſub illa ratione in qua obijcitur Metaphyſicæ, ſimiliter lac idem numero manens, & guſtatur & videtur, non tamen ſub eadem ratione formali videtur ſub quâ guſtatur, quia videtur vt coloratum eſt, & guſtatur vt dulce eſt & cætera.

Reſp. ad III.

Ad tertium. Diſtinguo Minorem, ſed demonſtratio non præcognoſcitur ante iſtum tractatum, quo ad quid rei, concedo Minorem, & hoc probatur in argumento: quo ad quid nominis, nego Minorem, vnde antequam hunc tractatum quiſpiam aggrediatur, neſcit quidem naturam & quidditatem demonſtrationis, prout eſt quoddam ens, ſcit tamen quidditatem & naturam huius nominis, Demonſtratio, vt patet: nam Demonſtrare eſt de vno, alterum monſtrare, hoc eſt, de principiis concluſionem.

* * *

CAPVT

CAPVT PRIMVM DE PRÆCOGNITIS.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Omnis doctrina & omnis disciplina intellectiua, ex praexistente fit cognitione.* Patet hoc in syllogismo, in enthimemate, & in omni genere disciplinæ, tam speculatiuæ, quam practicę, nam ista omnia procedunt ex cognitione pręexistente.

Secunda conclusio. Præcognitio est duplex, nimirum quid est, & quia est: præcognita autem sunt tria, scilicet principia, subiectum, & passio.

Probatur. Nam de principiis oportet præcognoscere quia sunt, de subiecto quid est, & quia est, de passione verò præcognoscitur quid est.

Tertia conclusio. Antequam syllogizetur aliqua conclusio, est cognita secundum quid, ignota autem simpliciter: nam aliâs si ita non esset, rediret illa dubitatio Menonis: qui dicebat, quod aut nihil de nouo addiscimus, aut si addiscimus, tūc illa eadem sunt cum iis, quæ antea nouimus. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnis doctrina & disciplina intellectiua fiat ex præexistente cognotione?

Argum. I. VIdetur quòd nō. *Primò.* Nam homines verè habent scientiam intellectiuam de Deo &

& angelis,sed ista scientia,non fit ex alia præcedente cognitione,ergò propositio Aristotelis falsa.*Minor prob.* nam cognitio præexistēs ante cognitionem intellectiuam,nulla alia est nisi cognitio sensitiua,sed Deus & angeli non cognoscuntur per sēsum,ergò huiusmodi scientia non est ex præexistente cognitione.

Secundò. Si omnis doctrina fieret ex præexistente cognitione,ergò iam cognitio scientifica acquiritur per studium & exercitationem: sed hoc dici non potest. Ergò illa propositio est falsa. *Minor probatur.* Quælibet potentia naturaliter tendit in suum obiectum,sicut visus in colorem, & voluntas in vltimum finem, sed verũ est obiectũ intellectus. Ergò naturaliter intellectus tendit in verum & consequēter cognoscit verum sine studio & exercitatione. *Argum. II.*

Tertiò. Doctrina & disciplina intellectiua distinguuntur realiter, Ergò Aristoteles fallit; quia videtur hoc vtrumque pro eodem accipere. *Antecedens probatur.* Illa accidentia distinguuntur realiter,quæ existunt in subiectis realiter distinctis: sed doctrina in alio est subiecto & disciplina similiter in alio: quia doctrina est in docente , & disciplina in addiscente. Ergò doctrina & disciplina distinguuntur realiter *Argu. III.*

Respondeo. Quod ad hoc vt sciamus propter quem finem attulit Aristoteles in præsenti capite hanc propositionem,omnis doctrina & disciplina intellectiua ex præexistente fit cog- *Resolutio.*

 nitionē

Opiniones contrariæ circa sciẽtiam. nitione: oportet aduertere ex eodem Aristotele li. 4. Metaph. Tex. 22. quod ante Aristot. duę fuerunt opiniones valdè contrariæ circa sciẽtiam & demonstrationem.

Prima erat Heraclyti & Cratilli, qui docebant quod nullo pacto possumus habere sciẽtiam de rebus ac proindè nulla est cognitio per demonstrationem. Ratio autem istorum fuit hæc, quoniam existimabant quòd omnia quæ sunt in rerum natura sunt singularia & cognoscuntur per sensum, & quoniam singulare quodlibet non est perpetuum sed corruptibile, scientia autem debet esse de rebus perpetuis & incorruptibilibus, hinc est, quod secundum istos dicendum erat nullam esse sciẽtiam de rebus.

Opinio Platonis. *Secunda* autem opinio erat Platonis, qui docuit contra prædictos Philosophos, quòd homines de omnibus quidẽ rebus habent scientiam, ita tamen quòd illa scientia non acquiritur de nouo, sed simul cum ipsis hominibus *Argumẽtũ Platonis.* generetur. Ratio autem sua erat hæc: quia Plato existimabat quòd quando vnus homo generat alterum hominem, tunc non inducit formam rationalem in illum hominem, sed tantum disponit corpus seu materiam: Idæa autem & species naturæ humanæ, quæ existit per se separata, inducit formam in illum hominem, quæ forma repletur omnibus specieb. intelligibilibus ad omnes scientias, iuxta eum modũ, quo S. Thom. docet, Angelos esse creatos

tos à Deo cũ omnibus speciebus rerum, quas possunt naturaliter cognoscere, quia illas species nequeunt accipere à rebus cum sint incorporei. Sic ergò docuit Plato, & addebat hoc, nimirũ, quod quia illa anima quæ infunditur in hominem, alligatur corpori, & quodammodò impeditur per ipsum, ne exerceat actus scientificos, hinc est, quod per exercitationem tollit illud impedimentum, & tandem res cognoscit, nõ quod incipiat scire quæ prius ignorabat, sed tãtũ reminiscitur eorũ, quę prius sciebat, quia propter corpus obliuionẽ cõtraxerat. Et hãc reminiscentiã ita cõfirmat Plato in quodam dialogo, qui vocatur Memnõ, cuius meminit Aristot. in hoc Tex. conclusione. 3. Ponamus, inquit, hominẽ qui modo vult aliquid scire, tunc percunctor: Aut iste homo vult scire, id ꝙ antea sciebat, aut quod nesciebat: si dices primũ, h. e. cõtra rationẽ, nemo enim desiderat cognoscere aliquid, quod iam cognouit: si secundũ, hoc etiã est impossibile, nã si ignorat, etiã si postmodũ sibi occurrerit nõ cognoscit: sicut si aliquis vellet quærere hominem quem nunquam cognouit, certè insipiens esset iudicandus, nam licet sibi ille homo obuius veniret, nõ eũ cognoscet. Ac proindè vt effugiat Plato ista incõueniẽtia, coact⁹ est dicere, quod nos volumus scire ea quę antea sciebamus, sed quodammodò obliuioni tradidimus. Aristot. igitur volẽs se opponere cõtra hos authores, statim in ingressu hui⁹ libri ponit

Confirmatio.

Doctrina Aristotelis.

hanc propositionem. Omnis doctrina & disciplina intellectiua fit, hoc est, datur (ecce contra Heraclytum & Cratillum) ex præexistente cognitione, quod est contra Platonem.

Sed aduerte quod duplex sensus potest esse huius propositionis. Primus est. Quod omnis cognitio intellectiua habet originem ex præexistente cognitione sensitiua, iuxta quē modum solet dici, quod nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Et hæc explicatio licet non continet aliquod falsum, tamen non est ad propositū, quidquid dicat Dominicus de Flandria, Dominicus Soto, Magister Glogouiensis, & alij.

Secunda explicatio est quæ colligitur ex S. Thoma in cap. præsenti lecti. 1. vbi inter alia sic dicit: Non accipitur hic doctrina & disciplina, secundum quod se habēt ad acquisitionem scientiæ tantum, sed ad acquisitionem cognitionis cuiuscunque. Et postea subdit: vocatur autem intellectiua, nam procedere ex vno ad aliud, rationis est solum. Vbi S. Doctor apertè declarat, quod doctrina & disciplina intellectiua, accipitur hic ab Aristotele, quatenus idem significat quod discursus, & quia discursus est quoddam commune ad cognitionem scientificam, ad cognitionem opinatiuam, ad coniecturalem, imò ad errorem, licet error non semper fiat cum discursu, hinc est quod sensus prædictæ propositionis erit iste, omnis cognitio discursiua causatur ex ali-

qua

qua præexistente cognitione. Nam hæc vox, Discurrere, idem significat, quod ex vno cognito in aliud currere, sicut in motu etiam potest videri, qui enim vult moueri localiter, & transire de hoc lectorio ad aliud, certè debet prius relinquere istud lectorium. Ita ergò & discursus includit terminum à quo, & ad quem, qui termini, sunt duæ cognitiones, nam terminus ad quem in syllogismo, est cognitio conclusionis, & cognitio præmissarum, est velut terminus à quo, velut principium discursus, similiter in Enthimemate cognitio Antecedentis, est terminus à quo incipit discursus, & consequentia, est ad quam terminatur discursus, & sic de alijs speciebus. *Quid per discurrere intelligatur.*

Ex quo sequitur, quod hæc Propositio non est applicanda ad angelos, quia angeli non cognoscunt discurrendo, & ita non habent scientiam ex præexistente cognitione, similiter excluduntur ab hac propositione Prima principia, quæ sunt propositiones per se verissimę, verbi gratia, quodlibet est vel non est, idem nō contingit simul esse & non esse, propter eandem causam, quia ista principia non cognoscuntur per aliquem discursum. Imò verò si Deus infunderet alicui homini scientiam, tunc illa scientia non causaretur ex præexistēte cognitione. *Quibus discursus cōpetat.*

Conclusio. Omnis doctrina & disciplina intellectiua fit ex præexistente cognitione.

Probatur. Nam de natura nostri intellectus est, vt cognoscamus res per dicursum, hoc est, cognoscendo vnum ex alio. Ergò debemus semper cognoscere conclusionem per principia, & consequenter omnis cognitio discursiua causatur ex præexistente cognitione.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego Minorem: ad cuius probationem distinguo Minorem, sed Deus & Angeli non cognoscuntur per sensum, secundum suas naturas & per se, concedo Minorem, quia sunt immateriales: secundum suos effectus, nego Minorem: vel etiam potest aliter responderi stando in doctrina articuli, negando Maiorem, scilicet quod cognitio præexistens ante cognitionem intellectiuã, quę verè est discursiua, nulla alia sit nisi cognitio sensitiua, hoc enim est falsũ, nã ante cognitionẽ intellectiuã cõclusionis, pręexistit cognitio intellectiua pręmissarũ, & hęc respõsio licet videatur obscura, est tamen melior.

Resp. ad II *Ad secundum* nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Maiorem: quælibet potẽtia naturaliter tendit in suum obiectum, in cõmuni consideratum, cõcedo Maiorem: in specie vel indiuiduo, nego Maiorem: nam quemadmodum visus non fertur ex sua natura determinatè ad hoc tantum album, vel tãtum ad nigrum, sed ad vidẽdum colorem in communi, similiter auditus ad percipiendum sonum in communi, non autem hunc vel illum particulariter: ita intellectus naturaliter tendit in

cog-

cognitionẽ veri in cõmuni, tamẽ verũ hoc vel illud cognoſcit per ſtudium & exercitationẽ.

Ad tertium nego antecedens, ſcilicet quod doctrina & diſciplina realiter diſtinguantur, nam ſunt idem habitus ſecundum rem & diſtinguuntur ratione: ſicut enim motus procedens ab agente, eſt actio, & vt recipitur in paſſo eſt paſſio, ita ſimiliter idemmet habitus quatenus à Doctore gignitur, eſt doctrina, in quantum verò à diſcipulo ſuſcipitur, eſt diſciplina. *Ad probationem autem* diſtinguo *Maiorem*. Illa accidentia quæ exiſtunt in diuerſis ſubiectis, diſtinguuntur realiter, ſecundum rationem indiuiduam & numeralem, concedo Maiorem, ſecundum rationem ſpecificam, & quidditatiuam, nego Maiorem. *Volo dicere:* quod eadem eſt realiter cognitio & habitus ſcientiæ in magiſtro & in diſcipulo, tamen ſecundum rationem diuerſam vt dixi, quia in magiſtro vocatur doctrina, & diſciplina in diſcipulo, ſicut idem radius ſolis qui exiſtit in orbe ſolari ſecundum ſuam ſubſtantiam & naturam, eſt in aere illuminato, licet in aere habeat eſſe tranſitorium, & in ſole permanens. De hoc ſatis. *Reſp. ad III.*

ARTICVLVS II.

Vtrum præcognitiones ſint tantum duæ, ſcilicet Quid eſt, & Quia eſt?

VIdetur quod non. Primò Authoritate Ariſtotelis qui in ſecundo lib. Poſteriorũ dicit, *Argum. I.*

 quod

quod quæstiones scibiles sunt 4. nimirum, si est, quid est, quale est, & propter quid est, nam ista 4. solemus interrogare. *Tunc infero:* quid est, & quia est, sunt quæstiones, ergò non sunt prçcognitiones & per consequens ipse Aristoteles contradicit suæ doctrinæ. *Consequentia probatur*, nam quærere & præcognoscere sunt longè diuersa, nemo enim quærit de aliqua re, quam præcognouit.

Argum. II. *Secundò.* Tot debent esse præcognitiones, quot sunt præcognita: sed præcognita sunt tria, vt manifestat Aristoteles in textu præsenti, ergò etiam tres erunt præcognitiones. Maior patet: quia omne quod est præcognitum, aliquâ præcognitione est præcognitum.

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam in Articulo præcedente determinauimus ex mente Aristotelis, quod omnis cognitio discursiua debet fieri ex præexistente cognitione, nunc tandem oportet ostendere, quotnam sint illa quæ præcognoscuntur ante conclusionem, & quid de vnoquoque illorum debet præcognosci, verbi gratia, si aliquis vellet se cõferre in aliquam Ecclesiam, in qua nunquam erat, & percontaretur inprimis, in quo situ & loco illa Ecclesia resideat, tunc ille, iam præcognosceret nõnulla signa Ecclesiæ, antequam videat Ecclesiam, scilicet locum, parietes, structurã &c. Ita ergò in proposito, ad hoc vt aliquis cognoscat conclusionem demonstratiuam, & eam in se habeat, requiritur omninò vt quædam præcogno-

cognoſcat, hoc eſt, principia Demonſtrationis,ſubiectum, & paſſionem, de quibus in ſequente articulo dicetur: ſed præſens difficultas continet hoc quænam ſint illę præcognitiones quibus mediantibus debemus cognoſcere hæc tria, ſcilicet principia,ſubiectum & paſſionem.

Pro quo aduerte ex Caietano in cap.præſenti, quod pręcognitio ita definitur: nihil aliud eſt niſi quædam cognitio præcedens diſcurſum, ex qua fit diſcurſus diſciplinabilis. Et quoniã diſcurſus qui pertinet ad tertiam operationẽ noſtri intellectus, generatur ex prima & ſecunda operatione, ſeu quod idem eſt, ex ſimplicium terminorum apprehenſione, & etiã ex compoſitione,idcircò præcognitio iſta aut eſt prima, aut ſecunda operatio intellectus. Prima autem operatio intellectus, habet pro io obiecto ens incomplexum, & apprehenit eius quidditatem ſimplicem, ſiue quo ad em & naturam ipſius,verbi gratia, homo eſt nimal rationale, & albedo ſecundum rem & aturam ſuam eſt color diſgregans viſum &c. ie etiam quo ad nomen tantum, verbi gra-a, hoc nomen Homo,idem ſignificat quod s facta ex humo,& lapis ſecundum nomen quædam res lædens pedem, apis autem eſt imal ſine pede &c.Et ita præcognitio iſta r quam cognoſcimus obiectũ primæ operionis intellectus,vocatur ab Ariſtot. in pręi cap. quid eſt,ſiue quid rei,ſiue quid nominis

Quid ſit præcognitio.

Præcognitio quid eſt.

nes: si autem volumus loqui de secunda operatione intellectus, quæ vocatur compositio, verbi gratia, dicendo, homo est animal, corpus est substantia & cætera: tunc obiectum istius operationis est aliquid complexum, hoc est, propositio affirmatiua significans esse, vel negatiua quæ significat non esse, & ita præcognitio ista vocatur hic ab Aristotele Quia est, propter hanc causam: quia per eam cognoscimus de aliquo obiecto quia existit realiter in rerum natura, aut etiam quia est verum, verbi gratia, dicendo, Petrus est, paries est, cognosco quia sunt: at verò Petrus est animal, paries est albus, cognosco quia sunt vera.

Præcognitio quia est

Conclusio. Duæ tantum sunt præcognitiones, ita quod non possunt esse plures aut pauciores.

Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum.* Distinguo Minorem, quid est & quia est sunt quæstiones, si sumantur interrogatiuè, concedo Minorem, si sumantur pro notitia eorum quæ ingrediuntur demonstrationem, nego Minorem.

Resp. ad II. *Ad secundum* distinguo Maiorem. Tot debent esse præcognitiones quot sunt præcognita, sumendo præcognitiones in specie, concedo Maiorem: in genere, nego Maiorem: quia duæ sunt tantum præcognitiones in genere scilicet Quid est & Quia est, vt dictum

est

est,in specie autem alia est præcognitio quid, & alia quid nominis & quid rei, similiter quia est simpliciter,& quia est verum.Sed pro maiori intelligentia huius dubij: sit

ARTICVLVS III.

Vtrum tria tantum sint præcognoscenda ante quamlibet demonstrationem, videlicet Principia,Subiectum, & Passio?

VIdetur quod nõ *Primò* de Principijs.Principia non possunt præcognosci ante demonstrationem. Ergò duo tantum erunt præcognita, hoc est, subiectum & passio. *Antecedens probatur*, nam ipsemet Aristoteles docet inferius in istis libris, quod hæc Propositio: quodlibet est vel non est,est quoddam principium, & in alio loco idem Aristoteles dicit,quod ex hac propositione non potest aliquid concludi syllogisticè. Ergò si nõ potest ex hoc principio aliquid concludi,certè principium istud non potest pręcognosci ante demonstrationem. *Argum. I.*

Secundò. Si subiectum & propria passio præcognoscerentur ante demonstrationem quo ad quid est. Ergò iam perfectè scirentur ante demonstrationem, & ita frustra esset demonstratio. Sed hoc non potest dici, ergo & primum. *Sequela Maioris probatur*: nam quęlibet res tunc perfectè scitur, quando *Argu.II.*

quando cognoscitur ipsius quidditas, si ergò ante demonstrationem cognoscimus subiectum quo ad quid, & similiter passionem quo ad quid, Ergò tam subiectum quam passionem perfectè cognoscimus. *Minor verò probatur*, nam ideo conficitur demonstratio vt per eam sciamus primò an passio inest suo subiecto, ac consequenter ante demonstrationem nescimus passionem quo ad quid.

Argu. III. *Tèrtiò*. De Passione. Illud quod non habet naturam & quidditatem, non potest ante Demonstrationem quo ad quid præcognosci. Sed passio non habet naturam & quidditatem. Ergò passio non præcognoscitur quo ad quid, cuius tamen oppositum docetur in Textu. Minor est Aristotelis libro septimo Metaphys. vbi dicit. Quod sola substantia definitur. *Tunc infero:* Ergò sola substantia habet quidditatem & naturam: Passio autem nō potest esse substantia.

Argu. IV. *Quarto*. De Subiecto. Si de subiecto præcognosceretur quia est, percunctor, aut istud quia est, idem significat quod esse verum, & hoc non, quia subiectum non est quid complexum, & consequenter non est verum aut falsum, aut verò significat idem quod actu existens, sed hoc secundum est etiam falsum. Ergo nulla est doctrina. *Minor probatur:* Nam illa quæ existunt, sæpenumerò corrumpuntur, nec possunt esse perpetua. Sed scientia est de incor-

corruptibilibus & æternis. Ergò de his quæ non exiſtunt actualiter.

Reſpondeo. Quod præcognitum in præſenti nihil aliud ſignificat, niſi illud quod neceſſariò cognoſcendum eſt ante Demonſtrationem, & quoniam omnis Demonſtratio habet in ſe Principia ſeu præmiſſas, & etiam concluſionem: concluſio autem in demonſtratione conſtat ex ſubiecto & propria paſſione, hinc eſt, quod tria hæc ante omnem Demonſtrationem, hoc eſt, ante concluſionem Demonſtratiuam, oportet præcognoſcere, videlicet principia, ſubiectum, & paſſionem, verbi gratia, ſi ego modo vellem alicui probare demonſtratiuè & & euidenter quod homo eſt riſibilis, tunc antequam hoc aggrediar, oportet me primò cognoſcere ſubiectum huius concluſionis, ſcilicet hominem, & ſimiliter prædicatum ſeu paſſionem, nimirum riſibile, & vltra hoc, cauſam ſeu medium propter quod homo eſt riſibilis, illa autem cauſa eſt Rationale, nam ideò homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis, & ita diſpono hanc cauſam, ſcilicet rationale, per quaſdam Propoſitiones, quod in Propoſitione maiori prædicatur riſibile de rationali, dicendo, Omne rationale eſt riſibile, & in minori prædicatur hæc cauſa de ſubiecto concluſionis, ſcilicet rationale de homine, dicendo Omnis homo eſt rationalis, & tandem poſtquam illam cau- *Reſolutio.* *Quid ſit præcognitum.*

ſam

ſam iam applicauero tam ad hominem, quam ad riſibile in præmiſſis, infero concluſionem demonſtratiuam, in quia riſibile prædicatur de homine dicendo: Ergò omnis homo eſt riſibilis, quæ concluſio vt patet illata eſt ex illis principijs.

Quâ præcognitione præcognoſcantur præcognita.

Hoc ſuppoſito nempe quod tria iſta debent præcognoſci, reſtat adhuc quærere, ſecundum quam præcognitionem vnumquodque ex his tribus præcognoſcatur, vel quia eſt, vel quid eſt.

De principiis præcognoſcendũ quia tunc.

Pro cuius reſolutione dico ſigillatim de iſtis tribus: & primò quidem de Principijs debet præcognoſci quia ſunt, non autem quid ſunt: volo dicere, quod quando nos volumus inferre aliquam concluſionem demonſtratiuam, tunc oportet omninò vt præcognoſcamus cauſam ſeu principia illius concluſionis, hæc autem præcedens cognitio vocatur quia eſt, ſeu quia principia vera ſunt, non autem eſt neceſſarium præcognoſcere de illis principiis, quid ſunt, propter hanc cauſam, quia principia demonſtrationis ſunt propoſitiones complexæ, & ita non poſſunt habere definitionem aut quidditatem, niſi hanc quia ſunt, vera, ſiue illa principia ſint extrinſeca, verbi gratia, hæc propoſitio: quodlibet eſt vel non eſt: ſiue intrinſeca cuilibet demonſtrationi particulari, ſicut eſt definitio, de his enim omnibus

nibus oportet præcognoſcere ante concluſionem demonſtratiuam, an ſint vera vel non. Et hoc quoad principia.

Si autem volumus ſcire quo modo Paſſio ſit præcognoſcenda, tunc dicendum eſt quod de Paſſione non oportet præcognoſcere an ſit, imò nec oportet præcognoſcere quid ſit ſecundum rem: ſed ſatis eſt quid ſit ſecundum nomen, hoc eſt, quid ſignificet illud nomen, quod ponitur loco paſſionis in concluſione. Explico hoc, dixi, quod ante demonſtrationem non præcognoſcitur de paſſione an ſit, quia eſſe paſſionis nihil aliud eſt niſi inhærere & conuenire ſuo ſubiecto, & quoniam nihil aliud intendimus probare per demonſtrationem, niſi quòd paſſio ineſt ſubiecto in concluſione demonſtratiua, hoc eſt, quod non præcognoſcitur paſſio præcognitione quia eſt: præterea neque etiam præcognoſcitur de paſſione quid ſit ſecundum rem, propter eandem cauſam, quoniam paſſio ſecundum rem & ſecundum quidditatem ſuam, dicit habitudinem ad ſubiectum, ſicut riſibile ad hominem, & calor ad ignem, & quia ante demonſtrationem non mihi conſtat cuinam ſubiecto conueniat aliqua propria paſſio, hinc eſt, quod de paſſione non præcognoſcitur quid rei, ſed tantum quid nominis.

De paſſione præcognoſcendū. Quid nominis.

nis,& hoc solum sufficit,quid nimirum significet nomen ipsius passionis,nam si hoc nesciremus,certè non poterimus quærere principia & causas illius passionis, v. g. quando volumus concludere per demonstrationem, quod homo est risibilis,oportet præcognoscere risibile, non præcognitione quia est,nec præcognitione quid est secundũ rem,sed quid est secundum nomen,seu quid significet hoc nomen, Risibile: Risibile enim secundum nomen significat animal,quod extenso ore manifestat gaudium,& suppositâ hac præcognitione,deinde quærimus per demonstrationem cui subiecto conueniat istud risibile, & propter quam causam: Et hoc quoad passionem.

De subiecto præcognoscendũ Quia est & Quid est.

Si autem volumus scire quomodo subiectũ conclusionis debeat præcognosci,tunc dicendum est,quod de subiecto oportet pręcognoscere vtramque præcognitionem,nimirũ quia est,& q̃d est,differẽter tamen,nã si ille qui vult demonstrationẽ facere de nouo, adinuenit illã sciẽtiã, seu demõstrationẽ & est author illi⁹, tũc ante demonstrationẽ debet præcognoscere de subiecto quia est actu existẽs, quoniã ille author ex cognitione sẽsitiua,incipit quærere scientiam,& ita sicut præcognitio sensitiua respicit obiectum existens,ita illa cognitio intellectiua debet præsupponere subiectum esse actu in rerum natura: de alijs verò qui non sunt authores alicuius demonstrationis,oportet omninò fateri,quod debẽt præcognoscere sub-

ſubiectum quia poteſt exiſtere, & hoc ſufficit, quidquid dicant nõnulli Thomiſtæ grauiſſimi, nam hæc via conuincit Ferarienſem lib. 1. contra Gentes cap. 66; neque diſplicet Magiſtro Sanches in præſenti.

Hoc ſuppoſito dico vlterius, quod ſubiectum habet etiam aliam præcognitionem ſcilicet quid eſt, ſed hanc etiam differenter, nam ſi eſt demonſtratio à priori ſeu per cauſam, tũc præcognoſcitur ſubiectum quo ad quid rei, nam præcognoſcitur revera illa cauſa; quæ cauſa eſt eſſentia & quidditas ſubiecti, v. g. omne animal rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt animal rationale, ergò omnis homo eſt riſibilis. Vbi ſubiectum concluſionis, ſcilicet, homo, præcognoſcitur ante cõcluſionem quo ad quid rei, videlicet in ipſis præmiſſis, & maximè in propoſitione minori, cũ dicitur quod omnis homo eſt animal rationale. Si autem fuerit demonſtratio à poſteriori ſeu per effectum, tunc ſufficit præcognoſcere quid nominis ipſius ſubiecti, & non quid rei, verbi gratia, omne riſibile eſt rationale, ſed omnis homo eſt riſibilis. Ergò omnis homo eſt rationalis: vbi cauſa eſt in concluſione, & in præmiſſis effectus, & idcircò in huiuſmodi demonſtrationibus non præcognoſcitur de ſubiecto an ſit vel quid ſit ſecundum rẽ, ſed tantum quid nomen ſignificet.

Concluſio. Tria ſunt tantummodò præcognita in qualibet demonſtratione.

Probatur. Præcognitũ nihil aliud est nisi illud quod necessariò cognoscitur ante Demõstrationem: sed tria tantum præcognoscenda sunt ante Demonstrationem necessariò, ergò tria tantum sunt præcognita: Minor patet ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego antecedens: ad cuius probationem nego consequentiam: & ratio est, quoniam licet ex hac Propositione non possit aliquid syllogisticè concludi, tamẽ hæc Propositio est præcognoscenda, quia in isto Principio generali & extrinseco includuntur quodammodò plura alia Principia intrinseca.

Resp. ad II. *Ad secundum*, distinguo antecedens: subiectum & passio præcognoscuntur ante Demõstrationem, quo ad Quid est, ad eum sensum, quod passio cognoscatur quo ad quid rei, nego antecedens & in hoc totum argumentum laborat. Quo ad quid nominis, cõcedo ãteced. sed nego consequentiam, vt dictum est in corpore: scio aliam responsionem M. Glogouiẽsis circa hoc cap. in argumento 4. sed certè à Thomistis non est sustinenda.

Resp. ad III. *Ad tertium*, nego Minorem, ad cuius probationem admitto authoritatem Aristotelis, & explico illam, quãdo enim dicit Aristot. quod sola substantia definitur, definitione intrinsecâ & essentiali concedo, additamentali & per aliquid extrinsecũ, nego, & talis est passio licet non præcognoscatur quo ad quid rei, vt dictum est.

Ad quartum.Dico quod de ſubiecto præco- *Reſp.ad IV.*
gnoſcitur quia eſt,non quia verum, ſed quia existens, aliquando quidem in actu, ſi tale ſubiectum comparatur ad inuentorem ſcientiæ de nouo, aliquando verò in potentia, vt in alijs õnibus demõſtrationibus,& ita quia eſt poſſibile exiſtere, præcognoſcitur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum in eodem inſtanti temporis in quo cognoſcitur Minor propoſitio,cognoſcatur etiam concluſio?

VIdetur quod nõ.*Primò.*Si minor propoſitio *Argum. I.*
cognoſceretur ſimul cũ concluſione,ergò iam ſuperfluum erit cognoſcere concluſionem in ſe ipſa. Conſequentia prob. Nam ille dicẽdus eſt ſuperfluè aliquid cognoſcere,quãdo vult cognoſcere id quod iam de facto cognouit,ſi ergo cognoſcẽdo Propoſitionẽ minorẽ,cognoſco etiam ſimul & ſemel cõcluſionem.Ergò non erit neceſſaria,imò erit ſuperflua cognitio concluſionis.

*Secundò.*Omne agens quod operatur liberè *Argum. II*
poteſt aliquid facere & non facere, quia poteſt velle & nõ velle:ſed homo eſt agẽs liberũ,ergò quãdo diſcurrit per ſyllogiſmũ,poteſt pro ſuo arbitrio, cognoſcere maiorem & minorem propoſitionem,& tamen ſuſpendere actum, vt non admittat concluſionem,& ita non cognoſcet ſimul minorem cum concluſione.

Argu. III. *Tertiò.* Benè ego possum acceptare aliquam conclusionem tanquam veram, & illi credere, priusquam credidero propositioni minori. Ergò conclusio non cognoscitur simul cum propositione minore. Antecedens patet in multis, si enim argumentarer sic. Omne risibile est animal rationale. Sed omnis homo est risibilis. Ergò omnis homo est animal rationale: tunc in hoc argumento prius cognoscitur conclusio quam minor propositio, hoc est, prius cognosco quod omnis homo est animal rationale, quam quod omnis homo sit risibilis, quæ erat minor: quia rationale est causa risibilitatis.

Resolutio. *Respondeo.* Quod dupliciter aliqua res potest cognosci: vno modo cognitione actuali, *alio* *Duplex rei cognitio.* modo cognitione virtuali. Illa est cognitio actualis, secundum quam res in se ipsa cognoscitur, verbi gratia, quando ego cognosco vestem vt in se existentem, vel etiam hominem aut aliquid aliud. *Illa autem* est cognitio virtualis, secundū quam cognoscitur res vt in sua causa existens, v.g. ego in præsenti hora cognosco diem crastinum, & cognosco æstatem post 14. hebdomadas venturam, sed hæc cognitio est virtualis ex eo quia ista õnia cognosco in suis causis virtualibus, videlicet in motu cælesti, qui efficit diem, ęstatē & annos.

Hoc igitur supposito, dico. Quod cognitio illa per quam cognoscimus præmissas seu principia alicuius demonstrationis, in hoc differt

à cog-

à cognitione per quam cognoſcimus concluſionem demonſtratiuam: quia cognoſcendo præmiſſas cognoſcuntur etiam virtualiter concluſiones, iam præmiſſæ ſunt cauſa cognitionis ipſius concluſionis, & ita aſſenſus qui terminatur ad præmiſſas cõcurrit efficienter ad illum aſſenſum ſeu cognitionem quæ terminatur ad concluſionem, adeò vt hęc cauſalis ſit vera. Ideò iſta concluſio eſt vera, quia præmiſſæ ſunt veræ, & ideò cognoſco concluſionem, quia cognoui præmiſſas. Imò poteſt dici & clarius cum alijs Thomiſtis, quod dum aliquis aſſentitur præmiſſis, neceſſitatur ad hoc vt etiam admittat concluſionem, quæ vt dixi virtualiter in præmiſſis continetur, ſicut & arbor generanda in æſtate ſequente, habet modo præexiſtentiam virtualem in radice alterius arboris, quia iſta arbor quæ modo eſt, effectiuè concurret aliquando ad generandum. Et ſic eſt intelligenda illa propoſitio huius capitis: Omnis doctrina & diſciplina intellectiua ex præexiſtente fit cognitione. *Ex quo infero duo.*

Primum eſt: quod quando aliquis format ſyllogiſmum ex maiori & minori propoſitione, & neſcit ſi eſt bona conſequentia vel non, tunc ille poteſt admittere Maiorem & Minorem, & non admittere concluſionem, vt puta ſi quis diceret, paries eſt ſubſtantia, ſed Petrus eſt ſubſtantia. Ecce ambæ veræ, & tamen ne-

gabo consequentiam, scilicet, quòd Petrus sit paries, & ita non simul cognoscetur Minor & conclusio.

Infero secundò. Quod licet prius naturâ assentimur Propositioni maiori & minori, quia illæ Propositiones sunt causæ conclusionis quando conclusio est bona consequentia, tamen in eodem instanti temporis cognoscitur minor & conclusio. Et ratio hoc videtur conuincere, nam si non simul cognosceretur minor & conclusio, sed potius esset aliquod tempus medium, certè hoc tempus idcircò poneretur, vt in illo apprehendamus terminos ipsius conclusionis, quod tamen est falsum: quia quando est syllogismus demonstratiuus in bona consequentia, apprehensis terminis ante conclusionem, statim cognoscitur conclusio.

Obiectio. *Neque* mihi obijcias cum aliquibus oppositum, ex eo quia intellectus efficiens Demonstrationem verè discurrit, & ita in diuerso tempore debet cognoscere antecedens & consequens. Nam hæc replica supponit vnum falsum, nimirum, quod de ratione discursus est, vt cognoscatur antecedens in vno tēpore, & consequens in alio, imò verò in hoc cōsistit ratio formalissima discursus, quod cōsequens cognoscatur ex vi cognitionis ipipsius antecedentis, alio actu & alia cognitione distincta ab antecedente, tāquā effectus à causa, quamuis hoc totum fiat in eodem tempore.

Con-

Conclusio. In eodem instanti temporis intellectus assentitur conclusioni & minori propositioni, licet hoc fiat per distinctas cognitiones & actus.

Probatur prima pars, ex verbis Angelici Doctoris, qui in hoc Libro cap. 1. lectione 2. sic inquit: Si sic demonstret aliquis. Omnis triãgulus habet tres angulos æquales duobus rectis, istâ Propositione cognitâ, nondum habetur conclusionis cognitio, sed cum postea accipitur. Hæc figura in semicirculo descripta, est triangulus: statim scit, quod habeat tres angulos. Ecce S. Doctor dicit, Statim scit, ac si diceret, in eodem instanti.

Sed probatur hæc prima pars, ratione. Omnis conclusio demonstratiua fit ex terminis suarum præmissarum, & continetur in eis virtualiter tanquam in causa, vel tanquam arbor in semine. Ergò non potest esse aliquod impedimentum, propter quod conclusio non sequatur ex præmissis in eodem instanti.

Secunda vero pars, scilicet quod hoc fiat per diuersas cognitiones & actus, probatur. Cognoscere aliquid per se & cognoscere aliquid propter aliud, sunt distinctæ cognitiones actu: sed principia Demonstrationis cognoscũtur per se, & sine aliquo medio, ex sola connexione essentiali terminorum, Cõclusio autem cognoscitur per aliud, scilicet per Principia, quia est effectus Principiorum, ergo istæ cognitiones & isti actus sunt specie distincti.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo antecedens. Ille superflue aliquid cognoscit, quando vult cognoscere id quod iam de facto cognouit, cognitione actuali & distinctâ, concedo antecedens: cognitione virtuali & confusâ, nego antecedens: conclusio autem cognoscitur in præmissis virtualiter, tanquam in causa.

Resp. ad II *Ad secundum*, distinguo Minorem, sed homo est agens liberum, si consideretur absolutè & simpliciter, concedo Minorem: ex suppositione, nego Minorem. *Volo dicere*, quod licet homo secundum naturam consideratus possit aliquid operari vel non operari, cognoscere vel non cognoscere, tamen supposito quòd cognouit bonitatem consequentiæ, & etiam supposito hoc, quòd apprehendit præmissas, necessitatur quodammodò intellectus hominis quo ad exercitium & specificationem vt admittat conclusionem: Et hæc responsio est S. Thomæ in 2.2. q. 2. artic. 9. in responsione ad secundum, vbi dicit S. Doctor, quòd assensus scientiæ, non subijcitur libero arbitrio, quia sciens cogitur ad assentiendum per efficaciam demonstrationis, consideratio verò actualis, subiacet libero arbitrio. Hæc ille.

Resp. ad III. *Ad tertium*, nego antecedens, ad cuius probationem *Dico*: quod in illo syllogismo prius cognosco minorem propositionem, quam conclusionem, licet enim minor illa, scilicet,

sed

sed omnis homo est risibilis, sit posterior respectu conclusionis per modum consequentis, tamen per modum consequentiæ potest esse prior.

CAPVT II. III. IV. ET V. DE DEFINITIONE DEMONSTRATIONIS.

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. Scientia perfectißima ita definitur: scire est rem per causam cognoscere, & quoniam illius est causa, & quòd non contingit aliter se habere, verbi gratia, vt aliquis sciat hominem esse risibilem, opus est, vt prius cognoscat rationalitatem, deindè quod rationalitas est causa propter quam homo est risibilis, & tamen vt sciat rem aliter se habere non posse, hoc est, quod quotiescunque ponitur hæc causa, scilicet rationalitas, ponitur etiam talis effectus, scilicet risibile. *Quid sit scientia.*

Demonstratio autem duas habet definitiones: *Prima est*, quæ explicat quid significet hoc nomen Demonstratio, & est talis: Demonstratio est syllogismus faciens scire, hoc est, finis demonstrationis est generare scientiam. *Quid sit Demonstratio.*

Secunda definitio. Demonstratio est syllogismus constans ex veris, primis, & immediatis, notioribus, & prioribus, & causis conclusionis.

Dico, ex veris, quoniam illud quod non est, sciri non potest.

Ex primis autem, hoc est ex proprijs principiis, principium verò Demonstrationis est est propositio immediata. Sed propositio immediata est illa, quâ non est altera prior.

Dico ex notioribus, nam si propter principia & præmissas credimus conclusioni, & illam acceptamus tanquã veram, profectò multo magis debent esse notiores præmissæ quam conclusio, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt si amamus aliquem hominem propter amicum, magis amicũ amamus. Et exinde sequitur, quã grauiter errauerint quidam Philosophi ante Aristotelem, ex quibus nonnulli dicebant, quod nullius rei est scientia, & alij è contra, quod omnium rerum est scientia per demonstrationem.

Secunda conclusio. Syllogismus Demonstratiuus debet constare ex Propositionibus necessariis, Duæ autem conditiones requiruntur ad hoc, vt aliquæ Propositiones sint necessariæ: *prima est,* vt sint de omni, hoc est, quod prædicatum in illis Propositionibus verificetur de omni eo quod continetur sub suo subiecto, & pro omni tempore, sicut est hæc propositio. Homo est animal rationale, nam rationale verificatur de omni eo quod continetur sub homine & semper.

Secunda conditio. Quod sint Propositiones per se.

Sed

ſed aduerte: quod modi per ſe ſunt 4. *Primus* quando prædicatum eſt de eſſentia ſubie-,v.g. hæc eſt per ſe, homo eſt animal, homo rationalis &c. *Quatuor modi Perſeitatis.*

Secundus eſt quando ſubiectum pertinet ad initionem prædicati, ſicut homo eſt riſibi- nam homo pertinet ad definitionem riſi-is, riſibile enim eſt aptitudo hominis ad ri-ndum.

Tertius modus eſt non per ſe prædicandi, ſed r ſe eſſendi, quando videlicet aliqua res non æret alicui ſubiecto, cuiuſmodi ſunt om-s ſubſtantiæ.

Quartus modus eſt per ſe cauſandi, hoc eſt, ando effectus prædicatur per ſe de ſua cau- v.g. Ædificator ædificat, prius viuens mor-um eſt, &c. Demonſtratio ergò conſtat ex opoſitionibus per ſe, in primo, ſecundo, aut arto modo perſeitatis.

Tertia concluſio. Vniuerſale Prædicatum illud eſt, od dicitur de omni per ſe, & ſecundum quod ipſū: ut eſſe rationalem, omni homini conuenit r ſe, & ſecundum quod eſt homo: Cæterum e ſenſibilem, non dicitur prædicatum vni-rſale reſpectu hominis, quia licet omnis mo ſit ſenſibilis per ſe, non tamen ſecundum quod eſt homo eſt ſenſibilis, ſed in quantum eſt animal. Hæc de Textu.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ſcientia ſit cognitio rei per cauſam?

Argum. I. Videtur quod non. *Primò.* Multæ ſunt res quæ à nobis perfectè ſciuntur, & tamen non per aliquam cauſam, ergò ſcientia non eſt cognitio rei per cauſam. *Anteced.* poteſt deduci ex ipſo Ariſtotele lib. 1. de Anima. Vbi docet quod anima cognoſcitur per motum & ſenſum, vt puta dum aliqua res mouetur à ſe ipſa, & ſentit aliquid videndo, audiendo, &c. Tunc enim cognoſcimus illam rem habere in ſe animam. *Tunc vltra*: Sed motus & ſenſus non comparantur ad animam tanquam cauſa ad ſuum effectum, imò verò è contra res ſe habet, nimirum quod anima eſt cauſa mouendi & ſentiendi, ergò iam cognoſcimus aliqua entia, ſcilicet animata, & tamen non per cauſam.

Argum. II *Secundò.* Si ſcire eſſet rem per cauſam cognoſcere, ergò de illo ente quod nullam habet cauſam, non poteſt eſſe aliqua ſcientia, quod tamen eſt falſum: quia Metaphyſica & Theologia ſunt veræ ſcientiæ, quæ tractant de Deo, cuius nulla eſt cauſa vt patet, quia nihil eſt ipſo prius, imò & entia rationis verè ſciuntur, & tamen non habent cauſam nec ſunt factibilia, vt docent Thomiſtæ.

Argu. III. *Tertiò.* Si ſcire eſſet rem per cauſam cognoſcere,

ſcere,ſequeretur quod in omni ſcientia procedendum eſſet in infinitum, & ita nullam ſciẽtiam haberemus determinatam, quia infinitũ pertranſiri non poteſt. *Conſequentiam ſic oſtendo:* omne quod ſcimus, ſcimus per cauſam vt dicit textus: ergò & illam cauſam debemus ſcire, & poſtea illam cauſam per aliam, & ſic in infinitum.

Reſpondeo. Quod poſtquam Ariſtoteles in cap. præcedente docuit, dari ſcientiam quæ de nouo acquiritur per demonſtrationem, ex præexiſtente cognitione principiorum, ſubiecti, & paſſionis, nunc tandem bono ordine explicat quid ſit ſcientia, & ſimiliter quid ſit demonſtratio. *Reſolutio.*

Et aduerte : quod totus iſte liber in tribus punctis conſiſtit: In primo enim quærit Ariſtoteles, an ſit ſcientia & Demonſtratio, & reſpondet huic quæſtioni in cap. 1. de quo iam dictum eſt. Deindè in ſecunda parte interrogat: quid ſit Demonſtratio, & de hac re latiſſimè diſſerit ab hoc cap. 2. vſque ad 16. & tandem ab illo cap. 16. vſque ad finem lib. 1. qualis ſit Demonſtratio declarat. Quantum igitur ad præſens dubium attinet, quærimus nunc: vtrum tunc aliquis dicatur ſcire aliquam rem perfectè, quando cauſas illius rei cognoſcit?

Quare Ariſtoteles hoc capite agat de ſcientia.

Pro cuius intelligentia ſciendum eſt: quod ratio propter quam Ariſtoteles proponit in præſenti definitionem ſcientiæ, hæc eſt: nam demonſtratio generat ſcientiam & ita finis eius

ius est facere scire, ac proinde ad hoc vt cognoscamus naturam & finem Demonstrationis, oportebat aliquid tractare de scientia, quæ sic definitur. Scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est, & quoniam illius est causa, & quod non contingit aliter se habere. Quæ definitio sic est intelligenda: Nam quælibet res, in tantum est vera seu scibilis, quatenus est ens: sicut ille homo dicitur verus homo, qui est ens entitate hominis, & cuius causæ & principia sunt huiusmodi quæ debentur homini: similiter verum aurum illud vocatur, quod constat ex principijs auri &c. ac proinde si quælibet res eo est vera quo est ens, benè sequitur quod ex eisdem principijs & causis aliqua res habet, quod sit ens, ex quibus habet quod sit vera. Sic enim docet Aristoteles libro 2. Metaphysicæ, quod eadem sunt Principia esse rei, & veritatis ipsius, vnde nullus potest aliquam rem verè cognoscere, nisi sciat causam illius rei.

Explicatio definitionis sciētiæ.

Cōditiones ad sciētiā requisitæ.

Sed hoc nondum sufficit, nam etiã ego cognosco nunc annum sequentem, imò & millesimũ qui postea erit, in causa, scilicet in motu cælesti, similiter & arborem quæ generabitur in æstate sequente cognosco etiam nunc in causa, hoc est, in radice, in quantum ista radix potens est generare arborem, & tamen nec perfectè cognosco illum annum millesimum, sed tantum secundum quid

& in

& in virtute. Requiritur ergò alia conditio, scilicet, cognoscere applicationem causæ ad effectum, hoc est, vt hanc causam applicemus huic certo & determinato effectui, & illam alteri, & propterea addidit Aristoteles in hac definitione scientiæ illa verba, & quoniã illius est causa.

Sed nec hoc sufficit ad perfectam rei scientiã, nimirum, cognoscere causã & appplicationẽ ipsius causæ, nã etiã & sensus benè cognoscit causam alicuius effectus, v.g. videndo ignem, cognoscit ipsum esse causam respectu fumi, & artificem esse causam domus & cætera, licet in sensu non sit scientia. Requiritur ergò tertia conditio, scilicet, quod illa res quæ scitur non possit aliter se habere, sed sit quoddam ens vniuersale & incorruptibile, & hoc non apparet in cognitione sensitiua, quæ terminatur ad obiectum particulare & corruptibile: Ista autem conditio colligitur ex verbis Aristotelis dum infert, Et quoniam non contingit aliter se habere. Et hæc est completa definitio scientiæ perfectissimæ quæ est à priori, in qua ex cognitione causæ solemus deuenire ad cognitionem effectus, v.g. si quis cognosceret calorem per ignem, & risibile per rationalitatem &c.

Scientia autem seu Demonstratio à posteriori non datur p causã præsertim in essendo, sed tantum per effectum, vt si quis cognosceret ignem ex fumo, & ex risibili rationalitatem, *Demõstratio à posteriori.*

sed

sed de hoc in sequentibus. Collige ergo ex hoc loco hanc doctrinam vtilissimam, nimirum quod omnis scientia humana est cognitio obiecti per causas obiecti. Logica enim cognoscit ens rationis per principia & definitiones entis rationis, Physica similiter cognoscit ens mobile, per causas ipsius entis mobilis, & sic de alijs.

Conclusio. Definitio scientiæ tradita ab Aristotele est conueniens, scilicet: scire est rem per causam cognoscere, dummodò intelligatur de definitione quid Nominis & non quid Rei.

Probatur prima pars. Tū ex Aristotele in præsenti: tum ex his quæ dicta sunt in corpore.

Secunda verò pars, scilicet quod hic definiatur scientia quo ad quid Nominis, & non *quo* ad quid Rei, est contra Iacobum Zabarellam, qui suppresso nomine S. Doctoris facilè pertransit & docet quod hæc definitio constat ex genere & differentia. Hæc tamen particula conclusionis est expressa mens S. Thomæ, & ipsius Aristotelis: nam Aristoteles dicit, scire opinamur vnumquodque &c. & non dixit scire est aliquid, tale, vel tale &c. Est etiam S. Thomæ, quoniam ipse in explicatione huius Textus addit hoc. Si quis rectè consideret, per hanc notificationem magis ostenditur quid nomen significet, quam quid directè significetur.

Ad primum igitur dicendum distinguo āteced. multæ sunt res quæ à nobis sciuntur & tamē non

on per causam, si sciuntur à posteriori, concedo antecedens: à priori, nego antecedens, & c accipitur in præsenti.

Ad secundum eadem responsione vtēdum est. Distinguo enim cōsequētiā. Ergò de illo ente quod nullam habet causam non potest haberi scientia; à priori, concedo consequentiam: à posteriori, nego consequentiam: sic enim Deum cognoscimus. *Vel potest dici*, quod quāuis in Deo non sit verè causa alicuius attributi seu proprietatis diuinæ, nihilominus est ibi aliquid tanquam ratio alterius; quod sufficit ad scientiam propriè dictam, verbi gratia, cognoscimus nos Deum creasse mundum, quia sapiens est, redemisse homines, quia misericors est, esse immutabilem & incorruptibilem, quia est actus purus, nihil habens de potentialitate, esse remuneratorem, quia iustus est &c.

De entibus autem rationis dicō. Quod entia rationis habent quodammodò causam velut fūdamentalem, & etiam formalem: nam entia realia, & conceptus purè reales, sunt fundamēta secundarum intentionum, quia ex istis entibus consequuntur quędā relationes rationis, quę sūt ētia rationis, v.g. genereitas, prędicabilitas &c. consequuntur res existentes in conceptu animalis, vel hominis: causa verò formalis, sūt ipsæ formæ seu relationes rationis, nam propter respectum rationis est aliquid formaliter ens rationis, vt patet.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego consequentiam: ad cuius probationem distinguo conseq. ergò & illam causam debemus scire per scientiam propriè dictam, nego consequentiam, per intellectum qui est habitus primorum principiorum, concedo cõseq. sed ita iam nõ procederemus in infinitũ, sed potius erit status ipsius sciẽtię in hoc intellectu. De hoc satis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Demonstratio sit conuenienter definita ab Aristotele?

Argum. I. *Videtur quod non. Primò.* Contra primam definitionem. Nam prima definitio erat hæc: Demonstratio est syllogismus faciẽs scire. *Tunc* si Demonstratio facit scire, ergò scire est effectus Demonstrationis. Ergò non est finis Demonstrationis. *Secunda consequentia probatur.* Nam finis est ille propter quem aliqua causa operatur, & ita finis est causa quædam quæ primò mouet agentem ad operandum, ergò scientia si est finis Demonstrationis non est effectus eius: cuius oppositũ docet prædicta definitio.

Argu. III. *Secundò.* Cõtra secundam. Potest aliquis scire verum ex præmissis falsis & quæ non sunt prima principia, ergò Aristoteles malè definit dicendo: Demonstratio constat ex præmissis veris & primis. *Antecedens probatur.* Nam quod

quod possit aliquod verum sciri ex falsis, apparet hoc in multis exemplis, ut puta si dicerem. Omnis paries est rationalis, sed omnis homo est paries; Ecce absurda principia. Ergò omnis homo est rationalis. Et hoc est verum: *Quod autem possit sciri verum ex præmissis, quæ non sunt prima principia, sic ostendo.* Nam Demonstratio debet constare ex Proprijs principijs, sed prima principia non sunt propria sed potius communia, verbi gratia, quodlibet est, vel non est. Omne totum est maius suâ parte: Ergò Demonstratio non constat ex primis Principijs.

Tertiò. Illa propositio est immediata, quæ caret medio per quod possit demonstrari. Sed Præmissæ Demonstrationum possunt habere medium per quod demonstrantur. Ergò Demonstratio non est ex Præmssis immediatis. *Minor probatur:* Nam ipse Aristoteles docebit inferius in hoc Libro quod prima principia in scientia subalternata possunt probari per principia superioris scientiæ. *Argu. III.*

Quartò. Demonstratio procedit ex vniuersalibus: sed vniuersalia non sunt nobis notiora magis quam particularia. Ergò Demōstratio non procedit ex notioribus. *Minor prob.* Illa quæ sunt propinquiora sensui, sunt nobis notiora, vt dicit apertè Aristoteles in hoc loco: sed singularia sūt propinquiora sēsui, vniuersalia verò sunt remota à sensib. Ergò particularia magis nobis sunt notiora quā vniuersalia. *Argu. IV.*

Resolutio. *Duplex demõstrationis definitio.*

Respondeo. Quod Aristot. duas adhibet definitiones ipsius demonstrationis, quarum prima est hæc: Demonstratio est syllogismus faciens scire. *Pro cuius intelligentia suppono nunc.* quod istæ duæ definitiones conueniunt tantum Demonstrationi quæ appellatur à Logicis, propter quid, seu Demonstratio à priori, non autem conueniũt Quia siue à posteriori: nam Demonstratio à posteriori, non facit scire simpliciter, sed tantum secundum quid, hoc est, per effectus: quantum ergò ad hanc primã definitionem, sciendum est: quod facere scire contingit dupliciter.

Dupliciter aliquid facit scire.

Vno modo formaliter, & alio modo effectiuè, *Illud* facit scire effectiuè, quod causat & producit ipsam scientiam tanquam suum effectum, & hoc modo intellectus noster est causa principalis quæ efficit scientiam in anima: Demonstratio autem est instrumentum, nam quidquid scimus per demonstrationem tanquam per instrumentum scimus, sicut in simili: ædificator faciens domum est causa principalis domus, tamen non excludit securim ab ædificatione, imò verò securis est instrumentum quo mediante ædificator ædificat, & sic in præsenti.

Illud autem facit scire formaliter, quod est quædam forma, à qua aliquis habet esse scientis, sicut albedo facit esse formaliter album, quia est quædam forma à qua subiectum accipit esse album, non vero homo de albans potest

ceſt eſſe talis naturæ, vt ab eo tanquam à forma accipiat ſubiectum eſſe album. Et hoc modo ſcientia facit tantum ſcire, non autem Demonſtratio.

Pro intelligentia autem definitionis ſecundæ obſeruandum eſt: quod definitio ſecunda erat iſta: Demonſtratio eſt ſyllogiſmus conſtans ex veris, primis, immediatis, notioribus, & prioribus, & cauſis concluſionis: quæ definitio differt à prima, quia illa erat per cauſam finalem, dicendo: Demonſtratio facit ſcire. Hæc autem datur per cauſam materialem & continet in ſumma 6. particulas, in quarum explicatione multi Interpretes variant, tamen perſiſtendo in doctrina Angelici Doctoris, ſic explicandæ ſunt prædictæ particulæ.

Diſcrimen inter primã & ſecundam demõſtrationis definitionem.

Explicatio definitionis ſecundæ.

Primò dicitur. Demonſtratio eſt ex veris. Nam concluſio demonſtratiua eſt vera, verum autem non ſcitur niſi ex veris, quia verum ſcitur ex ente: Ens enim & verum conuertuntur, & ſicut de non ente non eſt ſcientia, ita etiam de non vero. De hac particula vide ea quæ diximus in libris Perihermenias.

Deinde quando dicit, *Ex primis*, *aduerte*, quod tripliciter poteſt ſumi propoſitio prima. Aut enim eſt prima in ſimplicitate, & hoc modo omnes propoſitiones de ſecundo adiacente ſunt primæ, hoc eſt, ſimpliciſſimæ, vt patet dicendo, Petrus eſt, Franciſcus eſt &c. Et de hac primitate nõ loquitur hic Philoſophus.

Triplex propoſitionis primæ acceptio.

Alio modo eſt propoſitio prima in communitate

nitate, quę nimirum constat ex terminis communissimis & trāscendētibus, quibus nihil est communius, verbi gratia, quodlibet est vel non est. Idem non potest simul esse & non esse: & de ista primitate non loquitur etiam Aristoteles propter hanc causam, quia Propositiones quæ sunt ita primæ, non ingrediuntur formaliter demonstrationem, sed solum virtualiter.

Tertiò tandem, est aliqua Propositio prima in proprietate, hoc est, quia ex natura sua respicit conclusionem, & rem illam quæ significatur in conclusione tanquam causa propria effectum suum proprium, & hoc modo accipitur propositio prima, ita vt sit sensus verborum: Demonstratio constat ex propositionibus primis, hoc est, ex proprijs causis: & licet addat ex prioribus, tamen Præmissæ primæ, & Præmissæ priores, non distinguuntur secundum rem, sed tantum secundum rationem: illud enim vocatur primum, ante quod non est aliud, sicut vnitas in numeris. Illud autem vocatur prius, ante quod non est aliud, & vltra hoc habet quendam ordinem & respectum ad aliquid posterius, & sic pręmissæ in syllogismo Demonstratiuo priores sunt quam conclusio.

Præmissæ primæ, & præmissæ priores ratione tantum distinguuntur.

Præterea addit, ex notioribus, quam particulam ipsemet Aristoteles probat in præsenti: quia omnis causa naturaliter est prior & notior suo effectu, & quia Demonstratio procedit

dit ex causis,hinc est,quòd etiam debet procedere ex notioribus.

Sed oportet adhuc istam particulam distinguere. Dupliciter enim aliquid est notius,videlicet ,secundum se & quo ad nos. *Illa* sunt notiora secundum suam naturam, quæ sunt remota à sensu,vt vniuersalia : homo, animal, &c. facilius enim secundum se potest cognosci homo in communi , quam hic homo in particulari. *Illa* verò sunt priora & notiora quo ad nos , quæ sunt proxima sensui , scilicet singularia, v.g. Petrus,hic equus, &c. Et licet Philosophus videatur docere oppositum huius doctrinæ in 1. Phys. Tex. 3. vbi inquit, quod vniuersalia sunt priora quoad nos , posteriora verò secundum naturam. Hoc tamen nihil obstat, quoniam alio modo loquitur de vniuersali in hoc Libro, & alio modo inPhysicis. Hic enim loquitur de vniuersali prout comparatur ad singulare, & quoniam cognitio sensitiua singularium est prior in nobis, quam cognitio intellectiua vniuersalium: quia cognitio intellectiua procedit à sensu, idcirco etiam singulare prius & notius est quo ad nos,quam vniuersale.

Dupliciter est aliquid alio notius.

Obiectio.

Cæterum in lib.1.Physicorum non comparat Aristoteles vniuersale respectu singularis, sed tãtũ magis vniuersale respectu minus vniuersalis, vt puta, homo est minus vniuersale, quã animal:& animal minus,quã viuens &c. & sic oportet dicere, quod illud ꝙ est magis

Solutio.

vniuersale, est prius & notius quo ad nos, quã minus vniuersale, verbi gratia, animal notius est mihi, quam equus aut leo, similiter substantia notior est quam viuens, propterea quia est vniuersalior.

Conclusio. Demonstratio conuenienter est definita ab Aristotele. Probatur. Tum authoritate Philosophi. Tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum:* nego consequentiam secundam, scilicet hanc, ergò scire nõ est finis Demonstrationis. Ad cuius probationem nego similiter consequentiam, potest enim vna & eadem res esse & finis & effectus, licet sub ratione diuersa: est enim finis vt existit in intentione & mouet ad agendum, est effectus vt existit in re & est productum ab agente, v. g. quando aliquis artifex vult ædificare domum, aut imaginem pingere, tunc illa domus est finis eius, quatenus eam cognoscit in suo intellectu, & propter illam operatur vt talem producat domum qualem habet in intellectu à qua mouetur ad agendum; est verò illa domus effectus quatenus iam producta existit. Ita ergò in proposito, scientia potest dici finis Demonstrationis, & potest etiam dici effectus, est enim finis in quantum discurrens habet in intellectu hanc intentionem, quod propter nullam aliam causam discurrit, nisi vt sciat conclusionem, est etiam effectus in quantum causatur in intellectu, per intelle-

ctum

ſtum principaliter & per Demonſtrationem inſtrumentaliter vt dictum eſt.

Ad ſecundum nego antecedens, ad cuius pro- bationem *Dico*: quod poteſt cognoſci verum ex falſis, quantum ad vim illatiuam, non verò quantum ad vim probatiuam. Ad ſecundam verò partem argumenti iam dictum eſt in corpore, ſcilicet, quòd Demonſtratio conſtat ex Principijs primis formaliter, hoc eſt, ex propriis, quæ nimirum ſunt cauſa ipſius conclusionis, non autem conſtat ex primis, hoc eſt, communiſſimis, vt procedit argumentum, nam huiuſmodi principia non niſi virtualiter Demonſtrationem ingrediuntur. *Reſp. ad II*

Ad tertium: nego Minorem, ad cuius probationem admitto authoritatem Ariſtotelis, & explico illam: Principia in ſcientia ſubalternata poſſunt probari per principia ſuperioris ſcientiæ, vt principia ſunt, nego: vt concluſiones ſunt, concedo, ex quo nihil contra nos. *Reſp. ad III.*

Ad quartum: nego Minorem. Ad cuius probationem, diſtinguo Maiorem. Illa quæ ſunt propinquiora ſenſui, ſunt nobis notiora, ſecundum ſenſum, concedo Maiorem, ſecundũ intellectũ, nego Maiorem: volo dicere: quod cognitioni ſenſitiuæ facilius eſt apprehendere ſingulare, quam vniuerſale, quia hoc nunquam apprehendit, tamen cognitioni intellectiuæ facilius eſt apprehendere vniuerſale, vt iam in corpore dictum eſt. *Reſp. ad IV.*

ARTICVLVS III.

Vtrum omnis propositio immediata sit per se nota?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Definitiones rerum sunt per se notæ. Sed Definitio non est propositio immediata. Ergo propositio immediata non per se nota. *Maior est* euidens, & patebit inferius in Libro secundo quasi per totum. *Minor verò probatur.* Definitio non est Propositio, quia non significat aliquid esse, vel non esse: verbi gratia, si dicerem animal rationale, est definitio hominis: color disgregans visum, est definitio albedinis, quæ tamen definitiones non sunt propositiones, vt patet. Ergò neque sunt immediatæ, quia propositio immediata debet esse propositio.

Argum. II. *Secundò.* Hæc propositio est immediata. Deus est, sed hæc Propositio non est per se nota, imò potest demonstrari per aliam notiorem, vt de facto demonstrant Theologi cum suo principe S. Thoma in prima parte, quæstione 2. articulo 1. & 2. Ergò non omnis propositio immediata est per se nota. *Maior* est Aristotelis in hoc Textu, qui sic definiebat propositionem immediatam. Propositio immediata est, quâ non est altera prior. *Tunc vlterius:* sed quãdo ego dico, Deus est, nõ potest imaginari aliquid prius in Deo, quã esse ipsius Dei, prius enim Deus concipitur à nobis vt existẽs, quã bonus, sapiens,

ſapiens, iuſtus &c. Ergò hęc propoſitio, Deus eſt, eſt immediata.

Tertiò. Iſta propoſitio eſt immediata, homo eſt riſibilis, & tamen non eſt per ſe nota, ſed benè poteſt probari per alteram notiorem, ſcilicet per hanc, homo eſt rationalis. Ergò non omnis propoſitio immediata, eſt per ſe nota. *Maior probatur.* Omne vniuerſale prædicabile dicitur immediatè de ſuo inferiori: Sed riſibile eſt vniuerſale Prædicabile reſpectu hominis, Ergò immediatè dicitur de homine. *Argu. III.*

Quartò. Definitio quæ datur per cauſam materialem eſt immediata; ſed talis definitio non eſt per ſe nota, ſed per aliquid aliud. Ergò vt prius. *Maior* eſt manifeſta in domo: ſi quis enim definiret domum per cauſam materialem, certè diceret: quod domus eſt quoddam ædificium conſtans ex lignis, lapidibus, & alijs partibus hoc vel illo modo diſpoſitis, *Minor* verò eſt ipſius Ariſtotelis in Libro ſecundo Poſter. qui docet multoties, quod omnis definitio, quę datur per causã materialem alicuius rei, poteſt probari per cauſam finalem, ſicut etiam ſtando in hoc exemplo, quod modo poſuimus poteſt deduci. Nam accipio definitionem domus per cauſam materialem, & dico, quod domus eſt ædificium aliquod conſtans ex lignis, lapidibus, pauimento &c. hanc definitionem probo tali ratio- *Argu. IV.*

ratione ex fine domus. Ideo domus reperiuntur in vniuerso, vt nos à pluuijs & à diuersis cæli iniurijs defendant. Ergo domus debet constare ex lignis, lapidibus, &c. nam aliâs si hoc non erit, nullo modo nos defendet.

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam in artic. præcedente explicauimus nonnullas particulas definitionis, in qua dixit Aristoteles, quod Demonstratio constat ex primis, veris, &c. restabat adhuc explicare, quo pacto Demonstratio constet ex propositionibus immediadiatis, & per se notis.

Definitio propositionis immediatæ eiusque explicatio. *Aduerte igitur*: quod propositio immediata est, quâ non est altera prior: quam definitionē vt explicet S. Thomas, mirabilem adhibet doctrinam & certè dignam suo ingenio. Dicit enim, quod propositiones seu principia immediata in duplici sunt differentia: quædam enim dicuntur propositiones Maximæ seu dignitates, & quædam Positiones.

Propositiones immediatæ sunt duplices. *Illæ* propositiones vocantur Maximę seu Dignitates, quæ adeò sunt veræ, vt etiam nullus possit contrarium ipsis mente concipere, licet fortè possit ore proferre, & idcircò vocantur dignitates, quia sunt dignæ vt propter se ipsas illis assentiamur, nec indigent aliquâ probatione & de talibus tractat Aristoteles in Lib. 4. Metaph. Tex. 9. & S. Thomas ibidem Lectione 6. ex quibus sunt illæ. Omne Totum est maius suâ parte. Quodlibet est vel nō est, & sic de alijs.

Vbi

Vbi aduerte tu Thomista, quod licet istæ propositiones non ingrediantur formaliter Demonstrationem, tamen ingrediuntur virtualiter, quia in virtute illarum assentimur conclusioni Demonstratiuæ, adeò vt etiam in omni Demonstratione requiratur omninò, vt præcedat cognitio naturalis illorum principiorum, scilicet, quodlibet est vel non est &c. Nā sicut in via S. Thomæ primum quod cognoscitur ab intellectu nostro simpliciter apprehendente, est ens, & in virtute entis omnia alia cognoscuntur, ita similiter omnis conclusio Demonstratiua cognoscitur ab intellectu discurrēte, in virtute illius principii cōplexi ex rationibus Entis, scilicet, quodlibet est vel non est. *NOTA.*

Positio verò illa vocatur quę quidem est propositio absolutè vera, non tamen apud eum qui addiscit, vt infra dicemus cum Aristotele.

Hoc igitur supposito est difficultas inter discipulos Scoti & S. Thomæ, quonam pacto debeat definiri propositio immediata & per se nota intellectui. Ad quod respondet S. Tho. multis in locis, maximè verò de veritate qu. 10. art. 12. & p. p. q. 2. a. 1. Et Lib. 1. cōtra Gentes cap. 10. & 11. quod Propositio per se nota dicitur, in qua prædicatum est de intrinseca ratione subiecti: Et quemadmodum dupliciter aliquid est de intrinseca ratione subiecti. Ita similiter, duplex est Propositio per se nota: *Aut* enim aliquid est de ratione subiecti formaliter,

Duplices sunt propositiones per se notæ.

liter, quia ingreditur essẽtiã tãquã pars essẽtiæ, aut quia est ipsa essẽtia, v.g. homo est animal, homo est rationalis, & homo est animal rationale, sũt propositiones per se notæ. *Aut verò* aliquid est de intrinseca ratione subiecti virtualiter, & quasi consecutiuè, quia nimirum est quid consequẽs immediatè ad essentiam subiecti, v.g. quia risibile consequitur essentiam hominis, idcircò hæc propositio est per se nota virtualiter. Homo est risibilis, & quia calor consequitur naturam ignis, & hæc etiam est per se nota virtualiter. Ignis est calidus. Et hoc est primum dictum S. Thomæ.

Dicit vlterius S. Thomas: quod res quælibet duobus duntaxat modis existit. *Vno modo* in se ipsa, extra omnem intellectum: *Alio modo* existit in intellectu, quando nimirum concipitur ab illo. Idcircò dupliciter de omni re possumus loqui: vno modo secundum id, quod conuenit sibi secundum suam naturam, & alio modo secundum id, quod conuenit sibi ex intellectu: potest enim aliquid conuenire rei vt concipitur ab intellectu, quod tamen illi non conuenit secundum suam naturam, & quatenus est extra intellectum, & è conuerso, v.g. Homini conuenit esse subiectum, prædicatum, speciem, &c. prout concipitur, non autem prout existit, & præterea eidem homini cõuenit mori, dormire, &c. prout existit, non tamẽ prout concipitur. *Sic ergò* in proposito, plurimæ sunt res in quibus prædicata sunt de intrin-

Dupliciter res existit.

ntrinſeca ratione ſui ſubiecti, & habent im-
nediatum ordinem ad ſubiectum ex ſua na-
ura, adeò vt ſi vnumquodq; illorum, ſcilicet,
am ſubiectum quam prędicatum concipere-
ur ſecundum quod in ſe eſt, ſtatim cognoſce-
etur quod prædicatum immediatè conueniat
uo ſubiecto, ſed quoniam contingit intelle-
ctum humanum eſſe ita debilem, vt non poſſit
comprehēdere naturam ſubiecti & prędicati,
vt in ſe eſt, ſed tantum imperfectè & debiliter
vtrumque cognoſcit, idcircò intellectus eget
aliâ propoſitione priori & notiori per quam
hoc valeat cognoſcere, & ita illud quod eſt
notum per ſe, & ex ſua natura non eſt notum
quo ad nos, quia ipſum imperfectè cognoſci-
mus. Dant huius rei exemplum Scholaſtici in
hac propoſitione, Deus eſt, nam eſſe Dei eſt de
intrinſeca natura Dei, & non habet aliquod
mediū per quod poſſit probari, quod Deus ſit,
tamē ex parte noſtri intellectus probamus Deū
eſſe per effectus, & ita hæc oratio, Deus eſt, eſt
nota per ſe ſecundum ſuam naturā, ſed igno-
ta quo ad nos.

Collige ergò in ſumma aliquas propoſitio-
nes eſſe per ſe notas, & ſecundum naturam ſu-
am, non autem quo ad nos, quæ ita ſe habent,
quod prædicatum in ipſis eſt de intrinſeca
ratione ſubiecti ſecundum ſe, tamē non nobis
conſtat, nec poſſumus perfectè cognoſcere
naturā illius ſubiecti & prædicati, vt in ſe eſt
& hoc modo iſta propoſitio, Deꝰ eſt, eſt per ſe
nota

Quæ propoſitio ſit nota ſecundū ſe & non quo ad nos.

nota secundum se, non autem quo ad nos. *Aliquæ* verò propositiones sunt per se notæ secundum se, & quo ad nos, quæ videlicet ita se habent, quod prædicatum in illis est de intrinseca ratione subiecti secundũ suam naturam, & vltra hoc cognoscimus vtrumq; perfectè, subiectum nimirum & prædicatum, v.g. omne totum est maius suâ parte. Homo est rationalis &c.

Quæ propositiones & secũdũ se, & quo ad nos sint per se notæ.

Conclusio. Omnis propositio immediato est per se nota, & è contra.

Probatur. Nam propositio immediata illa est, quâ non est altera prior; sed etiam propositio per se nota est huiusmodi. Ergò õnis propositio immediata est per se nota. *Minor prob.* Nam propositio per se nota illa est, in qua prędicatum est de intrinseca ratione subiecti, ergò non habet ante se aliam priorem.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum.* Nego Minorem ad cuius probationem, distinguo antecedens: Definitio non est propositio, in actu, concedo antecedens: in virtute, nego antecedens: & hoc sufficit, quia cognitâ aliquâ definitione, oportet illam statim prædicari de suo definito.

Vel etiam potest aliter responderi ad hoc totum argumentum, quod nimirum supponit falsum, hoc est, quod esse per se notum in pręsenti tãtum Propositioni cõueniat, hoc enim dici non potest, imò verò conuenit principio immediato, & licet definitio non sit propositio, est tamẽ principium, vt patebit inferius.

Ad

Ad secundum iam patet ex dictis: distinguo enim Minorem. Sed hæc propositio, Deus est, non est per se nota, secundum suam naturam, nego Minorem: quo ad nos, concedo Minorem. *Resp. ad II.*

Ad tertium. Distinguo Minorem, & tamen non est nota per se, formaliter, concedo Minorem: virtualiter, nego Minorē. *Volo dicere*, quod illæ propositiones in quibus prædicatum est de essentia sui subiecti, vel est pars ipsius essentiæ, sunt immediatæ formaliter, & etiam per notæ formaliter, v.g. Homo est animal rationale &c: at verò illæ propositiones in quibus prædicatum non est de intrinseca ratione sui subiecti formaliter; sed tantum consecutiuè, velut effectus ipsius essentiæ, sunt immediatæ virtualiter, & etiam sunt per se notæ virtualiter: Et hoc benè nota, nam Dominicus Flandrensis Quæstione 10. articulo 1. in responsione ad secundum; aliam responsionem adhibet; dicendo: quod propria passio immediatè prædicatur de specie, tanquam vniuersale per ordinem ad speciem; quod tamen est falsum, vt in lib. Prædicabil. cap. 3. articulo quarto dictum est. *Resp. ad III.*

Ad quartum benè repondet Caietanus, distinguendo Minorem, sed definitio per causam materialem non est per se nota, secundum se nego Minorem; est enim immediata secundum se, non est per se nota ratione nostri, concedo Minorem. Vnde tales Propositio- *Resp. ad IV.*

positiones quæ constant ex causis materialibus(sicut de domo diximus) & sunt demonstrabiles, & indemonstrabiles: sunt demonstrabiles ratione nostri per causam finalem, vt in argumento benè probatur ex Aristotele: sunt in demonstrabiles secundũ se,sicut& immediatæ secundum se. Sed de hoc satis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum magis credere debeamus Principijs quam conclusioni?

Argum. I. V*Idetur quod non Primò.* Ex eo enim aliquid credimus quia ipsum est verum,nã falsum nemo credit,verbi gratia, quod paries sit homo , nemo credit,quia hoc est falsum, sed præmissæ seu principia Demonstrationis non sunt magis vera quam conclusio, ergò non debemus magis credere principijs, seu præmissis quam cõclusioni. *Minor probatur.* Nam omnis Propositio vera, est adæquata intellectui,hoc est, ita significat rem esse in intellectu,sicut est in se , sed æqualitas non potest esse maior vel minor, & maximè intra eandem speciem ęqualitatis,ergò nec veritas , & ita nõ erunt magis vera principia Demõstrationis,quam ipsa conclusio.

Argum. II *Secundò.* Dictum est supra in hoc Libro cap. I. articulo quarto quod cognitio præmissarum, & principiorum Demonstrationis est causa effe-

effectiua cognitionis ipſius cōcluſionis. *Tunc infero:* Ergò nō ſunt principia magis vera & magis certa quam concluſio. *Conſequentia prob.* Quia cauſa nō impedita producit effectū ſibi ſimilem, non autem magis vel minus perfectum, ſicut equus non poteſt generare hominem, nec angelum homo &c.

Tertiò. Si principijs magis credere debeamus quam concluſioni, certè hoc erit propter illam cauſam, quam dedit Ariſtoteles in ſumma Textus vbi dicebat: Propter quod vnumquodque tale, illud eſt magis, verbi gratia, ſi quis diligit aliquem hominem propter amicum, ſignū eſt quod amicum magis diligit: ſed hoc dici non poteſt, ergò nec primum. *Minor prob.* Nam iſta Regula fallit quaſi in omni genere cauſæ, verbi gratia, nō ſequitur: tu es corruptibilis propter materiam, ergò materia eſt magis corruptibilis, quod eſt falsū, quia in libro 1. Phy. dicitur: quod materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis: Deindè: in genere cauſæ formalis, etiā non valet dicendo. Tu es albus propter albedinem, ergo albedo eſt magis alba, quod tamen eſt falſum: nam albedo non eſt ſubiectum alicuius albedinis, & ita non eſt alba, ſed potius eſt cauſa formalis propter quam aliquid eſt album. Similiter in genere cauſæ efficientis non ſequitur, Petrus eſt homo propter Franciſcum generantem, qui etiam eſt homo, Ergò Franciſcus eſt magis homo, nam & hoc *Argu. III.*

 fal-

falsum est, quia Petrus in quantum est homo eandem definitionem habet quam habet Frãciscus in quantum homo, & consequenter eandem naturam. Tandem in genere causæ finalis dicendo, pater meus deambulat propter sanitatem, ergo sanitas magis deambulat, quod absurdum est, quia sanitas non est aliquid animatum, vt se moueat ad deambulandum.

Resolutio. *Respondeo.* Quod artic. iste duo inquirit: Primum est, an principia Demonstrationis sint magis vera, & magis certa, quam conclusio. Secundum verò, an fundamentum & ratio Aristot. ex qua deducit præsentem doctrinã sit conueniens. Quantum ergò ad primum, sciendum est, quod sicut superius dixi, omnes conclusiones demonstratiuæ continentur virtualiter, in suis Præmissis & principiis, ita tamen quod præmissæ non æqualem habent certitudinem & veritatem, sed vna debet esse magis vera quàm altera, & vna magis certa quam altera. Dat huius exemplum satis euidens ipse Aristoteles in lib. 4. Methap. Tex. 18. vbi docet: quod si daretur duo homines, quorum vnus diceret hanc Propositionem, quatuor sunt quinque, & alter diceret oppositum, scilicet, quatuor sunt 20. aut mille, tunc in hoc casu vterque quidem malè dicit, sed secundus magis fallitur quam primus propter hanc causam: quia magis recedit millesimus numerus à quaternario, quàm quinarius, similiter si homo

homo quiſpiam ex vna parte aſſereret, quod Petrus non eſt homo: alter verò diceret oppoſitum, nempe quòd Petrus non eſt viuens, certè iſte ſecundus maius falſum admittit quàm primus quia plura negauit de Petro, & ſic de alijs. Ita ergò iudicandum eſt de præmiſſis in ſyllogiſmo demonſtratiuo, quod licet ſint ambæ veræ, non tamen equaliter, vnde ſi darentur plures propoſitiones quarum vna poſſet probari per plura media, alia verò ex ſola connexione terminorum eſſet certa & euidẽs, tunc iſta propoſitio ſecunda eſt magis certa, quia eſt magis immediata, & propius accedit ad naturam rei: ſicut è contra, illa propoſitio dicitur magis falſa, quæ magis recedit à natura rei, vt dictum eſt, v.g. natura hominis habet nonnullas paſſiones, quæ proueniunt ab homine ordinatè, ita quod vna non ſupponat alteram, vt puta eſſe capacem diſciplinæ, eſſe admiratiuum, & tandem eſſe riſibilem: ex his ergò paſſionibus quando formantur præmiſſæ alicuius Demonſtrationis, tunc illa præmiſſa erit magis vera, quæ magis eſt immediata & per ſe, hoc eſt, quæ proprius accedit ad naturam hominis, & talis paſſio eſt eſſe capacem diſciplinæ: & deinde, hominem eſſe admiratiuum, eſt minus vera quam illa prior, & tandem hominem eſſe riſibilem minus quam præcedens ſecunda, poteſt enim probari per præcedentem paſſionem dicendo: omne admiratiuum eſt riſibile: ſed omnis

Non omne propoſitiones ſunt æquè veræ, vel falſæ.

Quæ propoſitio ſit magis vera.

homo est admiratiuus. Ergò omnis homo est risibilis: & quoniam in hoc syllogismo minor propositio est minus vera quam maior, idcircò habet aliud medium per quod potest probari, scilicet esse disciplinæ capacem, dicendo. Omne disciplinæ capax est admiratiuum, sed omnis homo est disciplinæ capax, ergò omnis homo est admiratiuus. Vbi minor propositio est minus vera quam maior, quia habet adhuc medium per quod posset probari, scilicet esse rationalem dicendo: omne rationale est disciplinæ capax. Sed omnis homo est rationalis. Ergò omnis homo est disciplinæ capax. Et hoc quo ad primum.

Explicatio axiomatis, propter q̄ vnūquodque tale, &c.

Quantum verò ad secundum. Explicanda nobis est illa propositio maxima, quam Aristoteles in hoc Textu proponit, dum ait, propter quod vnumquodque tale, & *illud* magis. In cuius explicatione iam quasi infinitæ opiniones diuersorum Authorum extant, quæ tamen nescio si mentem Aristotelis attingunt, nihilominus stando in doctrina Caietani, omnes glossæ S. Doctoris quas ipse ex varijs locis collegit, in hanc formam rediguntur, scilicet quod ista propositio tunc solum est vera, quādo nomen totius accepti effectus reflectitur, cum diuersitate supra verè causam. *Dico*, nomen totius effectus: nam si deficit ista cōditio, non habet veritatem illa maxima, verbi gratia, Petrus est homo propter Franciscum.

Ergò

Ergò Franciſcus eſt magis homo, non valet conſequentia, non enim propter hanc ſolum cauſam Petrus eſt homo, quia Franciſcus generans eſt homo, ſiquidem Franciſcus eſt tantum cauſa efficiens, concurrunt autem & aliæ cauſæ, vt puta materialis, formalis, & finalis, valeret autem iſta conſequentia, ſi illud antecedens eſſet verum, dicendo in hunc modum. Petrus eſt homo, quia Franciſcus eſt homo. Ergò Franciſcus eſt magis homo, quod tamē eſt falſum.

Dicit vltra Caietanus, quando reflectitur ſupra cauſam, hoc eſt, quod ad hoc vt iſta propoſitio Ariſtotelis eſſet vera, requiritur vt effectus reducatur in ſuam cauſam per hoc aduerbium Quia: v.g. ſi ego vellē ſcire an iſta propoſitio eſt vera, ſcilicet luna eſt lucida propter ſolem, & deinde, Ergò ſol eſt magis lucidus, facio reflexionem ſeu reductionem quandam effectus in ſuam cauſam per aduerbium, Quia, dicendo: quia ſol eſt lucidus, luna eſt lucida, ergò ſol eſt magis lucidus, & hoc vtique eſt verum: Et nota benè iſtam reflexionem, nā plurimæ obiectiones per eam ſoluuntur, vt patet, ſi dicerē. Homo eſt corruptibilis propter materiam. Ergò materia eſt magis corruptibilis: non valet profectò conſequentia, nam non poteſt eſſe reflexio, dicendo. Quia materia eſt corruptibilis, idcircò homo eſt corruptibilis, & præterea propter eandem cauſam non valet conſequentia hæc.

Tu es albus propter albedinem, ergò albedo est magis alba, non enim potest fieri reflexio, quia albedo est alba, idcircò tu es albus: similiter non valet propter eandem causam, color videtur propter speciem suam, quæ recipitur in oculo: ergò species intentionalis ipsius coloris magis videtur: imò neq; ista, pater meus deambulat propter sanitatem, ergò sanitas magis deābulat, quia non poteris sic inferre, quia sanitas deambulat, idcircò pater deambulat, & sic de alijs.

Dicitur autē vlterius, Cum diuersitate, hoc est, quod ad hoc vt ista propositio sit vera, necesse est, quod tam causa quam effectus distinguantur inter se realiter, imò & res illa propter quam causa est talis, distinguatur realiter à re propter quam est talis effectus, v. g. si tu diceres, homo est risibilis propter animal rationale, ergò animal rationale est magis risibile, non valet, quia risibilitas illa per quam homo est risibilis, non distinguitur à risibilitate, per quā animal rationale est risibile, sicut & animal rationale non distinguitur ab homine, quia est eius essentia.

Tandem postremò additur illa particula, Supra verè causam, ad designandum, quod reflexio ista de qua iam dictum est, non debet esse supra causam quæ tantum appellatur hoc nomine Causa sed supra causam, quæ est verè, physicè, & realiter causa, vnde non valet: tempus est quantum propter motum, hoc est, quia mo-

motus est quantus. Ergo motus est magis quã-tus, nam motus non est verè causa quantitatis in tempore, cum motus pro formali non sit quantitas, vt in lib. Prædicam. cap. 6. artic. 4. dictum est.

Colligendo ergò breuiter hæc quatuor membra explicationis Caietani, facillimè apparet quod prædicta propositio Aristotelis in omni genere causæ est vera, & quidem in genere causæ materialis, vt dicendo, quantitas est subiectum omnium accidentium propter compositum, ergò compositum est magis subiectum, nã hic potest esse reflexio, quia compositum est subiectum accidentium, ideò & quantitas est subiectum eorundem. Deinde in genere causæ formalis: materia est ens propter formam, ergo forma est magis ens: nam & hic reflectitur, quia forma est ens, materia est ens. Præterea in genere causæ efficientis, vt patet in proposito huius articuli, dicendo, conclusio cognoscitur propter præmissas & principia, tanquam propter causam efficientem, ergò magis cognoscuntur præmissæ, nam hic ita reflectitur: quia pręmissæ cognoscuntur cognoscitur conclusio. Tãdẽ in genere causæ finalis, Pater amat Magistrũ propter filium, ergò magis amat filium.

Conclusio. Magis oportet credere principijs in syllogismo demonstratiuo quam conclusioni.

Probatur. Illud magis scitur & creditur in aliqua scientia, quod per se scitur, quã illud quod

scitur per aliud, sed principia seu præmissæ Demonstrationis per se sciuntur, conclusio verò per aliud, videlicet per præmissas, ergò magis oportet credere principijs in syllogismo Demonstratiuo, quam conclusioni. *Maior probatur.* Nam etiam loquendo moraliter, maiorem fidem damus illis effectibus quos per se cognoscimus & videmus, quã illis ad quorum certam notitiã egemus testibus, & sic in proposito.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego Minorem, ad cuius probationem distinguo consequentiam, ergò nec veritas potest esse maior vel minor, si sumatur formaliter, prout idem est, quod adæquatio, concedo consequentiam: si sumatur entitatiuè siue fundamentaliter, nego consequentiam. *Volo dicere:* Quod si veritas consideretur, pro adæquatione rei ad intellectum, non magis vna propositio vera adæquatur suo intellectui, quam altera vera etiam suo conceptui, cæterum considerando veritatem ex parte causę & fundamenti, potest esse maior causa, vt vna propositio sit vera, quam sit causa alia alterius propositionis vt in corpore deduxi.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego consequentiam, ad cuius probationem quidquid dicat Dominicus Soto in hoc cap. 3. quæstione 2. in solutione ad 8. distinguo Assumptum: causa non impedita producit effectum sibi similem, si est causa vniuoca: concedo, æquiuoca, nego: & sic est in

est in præsenti , nam cognitio illa quæ est præmissarum, non est eiusdem speciei vniuocæ cum cognitione conclusionis, quia cognitio præmissarum vocatur intellectus & conclusionis scientia.

Ad tertium nego Minorem, ad cuius probationem iam patet ex his quæ dicta sunt in corpore. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS V.

Vtrum Demonstratio debeat constare ex præmissis, de omni per se & secundum quod sunt vniuersaliter?

VIdetur quod non. *Primò.* De omni. Multæ sunt propositiones de omni quæ tamen non possunt esse præmissæ demonstrationis. Ergò Demonstratio non constat ex præmissis de omni. *Antecedens prob.* Nam hæc propositio est de omni. omne animal est coloratum, & tamen non potest esse præmissa Demonstrationis, quia est propositio falsa, Demonstratio autem constat ex veris præmissis. *Argum. I.*

Secundò. De per se. Hæc propositio, Petrus est risibilis, potest esse præmissa in aliqua Demonstratione: sed ista Propositio non est per se. Ergò præmissæ Demonstrationis non sunt per se. *Minor probatur.* Nam si esset per se, certè erit in secundo modo perseitatis, quod tamen est falsum, quia subiectum huius propositionis, nempe, Petrus, nō ponitur in definitione *Argum. II*

tione prædicati, ſcilicet riſibilis, quod neceſſe erat ad ſecundum modum perſeitatis, definitur enim riſibile ſic: Eſt aptitudo hominis ad ridendum, vbi non exprimitur, eſt aptitudo Petri.

Argu. III. *Tertiò. De vniuerſali:* quando dicit Ariſtoteles in ſuo Textu, quod Demonſtratio debet conſtare ex vniuerſali, aut hic vniuerſale ſumitur pro propoſitione vniuerſali, aut pro termino vniuerſali: non poteſt dici primum, nam etiam hæc propoſitio, Omnis homo currit, eſt vniuerſalis, & tamen non conſtituit Demonſtrationem: neque etiam ſumitur ſecundo modo, ſcilicet pro termino vniuerſali, nam homo eſt quid vniuerſale reſpectu Petri, & tamen non conuenit Petro vniuerſaliter ſecundum quod eſt Petrus, quod tamen erat neceſſarium ad hoc vt ſit vniuerſale, vt hic dicit Ariſtoteles.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod in hoc articulo tres particulæ remanent explicandæ: prima eſt, quid ſit Propoſitio de omni: ſecunda, quid ſit propoſitio per ſe: & tandem, quid ſit vniuerſale.

Duplex Dici de omni. *Prioriſticum.* *Quantum igitur ad primum,* Dici de omni duplex eſt, ſcilicet prioriſticum & poſterioriſticum. Dici de omni prioriſticum, nihil aliud eſt, niſi quando prædicatum ita affirmatur de ſubiecto, vt nihil ſit ſumere ſub illo ſubiecto, de quo non affirmetur prædicatum, ſiue talis prædicatio ſit contingens, ſiue etiam neceſſaria: verbi gratia, in hac propoſitione, omnis homo

homo vigilat. Prædicatum ſcilicet; vigilat, dicitur de omni homine prioriſticè.

At verò dici de Omni poſterioriſticum, nihil aliud eſt niſi prædicari de omni contento ſub ſubiecto pro quolibet tempore, verbi gratia, omne animal rationale eſt riſibile, omnis homo eſt animal rationale, nam animal, ita dicitur de homine, vt etiam de quocunque verũ eſt dicere, quod ſit homo, verum etiã erit dicere quod ſit animal, & quocunque tempore verum eſt, quod eſt homo, verum eſt etiam, quod ſit animal, & hoc de primo.

Poſterioriſticum.

Quantum verò ad ſecundum, ſciendum eſt: quòd hæc dictio, Per, aliquando deſignat apud Philoſophos habitudinem cauſæ materialis, ſicut dicendo, tabula eſt colorata per ſuperficiem, ſimiliter homo vel paries eſt coloratus &c. nã ſenſus eſt quod ſubiectum immediatè ſuſcipiens colorem tanquam materia coloris, eſt ſuperficies, tabula autem vel homo eſt etiam ſubiectum, tamen per ſuperficiem, tanquam per immediatam materiam. Aliquando vero hęc dictio, Per, deſignat cauſam formalem, ſicut dicendo, Homo viuit per animam, nam ſenſus eſt, quòd forma hominis, & principium vitæ humanæ eſt anima, quia per animã omnes viuimus, tanquam per formam. Præterea.

Dictio Per quid deſignet.

Aliquando etiam deſignat hæc dictio, Per, cauſam efficientem, vt cum dico, fornax vel aqua calefacit mihi manum per ignem, hoc eſt, cauſa efficiens calorem in mea manu, eſt ignis,

ignis, existens in fornace vel in aqua. &c.

Et tandem hæc dictio, Per, solet etiam designare situm, vt puta quando aliquis dicitur esse per se, quia est solitarius.

Per se quadrupliciter accipitur.

Sic igitur in proposito, per se 4. modis accipitur: & primo quidem, quando hæc dictio, Per, denotat causam formalem, seu quod idem est, quando prædicatum est de intrinseca ratione & definitione subiecti, siue sit pars definitionis, siue etiam tota definitio, verbi gratia, Homo est animal. Homo est rationalis, &c. Istæ propositiones sunt per se in primo modo perseitatis, quia prædicatum vtriusque est de definitione subiecti, tanquam pars: cæterum dicendo, homo est animal rationale, est etiam in hoc primo modo, tãquam tota definitio & natura hominis.

Secundus modus dicendi per se.

Secundus verò modus est, quando hæc dictio, Per, denotat causam materialem, seu quod idem est, quando subiectum alicuius propositionis clauditur in definitione prædicati, v.g. homo est risibilis, & vniuersaliter loquendo, omnis illa propositio, in qua propria passio dicitur de subiecto: nam licet subiecta benè possint definiri etiamsi in eorum definitionibus non cadant propriæ passiones, quia distinguuntur realiter à suis subiectis, vt in Libro Prædicab. c. 4. A. 2. per totum dictum est, tamen nulla propria passio potest definiri absque hoc, quod subiectum non cadat in eius definitionem, definiendo enim risibilitatem, dices,

dices, risibilitas est aptitudo hominis (ecce) subiectum) ad ridendum, & sic de alijs.

Tertius autem modus perseitatis est, quando hæc dictio, Per, idem sonat quod res per se & solitariè existens, & non in alio, v.g. Petrus, animal, corpus, &c. sunt per se, quia ad hoc vt existant, non egent aliquo accidente extrinseco. Et ita discrimen inter hunc tertium modum perseitatis, & illos duos priores, consistit in hoc, quia illi duo priores sunt modi entiũ complexorum, iste verò tertius est modus entiũ incõplexorum & consequenter illi duo modi prædicandi significant quo pacto prædicatum alicuius propositionis dicatur de subiecto, sed iste tertius modus significat, quo pacto res in se existant.

Tertius modus dicendi per se.

Discrimen inter primum & secundum modum dicendi per se, & tertium.

Tandem postremus modus perseitatis est, quando hęc dictio, Per, significat causam efficientem, vel quãcunque aliam, v.g. dicendo. Interfectum interijt, hoc est, per interfectionē tanquam per causam, similiter ædificator ædificat, scriptor scribit, &c. Cæterum si dicas ædificator reperit thesaurum, vel etiam musicus dealbat, aut ædificat, non sunt per se, sed tantum per accidens: Et hoc de secundo.

Quartus modus dicendi per se.

Quantum ad tertium : scilicet de Vniuersali: sciendum est, quod vniuersale hic non accipitur ad eum modum, sicut Porphyrius determinat de quinque Vniuersalibus, sed dicitur in præsenti vniuersale, secundũ quãdã adaptationem vel adæquationem prædicati ad

ad subiectum, quando videlicet neque prædicatum inuenitur sine subiecto, neque subiectum sine prædicato, & sic definitur: Vniuersale prædicatum illud est; quod dicitur de omni, per se, & secundum quod ipsum. Ac si diceret Philosophus, vniuersale Posterioristicum continet in se illa duo, de quibus modò diximus, scilicet, Dici de omni eo quod continetur sub subiecto, & tandem dici per se primò: vnde sicut videmus quòd corpus, animal & homo habent se tanquam superius & inferius, adeò vt omnis homo sit animal, & omne animal corpus, non autem è conuerso: ita similiter De omni, per se, & vniuersaliter, habent se tanquam superius & inferius, nam omnis propositio vniuersalis est per se, & omnis propositio per se, est de omni; non tamen è contra, nam istæ propositiones, omne animal est coloratum, similiter omnis cygnus est albus, omnis coruus est niger, sunt de omni etiam posterioristicè, quia prædicatũ cõuenit omni contento sub subiecto, & pro quolibet tempore saltim naturaliter; & tamen istę propositiones, non sunt per se in primo modo perseitatis, quia nigredo non est de intrinseca ratione corui, nec albedo de ratione cygni; imò nec sunt propriæ passiones, quia non proueniunt ex principijs essentialibus, sed tantum ex qualitate generationis, seu ex dispositione materię, nam quod in hominibus facit clima, vt aliqui homines sint albi & alij nigri, hoc totum

Definitio Prædicati vniuersalis

Cur cygni sint albi.

totum in coruo facit complexio calidissima. Et idcirco D. Albertus magnus solertissimus rerum naturalium scrutator dicit, quod si nidus coruorum esset in montibus frigidis, vel etiam si ouum corui circumliniretur argento viuo, aut humore viscoso anseris, vel cati, qui est frigidissimus; nascerentur procul dubio corui albi. Sed quidquid sit de hac re; quamuis coruus, non possit naturaliter esse albus, tamen esse nigrum, non est eius propria passio vt dixi, sed accidens. *Item in* hac propositione, omnis homo est sensibilis, prædicatum dicitur de omni, & per se, sed non vniuersaliter, vt patet; quia non prædicatur esse sensibile de homine in quantum est homo, sed secundum aliquam partem suæ definitionis, id est, in quantum est animal, quod tamen non sufficit vt prædicatũ per se primò cõueniat homini. *Quomodo possint fieri corui albi.*

Conclusio. Omnis demonstratio à priori debet constare ex præmissis quæ sunt de omni, per se, & vniuersaliter.

Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum distinguo antecedens, multæ sunt propositiones de omni quæ tamen non possunt esse præmissæ Demonstrationis, vt sunt de omni & absolutè, cõcedo antecedens: vt sunt de omni, & per se, nego antecedens, vt dictum est in corpore: nam animal non est homo, si sumatur absolutè, tamen si sumatur vt rationale est, homo est. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem. Ad cuius probationem nego quod ista propositio, Petrus est risibilis, non sit in secundo modo perseitatis, saltim per se secundò, non autem per se primò, quia ista, homo est risibilis, est per se primò, sicut dicendo, Petrus est rationalis, est in primo modo perseitatis, sed per se secundo, nam, homo est rationalis, est per se primò &c.

Resp. ad III. *Ad tertium dico* quod vniuersale accipitur hic pro quadam adæquatione subiecti ad prædicatum, & è contra, ita quod vnum non excedat alterum, nec vnum possit inueniri sine altero, sed satis est de dubio.

CAPVT VI. VII. VIII. ET IX.

Quod Demonstratio constat ex his quæ sunt per se, & sempiterna

Summa Textus.

Prob. I. PRima conclusio. *Demonstratio constat ex præmissis necessarijs.*

Probatur. Primò. Illud quod scitur per syllogismum Demonstratiuum, & est subiectum in conclusione, est necessarium. Ergò & premissæ ex quibus procedit illa conclusio sunt necessariæ.

Prob. II. *Secundò.* Demostratio procedit ex premissis, quæ sunt per se, ergò ex præmissis necessarijs: quia illud, quod est necessarium, per se est.

Terti

Tertiò. Si Demonſtratio non cõſtaret ex pręmiſſis neceſſarijs. Ergò ex præmiſſis quæ non ſunt per ſe, hoc eſt, quarum prædicata accidunt ipſi ſubiecto, quod ponitur in concluſione, ſed hoc eſt falſum, Ergò & illud primum: *Prob. III.*

Secunda concluſio. Omnis Demonſtratio procedit ex principijs proprijs, hoc eſt, ex talibus præmiſſis, quæ ſunt propria cauſa concluſionis.

Probatur. Demonſtratio vnius ſcientiæ, non procedit ex principijs alterius ſcientiæ, quia non contingit tranſire de genere in genus. Ergò omnis Demonſtratio procedit ex principijs proprijs. *Patet conſequentia*. Quia in omni Demonſtratione tria poſſumus conſiderare, ſcilicet id quod demonſtratur ineſſe, & hoc eſt propria paſſio; deinde id ex quo demonſtratur aliquid ineſſe, & hæc ſunt principia ſeu dignitates, & tandem illud de quo demonſtratur aliquid, & hoc eſt ſubiectum genus de quo dixi antea circa caput 1. *Tunc vltra:* ſed ſubiectum vnius concluſionis demonſtratiuæ, habet ſuam propriam paſſionem quæ de illo dicitur. Ergò etiam debet habere ſua principia propria, ex quibus deducitur quod illa paſſio conueniat ſubiecto.

Tertia concluſio. Concluſio Demonſtrationis debet eſſe ſimpliciter perpetua, neque eſt aliqua Demonſtratio aut ſcientia corruptibilium.

Prob. vtraq; pars. Demõſtratio ſimpliciter cõſtat ex vniuerſalib⁹, vt ãtea dictũ eſt, ergò cõ

stat ex Præmissis in quibus prædicata dicuntur de omni, & semper, & per consequens debet constare ex his quæ sunt simpliciter perpetua. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Demonstratio procedat ex præmissis necessariis?

Argum. I. V*idetur quod non. Primò.* Illud vocatur necessarium, quod non potest aliter se habere: sed præmissæ Demonstrationis possunt aliter se habere. Ergò non sunt necessariæ. *Minor prob.* Nam quælibet præmissa, si fuerit semel prolata, iam non manet amplius sed corrumpitur. Ergò aliter se habet, & per consequens non est necessaria.

Argum. II *Secundò.* Si Demonstratio procederet ex necessarijs, sequeretur quod omne illud subiectum quod scitur demonstratiuè, deberet esse necessarium: sed hoc est falsum. Ergò & primũ. *Minor prob.* Nã omnia fermè entia naturalia possunt sciri, vt puta, homo, bos, ignis, &c. Ergò possunt esse subiecta in aliqua scientia. Sed ista generantur & corrumpuntur vt patet ad sensum. Ergò non sunt necessaria.

Argu. III. *Tertiò.* Demonstratio procedit ex præmissis per se, ergò non procedit ex præmissis necessarijs. *Consequentia prob.* Nam hæc duo non sunt idem: sed omninò diuersa, scilicet per se, & necessarium.

Respon-

Respondeo. Quod Propositio necessaria illa dicitur, in qua prædicatum est de essentia subiecti, aut subiectum de essentia prædicati, verbi gratia, ista propositio, homo est animal rationale, est necessaria, quia rationale est de essentia hominis, & conuenit illi in primo modo perseitatis, vt in articulo 5. præcedente est dictum: at verò hæc propositio, homo est risibilis, etiam est necessaria, non propterea quod risibile pertineat ad essentiam hominis, aut quod constituat hominem in determinata specie, sed quia quotiescunque definitur ipsum risibile, tunc ibi continetur in definitione illa subiectum risibilis, hoc est, homo. Duplices autem sunt huiusmodi præmissæ in Demonstratione, *quædam* enim ita sunt necessariȩ, quod probant quidem cōclusionem aliquam esse necessariam tamen non reddunt causam, quare sit necessaria, & hoc modo quando procedimus ab effectu ad causam, procedimus ex præmissis necessarijs, vel etiam quando procedimus ex causis remotis ad probandum effectum remotum, vt dicendo, omnis homo est rationalis, ergò omnis homo est vegetatiuus, nam esse vegetatiuum est effectus rationalitatis valde remotus: similiter dicendo, omnis homo est risibilis, ergò omnis homo est rationalis. *Resolutio.* *Quæ dicatur propositio necessaria.* *Duplices præmissæ necessariæ.*

Quædam verò sunt præmissæ necessariæ, quȩ probant conclusionem necessariam, & vltra hoc sunt verè causæ, propter quas conclusio-

sio est necessaria, v.g. dicendo Homo est rationalis, ergò est risibilis. Tabula est ignita, ergò est calida &c. Et de talibus præmissis est modò difficultas, vt sit sensus Articuli: vtrum Demonstratio procedat ex præmissis necessariis, quæ non tantum probant conclusionem esse necessariam, sed etiam sunt causa necessitatis ipsius conclusionis.

Duplex demonstratio.

Pro quo sciendum est: quòd sicut iam multoties diximus, & adhuc inferius dicetur ex Aristotele. Duplex est Demonstratio, scilicet Demonstratio à priori, & Demonstratio à posteriori seu quia: Inter has demonstationes tale discrimen quantum ad præsens attinet, potest assignari: quia in Demonstratione à priori, proceditur à præmissis ad conclusionem, ita quod præmissæ sunt causa ipsius conclusionis, in essendo, hoc est, quod res significata per terminos præmissarum, est verè & realiter causa rei significatæ per terminos conclusionis, verbi gratia. Omne animal rationale est risibile. Sed omnis homo est animal rationale. Ergò omnis homo est risibilis. At verò in Demonstratione à posterioria, liter se res habet, nam præmissæ sunt causa ipsius conclusionis in cognoscendo tantum, non autem in essendo, hoc est, cognitio illa quæ habetur de præmissis, est ratio, propter quam habetur cognitio de conclusione, non tamen est causa, vt sit res significata per terminos conclusionis, verbi gratia, si quis demon-

Discrimen duplex inter demonstrationem à priori, & à posteriori. Primum.

monſtraret cauſam per effectum dicendo, Omne animal riſibile eſt rationale. Sed omnis homo eſt animal riſibile. Ergò omnis homo eſt rationalis. Similiter ſi quis demonſtraret Deum eſſe per effectus Dei, nam in hoc caſu præmiſſæ demonſtrationis ſunt cauſa vt cognoſcatur res, quæ ſignificatur per terminos concluſionis, non autem vt ſit res.

Secundum verò eſt diſcrimen inter has demõſtrationes: quia Demonſtratio à priori procedit ex præmiſſis neceſſarijs, quæ ſunt in primo aut ſecundo modo perſeitatis, at verò Demonſtratio à poſteriori minimè. Sed de hoc inferius. *Diſcrimen ſecundum*

Concluſio. Demonſtratio à priori procedit ex præmiſſis neceſſariis.

Probatur. Illud eſt neceſſarium quod non poteſt aliter ſe habere. Sed concluſio quæ ſcitur per Demonſtrationem à priori, non poteſt aliter ſe habere, vt ſuperius circa definitionem ſcientiæ dictum eſt. Ergò concluſio Demonſtrationis eſt neceſſaria, ſed neceſſarium non poteſt ſciri niſi per præmiſſas neceſſarias, & maximè quantum ad vim probatiuam, & non illatiuam tantum, quia præmiſſæ in Demonſtratione à priori non tantum probant concluſionem eſſe neceſſariam, ſed etiam ipſæmet ſunt cauſa neceſſitatis concluſionis.

Ergo Demonstratio à priori procedit ex præmissis necessarijs quæ sunt per se & immediatæ vt antè dixi.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum,* nego Minorem, ad cuius probationem distinguo consequentiam. Ergò aliter se habet & non est necessaria, quantum ad substantiam vocis, concedo consequentiam: quantum ad habitudinem terminorum, nego consequentiam, licet eadem specie vox permaneat quando iteratur propositio.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Minorem, sed ista generantur & corrumpuntur, secundum esse vniuersale & quidditatiuum, nego Minorem. Homo enim, bos, & animal, in vniuersali considerata, non habent aliquid contrarium, neque etiam materialitatem aliquam, ratione cuius possint corrumpi: secundum esse particulare & materialiter considerata, concedo Minorem.

Resp. ad III. *Ad tertium dico:* quod argumentum hoc postulat specialem difficultatem, pro qua sit

ARTICVLVS II.

Vtrum omnis propositio per se sit necessaria?

Argum. I V*Idetur quod non Primò* Ista propositio est per se in primo modo perseitatis. Petrus est homo, & similiter Franciscus est animal, quia

quia prædicatum est de intrinseca definitione & natura subiecti, si tale subiectum definiretur: sed ista propositio non est necessaria: ergo non omne per se est necessarium. *Minor prob.* Necessarium illud est quod impossibile est aliter se habere, ac proindè necessarium debet esse æternum. Sed veritas istius propositionis, Petrus est homo, est temporalis & contingens, quia quando corrumpitur Petrus, iam non erit connexio inter Petrum & hominem, quia etiam homo in Petro corrumpitur. Ergò ista propositio non est necessaria.

Secundò. Hæc propositio est per se, sol ecclypsatur, & tamen non est necessaria, ergò non omne per se est necessarium. *Maior est vera.* Quia ecclypsari est veluti quoddam accidēs, quod per se conuenit Soli & Lunæ, nam interpositio terræ inter solem & lunam causat ecclypsin in luna, interpositio verò lunę inter nos & ipsum solem, causat ecclypsin solis. *Minor prob.* Nam causa ecclypsis est contingens, quia non semper est huiusmodi interpositio. Ergò etiā effectus eius scilicet, ecclypsis solis, erit contingens, non necessarius. *Argum. II.*

Tertiò. Hæc propositio est necessaria. Omne animal compositum ex contrariis est corruptibile, & tamen hæc propositio non est per se, ergò non omnis propositio per se est necessaria. *Minor probatur.* Nam prædicatum huius propositionis, scilicet esse corruptibile, non est de intrinseca natura & definitione sub- *Argu. III.*

cti, quod est animal, quia animal ita definitur apud Philosophos, est substantia, animata, sensibilis: neque etiam est eius propria passio, quia passiones propriæ causantur ex principijs speciei, vt patet. Ergo non est propositio per se.

Resolutio.

Discrimen inter propositionum de secundo adiacente, & tertio.

Respondeo. quod hæc est differentia, inter propositionem de secundo adiacente, & inter propositionem de tertio adiacente: quia quando aliquis format propositionem affirmatiuam de secundo adiacente, tunc prædicatum materiale illius propositionis, nullum est aliud, nisi hæc dictio, est, ac proinde in huiusmodi propositionibus affirmatiuis, significatur actualis existentia subiecti vel prædicati.

Cæterum propositiones de tertio adiacente, si fuerint affirmatiuæ, non significant, neque affirmant, quod subiectum vel prędicatum existat absolutè, sed tantum coniunctionem prædicati cum suo subiecto, & ita ad hoc vt aliquis sciat quænam propositio de tertio adiacente sit necessaria, & incorruptibilis, & quæ corruptibilis & contingens, non oportet attendere an subiectum, vel prædicatum existat, vel non existat, an sit corruptibile, vel incorruptibile &c. sed tantum oportet inspicere diligenter si illa connexio prædicati cum subiecto sit temporalis vel perpetua, cōtingens vel necessaria &c.

Omnis propositio quidditatiua est necessaria.

Ex quo infero quòd omnis propositio quiddita-

ditatiua, in qua videlicet prædicatum clauditur in definitione subiecti tanquam pars essentialis ipsius, vel tanquam tota essentia, est perpetua & necessaria, & similiter, omnis propositio, in qua species prædicatur de suo indiuiduo, est propositio quidditatiua & necessaria, adeò vt hæc oratio, Petrus est homo, sit perpetuæ veritatis, propter connexionem necessariam subiecti cum prædicato, & præsertim, si hoc nomen, Petrus, sumatur vniuocè, pro indiuiduo naturæ humanæ, si autem sub hoc nomine volueris intelligere, modò indiuiduum hominis, & postea indiuiduum cadaueris, iam non vniuocè accipies Petrum, quia ibi non habet formam Petri, imò verò idem valet, sicut piscis aut canis domesticus, sub hoc nomine canis & cętera. *Præterea*, omnis propositio in qua propria passio prædicatur de suo subiecto, censetur esse necessaria, imò verò vniuersaliter loquendo, si accipiatur propositio per se, in primo aut secundo modo perseitatis, de quibus iam in articulo quinto præcedente satis dictum est, omnis propositio per se, est necessaria, & è conuerso, omnis propositio necessaria est per se in primo aut secundo modo perseitatis, reliquæ verò propositiones quotquot sunt, si non reducuntur ad primum aut secundum modum

Quando propria passio prædicatur de subiecto est propositio necessaria.

Propositiones quæ nō sūt in primo vel secūdo modo perseitatis non sunt necessariæ

Propositiones quæ nõ sunt in primo vel secundo modo perseitatis non sunt necessariæ.

modum perseitatis, sunt per accidens, & hoc ita potest ostendi: nam propositio necessaria illa dicitur, in qua subiectum ponitur in definitione prædicati, vt homo est risibilis, vel prædicatum in definitione subiecti, sicut dicendo, homo est rationalis, vterque autem iste modus necessitatis, est per se, siue in primo modo, siue in secundo: in primo quidem, si prædicatum ponitur in definitione essentiali ipsius subiecti, vt rationale ponitur in definitione hominis: in secundo verò: si subiectum ponitur in definitione prædicati, sicut homo ponitur in definitione risibilis, & ignis in definitione caloris, saltim in obliquo, dicendo, risibile est aptitudo hominis ad ridendum, & calor est aptitudo ignis ad calefaciendum &c.

Conclusio. Omnis propositio per se in primo aut secundo modo perseitatis est necessaria, & è conuerso.

Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I.

Ad primum igitur dicendum. Nego Minorem. Ad cuius probationem nego similiter Minorem, nam ex eo quod corrumpitur aliquod extremum quod significatur per propositionem, non sequitur corruptio connexionis quam habent extrema. *Volo dicere:* quod siue homo sit, siue non, semper est verum dicere: Homo est animal, & eodem modo, siue Petrus sit, siue non, semper Petrus est ho-

homo præsertim si vniuocè sumatur hæc dictio, Petrus, vt dictum est in corpore.

Ad secundum distinguo Minorem, & tamen non est necessaria, secundum omne tempus & simpliciter, concedo Minorem: secundum omne tempus quo prædicatum debet conuenire suo subiecto, nego Minorem. Vnde ista propositio hoc modo est explicanda, quod licet ecclypsis lunæ aut solis sit contingens, & non semper eueniat, in ordine ad tempus, euenit tamen semper in ordine ad causam, quia prædicata huiusmodi pro omni tempore insunt, quando ponitur causa, ad hoc vt insint. *Resp. ad II*

Ad tertium distinguo Minorem. Et tamen hæc propositio, non est per se, si sumatur per se primò & merito sui, concedo Minorem, nam animal ex merito suæ naturæ, non habet quod est esse corruptibile, vt dixit argumentum: si verò sumatur per se secundò & ex merito alterius, nego Minorem, & sic est in præsenti, nam licet esse corruptibile non sit de essentia animalis, vt animal est, est tamen de definitione & natura animalis, vt est corpus mixtum ex cõtrarijs, & ita per se secundò conuenit animali: sed de hoc satis. *Resp. ad III.*

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum ille qui demonstrat possit in aliquo casu descendere de genere in genus?

Argum. I. Videtur quod sic. *Primò.* Metaphysica & Dialectica distinguuntur ab alijs scientijs. Sed ille qui habet in intelllectu suo Metaphysicam vel Dialecticam, potest descendere ad alias scientias, & probare conclusiones illarum. Ergò ille qui demonstrat potest descendere de genere vnius scientiæ ad genus alterius scientiæ. *Minor probatur.* Nam quod Metaphysicus descendat ad alias scientias, ex eo patet, quia Metaphysica appellatur prima sapientia, sapientis autem munus est, ordinare & dirigere omnia, vt inquit Aristoteles in primò Metaph. quod autem Dialecticus possit descendere ad probandas conclusiones aliarum scientiarum, etiam est manifestum ex ipso Aristotele lib. 1. Topic. vbi ait: quod Dialectica probabiliter disputat de principijs omnium scientiarum.

Argum. II. *Secundò.* Multoties inuenitur apud Philosophos, quod vna eadēq; cōclusio, probatur demonstratiuè in diuersis sciētiis, ergò iam licebit descendere de vna scientia in aliā. *Anteced. prob.* Potest deduci in hac cōclusione, terra est rotūda, nā ista cōclusio manēs vna probatur in Physica, & similiter in Mathematica seu Astronomia, vt omnes concedunt.

Terti

Tertiò. Si non liceret descendere, de vno genere in aliud, certè hoc erit propter hanc causam, quia principia vnius scientiæ non sunt eadem cum principijs alterius scientiæ, sed hoc dici non potest, ergò potest esse talis descensus. *Minor probatur.* Nam etiam ipsemet Aristoteles, in Textu præsenti docet expresse, quod omnium scientiarum & omnium Demonstrationum eadem sunt principia.

Respondeo: Quod in omni Demonstratione tria possumus considerare, *Primum est*, id quod Demonstratur, & hoc nhil aliud est nisi propria passio quæ per Demonstrationem probatur inesse subiecto, verbi gratia, dicendo. Ergò omnis homo est risibilis, Ergò omnis ignis est calidus & cætera. *Alterum est*, id ex quo procedit Demonstratio, & talia sunt principia complexa seu propositiones. *Et tandem tertium est*, id de quo demonstratur aliquid, scilicet subiectum conclusionis, cui inhæret, & de quo prædicatur propria passio in conclusione, vt antea in capite primo huius Libri de pręcognitis dictum est. Est ergò difficultas in articulo præsenti, vtrum aliquis possit probare conclusionem vnius scientiæ, per principia & præmissas alterius scientiæ, hoc est, vtrum ego possem probare quod homo est risibilis, non per principia ipsius risibilitatis, sed per principia alicu-

Resolutio.

Tria in Demonstratione consideranda.

alicuius rei distinctæ, vt pote, quia homo habet colorem album, aut quia est corporeus, sensibilis &c.

Triplex scientiarũ ordo.

Aduerte igitur, quod in hac re vtendum est vnicâ distinctione; nimirum quod scientiæ, & obiecta omnium scientiarum in triplici ordine collocantur: *quædam* enim scientiæ sunt omninò diuersæ, ita quod vna non continetur sub altera, nec obiectum vnius continetur sub obiecto alterius, sed sunt obiecta disparata, sicut homo & equus, & hoc modo se habent Geometria & Arithmetica, quia subiectum circa quod versantur demonstrationes Geometricæ est quantitas continua, scilicet linea, magnitudo, &c. Cęterum subiectum circa quod versantur demonstrationes Arithmeticæ est quantitas discreta, hoc est, numerus: & sicut quantitas discreta non continetur sub quantitate continua; *ita* nec numerus, qui est obiectum Arithmeticæ, cõtinetur sub magnitudine vel linea, quæ obijcitur Geometriæ.

Secundo modo possunt considerari scientię, quæ ita se habent, quod subiectum vnius non est disparatum à subiecto alterius; imò verò est inferius directè, & essentialiter subordinatum, verbi gratia, scientia de animali, de homine, & similiter scientia de Triangulo, & de Isosohele &c.

Tertiò tandem possunt considerari scientiæ, quatenus subiectum vnius continetur per accidens

cides sub subiecto alterius, verbi gratia, Geometria & Perspectiua sunt duæ scientiæ distinctæ, quia obiectum Geometriæ est linea, obiectum autem scientiæ perspectiuæ, est linea visualis, & sicut esse visuale est accidens lineæ, ita scientia perspectiua quæ considerat lineam visualem, continetur per accidens sub Geometria considerante lineam vt sic: simile est exemplum in Arithmetica & Musica, nã obiectum Arithmeticæ, est numerus vt sic, obiectum autem Musicæ est numerus sonorus, & sicut esse sonorum, est accidens numeri, ita scientia musica continetur per accidens sub Arithmetica.

Hac igitur distinctione maximè vtili supposità, sic respondeo ad dubium: nam quando percunctaris, vtrum liceat descendere de genere in genus demonstrando; seu quod idem est, vtrum conclusio vnius Demonstrationis & scientiæ, possit probari per principia alterius scientiæ. *Dico*, quod si accipiamus scientias in prima acceptione, tunc nullo modo potest esse descensus de vna in aliam, nec de subiecto vnius ad subiectum alterius, quia vt dixi scientiæ illæ sunt diuersæ, & si vna vteretur principijs alterius, procul dubio diceretur migrare seu transire in aliam, nam principia & præmissæ, ex quibus deducuntur conclusiones in vna earum, sunt aliena respectu conclusionum in altera, & vice versâ.

Scientiarũ disparatarũ conclusiones per principia alterius probari nequeunt.

Scientiæ subordinatæ possint vti principiis alterius.

Si autem accipiamus scientias in secunda acceptione, hoc est, quæ ita se habẽt quod obiectum vnius continetur directè sub obiecto alterius, tunc illæ scientiæ non possunt dici omninò diuersæ, & per consequens ad eandem scientiam pertinebit demonstrare passiones de illis duobus obiectis, verbi gratia, scientia de animali non est diuersa à scientia de homine, quandoquidem homo est quoddam inferius directè contentum sub animali, vnde ad eandem scientiam pertinet demonstrare passiones animalis, & per animal descẽdere ad hominẽ, sicut ad eãdẽ pertinet demõstrare passiones trianguli, & per triangulum descendere ad species trianguli, vt puta, ad Isoschelem, qui habet duo latera æqualia &c. & ita nõ potest appellari hic descensus de scientia in scientiam.

Scientiæ subordinatæ possunt vti principiis alterius.

Si autem accipiamus scientias in *tertia* & postrema acceptione, hoc est, quæ ita se habent quod obiectum vnius continetur per accidens sub obiecto alterius, tunc illæ scientiæ non sunt omninò diuersæ sed tantum subalternæ, & transire à subalternante ad subalternatam est licitum: nam Perspectiuus vtitur principijs Geometriæ, & Musica principijs Arithmeticæ, ac proinde Geometria descendit ad Perspectiuam dando illi principia, & Perspectiuus ascendit ad Geometriam recipiendo. Quid autem sit scientia subalternata vel subalternans inferius dicemus.

Con-

Conclusio. Impossibile est quod ille qui demonstrat possit descendere de genere in genus, maximè in his scientiis, quarum subiecta sunt inter se diuersa.

Probatur. Illa scientia non potest demonstrare ex principijs alterius scientiæ, cum qua non communicat in subiecto: sed scientiæ diuersæ quarum vna non subalternatur alteri, non communicant in subiecto: ergò vna non potest demonstrare ex principijs alterius. *Maior prob* Nam Demonstrationes procedunt ex principijs subiecti, & per rationem formalem subiecti concludunt propriam passionem de illo subiecto, & ita vbi sunt distincta subiecta & non subalternata, distinctæ erunt rationes formales procedendi, & distincta principia.

Ad primum igitur dicendum, nego Minorem, ad cuius probationem dico, quod Metaphysica videtur quidem stabilire principia aliarum scientiarum, & illa firmare, tamen per principia & causas sui subiecti, quod est ens inquantum ens, sed hoc non est descendere de genere in genus, quia subiecta particularium omnium scientiarum continentur quodammodò sub obiecto Metaphysicæ, quod est ens. Ad Dialecticam verò dico, quod per principia Dialecticæ possumus probare passiones de obiectis aliarum scientiarum, non tamen demonstratiuè, sed probabiliter, vt patet ad sensum. *Resp. ad I.*

Resp. ad II *Ad secundum.* Distinguo Antecedens. Multoties vna conclusio probatur à diuersis scientijs, vna materialiter, concedo Antecedens, hoc est, vna res quæ significatur per illam cõclusionem, vna formaliter, nego Antecedens: non enim sub eadem ratione formali plures scientię probant eandem conclusionem, quia eam probant per diuersa media, verbi gratia, Astrologus probat terram esse rotundam, per hoc medium, quia cælum mouetur circulariter circa terram. Sed physicus probat eandem conclusionem, per aliud medium, scilicet quia terra est elementum grauissimum; cuius partes æqualiter tendunt ad centrum.

Resp. ad III. *Ad tertium,* nego Minorem, ad cuius probationem admitto authoritatem Aristotelis, & explico illam. Eadem sunt principia omnium scientiarum, principia propria; nego, vt in conclusione dictum est, principia communia seu dignitates, concedo, de quo erit sermo inferius.

ARTICVLVS IV.

Vtrum corruptibilium possit esse Demonstratio.

Argum. I. VIdetur quod sic: *Primò.* Si Demonstratio non esset de rebus corruptibilibus, sequeretur quòd hoc esset ideò, quia res corruptibiles non sunt vniuersales, sed hæc ratio nulla est: Ergò Demonstratio potest esse de corruptibilibus. *Minor prob.* Nam etiam res vniuer-

niuersales corrumpuntur, cuiusmodi sunt genera & species, vt docuit ipse Aristoteles in Prædicamento substantiæ: quod corruptis primis substantijs, impossibile est aliquid aliarum remanere, ac si alijs verbis diceret, quòd corrupto Petro, Francisco, & alijs indiuiduis, corrumpitur homo in sua specie, & corrupto hoc vel illo animali, corrumpitur animal in genere.

Secundò. Dictum est supra in lib. Prædicabilium: quod vniuersale potest esse, imò de facto est, extra intellectum in ipsis videlic. singularibus. *Tunc sic argumentor*. Illud quod est in singularibus, est corruptibile cum ipsis singularibus, quia omne receptum in aliquo subiecto, recipitur ab illo per modum recipientis: Ergò si vniuersalia sunt in rebus singularibus, quæ re verâ corrumpuntur, etiam vniuersalia erunt corruptibilia de quib. tamẽ datur sciẽtia. *Argu. II.*

Tertiò. Vniuersale quodlibet aut sumitur pro re, aut pro ipso conceptu, quem habeo in intellectu, sed vtrumque ex his est corruptibile. Ergò scientia vniuersalium, est scientia corruptibilium. *Minor prob.* Nam quod vniuersale sumptum pro cõceptu sit corruptibile, patet, quia conceptus in intellectu humano existentes non sunt perpetui & æterni, sed penitus transeunt: quod autem res quæ denominatur vniuersalis, sit aliquid corruptibile, etiam est manifestum, ex eo quia res denominatur vniuersalis ex conceptu & intentione vniuersalitatis, *Argu. III.*

 tatis,

tatis, & ita si conceptus qui habetur de re est corruptibilis, consequenter & res.

Resolutio. *Respondeo.* Quod licet omnes fermè Scholastici semper concesserint obiectum cuiuslibet scientiæ esse aliquid vniuersale, tamen in explicatione huius rei variant: nam Dominicus Soto sic explicat Aristot. quod quando dicit Aristoteles, Scientia est de rebus vniuersalibus & incorruptibilibus, idem est sensus ac si diceret, quod scientia est de his, quæ habent essentialem connexionem, & sunt perpetuæ veritatis, vt homo est animal, animal est substãtia &c. tamẽ res illę quæ sunt vniuersales, sunt corruptibiles per accidẽs, h. e. propter indiuidua in quib. existũt. Homo enim est res corruptibilis, quia Petrus & Franciscus & quodlibet indiuiduũ hominis est corruptibile, iuxta quẽ modũ dicebat Arist. in l. 1. Metap. ꝙ homo nõ generat hominẽ sed Calliam, & ita non corrumpitur homo sed Callias. Et quidem hæc explicatio fateor quod nihil discedit à veritate, tamen an sit sufficiens aliorum velim audire iudicium. Credo tamen posse eam confirmari exemplo hoc satis euidenti. Nam quemadmodum videmus in sensibus, verbi gratia, in visu, quod obiectum per se ipsius visus, est color, per accidens verò obijcitur visui lapis, paries, aut aliquid aliud in quo inuenitur ratio coloris: ita similiter intellectus, per se respicit quidditatem & naturam rei vniuersalis: cæterũ particularia cognoscit quodammodò per accidens & indirectè, hoc est, quia in

eis reperitur vniuersale sed non vniuersaliter, vt diximus antea in Prædicabilibus. Caietanus tamen subtilius accedit ad mentem Aristotelis in sua expositione, dicit enim quod in vniuersali possumus duo considerare, scilicet ipsam vniuersalitatem quæ est relatio rationis, quam tribuit intellectus rebus conceptis, & tandem possumus etiam considerare rem illam, quæ habet vniuersalitatem, & denominatur vniuersalis, sicut paries habens albedinem appellatur albus. Et ita quando dicit Aristoteles, quod scientia & definitio est vniuersaliũ: quadruplex sẽsus põt esse huius propositionis.

Duo in vniuersali consideranda.

Quadruplex sensus eius Definitio est vniuersalium.

I. *Primus est*: quod scientia est de vniuersalitatib. & ista explicatio non est quidem falsa, tamen non seruit ad propositum, quia Arist. loquitur in præsenti de scientia in communi, & nõ tãtum de Logica, quæ sola vniuersalitates & intentiones secundas considerat, vt satis dictũ est antea in Libris Prædicab. quasi per totum.

II. *Alter* sensus prædictæ propositionis potest esse talis, quod scientia est de rebus, & terminatur ad solas res. Et ista expositio non seruit etiã proposito: quia ipse Arist. addit hanc particulam Vniuersalium, quæ tamen dictio nõ esset addenda, si de solis rebus essent scientiæ.

III. *Tertius* tandem sensus potest esse in hac forma: Scientia est de vniuersalibus, h. e. quælibet scientia terminatur ad totum compositum seu aggregatum ex re & intentione, quæ dicitur vniuersalitas, verbi gratia, si diceremus, quod scientia de homine vniuersali, impor-

tat aliquod compositum,ex animali rationali, & ex specieitate,& sic de alijs, & quidem nec ista glossa satis facit præsenti doctrinæ, quia aggregatum ex natura & intentione tanquam totum ex partibus,vt diximus sæpè in libris Predicabilium,est ens complexum ex ente reali & rationis,& consequenter est ens per accidens,quod non potest definiri,nec sciri.

IV. *Restat* ergò postrema explicatio,quæ est huiusmodi:quando dicit Aristoteles, scientia est vniuersalium & incorruptibilium, sensus est, quod scientia quelibet terminatur ad aliquid, quod constat ex re & vniuersalitate,non tanquam ex duabus partibus,sed tanquam ex re, & conditione rei,sine qua res sciri non potest. Vnde hæc explicatio duo inuoluit,scilic.quod omnis scientia terminatur ad naturã alicuius entis,& vltra hoc,quod illa natura seu res non debet qualitercunque existere sed tantum esse vniuersaliter, & iste sensus teste Caietano est verus,& intentus ab Aristotele in loco presenti:est verus,quia õnis res quæ scitur debet esse in intellectu existens,& quoniam nihil potest existere in intellectu cum sua materialitate,& & conditionibus indiuiduantibus,vt ad sensum est euidens,sicut & ipse intellectus est immaterialis,idcircò obiectum scientiæ existit ibi sub conditionibus vniuersalibus,& prout est abstractum à materialitate. Est etiam iste sensus intentus ab Aristotele, & ab alijs Peripateticis:quia quando cõmuniter Philosophi

Sciẽtia est rei vniuersaliter.

dicunt

dicunt, quod ſcientia eſt de vniuerſalibus, nihil alud volunt intelligere, niſi hoc quod ſcientia reſpicit res tanquam ſuum obiectum, non ſingulariter conſideratas, quia res ſic variantur, & non ſciuntur ab intellectu, ſed prout illæ res conſiderantur vniuerſaliter, & ita vniuerſalitas, ſeu rem concipi vniuerſaliter, non eſt res ſcita & obiecta alicui ſcientiæ, nec eſt cauſa vt aliqua res ſciatur, nec eſt pars rei ſcitæ, nec terminat actum ſciendi. ſed tantum eſt conditio ſine qua non poteſt ſciri res directè: ſicut etiam in alio exemplo poteſt hoc ipſum videri, nam quando ego volo comburere tabulam aut chartam, tunc oportet vt ille ignis ſit proximus tabulæ, quia ignis diſtans non poteſt comburere, attamen illa approximatio ſiue propinquitas ignis ad rem combuſtibilem, nec eſt ignis, nec pars ipſius, nec id quod comburit, nec principium comburendi, ſed tantum eſt conditio ſine qua non pōt ignis comburere: hoc ergo modo vniuerſale eſt obiectum ſcientiæ & eſt incorruptibile.

Concipi vniuerſaliter eſt cōditio ſine quanō poteſt res ſciri.

Sed aduerte hic breuiter: quod quatuor poſſunt eſſe cauſæ, quod aliquis homo neſciat id quod antea ſciebat, ſeu quod idem eſt 4. modis corrūpitur ſciētia. *Primò*: quando aliquis obliuiſcitur rationis, & medij, per quod medium ſciebat aliquam concluſionem, v.g. ſcimus nos modò quod ōnis homo eſt riſibilis, per iſtā rationē, & per hoc medium, quia eſt rationalis, ſi ergò alicui excideret à mēte iſtud mediū, pro-

Scientia quatuor modis corrumpitur.

I. Obliuione medij.

cul dubio non haberet de illa conclusione sciētiam, quam habuit prius.

II. *Corruptione subiecti.* *Secundo* modo corrumpitur etiam scientia, propter corruptionem scientis, hoc est, quādo non manet subiectum scientię, corruptis enim nobis corrumpuntur etiam omnia quæ sunt in nobis, sicut motis nobis mouentur per accidens omnia quæ sunt in nobis.

III. *Mutatione obiecti.* *Tertio modo* corrumpitur, quando obiectum scientiæ aliter se habet, præsertim accipiendo scientiam largo modo, sicut Petro sedente, scio ipsum sedere, sed ipso ambulante, nescio, & sic perit scientia seu cognitio de sessione Petri. Vnde quando disputant Scholastici in hoc Textu. Vtrum corruptâ re scitâ corrūpatur etiā scientia: dicendum est ex hac particula, quod res scita si loquamur in rigore, non est subiectū aut prædicatū alicuius conclusionis, sed connexio necessaria prędicati cū suo subiecto (quidquid dicat Dominus de Flādria, qui quoties vult esse clarus, nimis est incertus vt patet in hoc libro: q. 18. a. 3. in corpore) quæ connexio, teste eodem Caietano, quia est necessaria & incorruptibilis, consequenter & ipsa scientia erit incorruptibilis. Vnde licet tempore hyemali omnes rosæ sint corruptæ, tamen ea quæ scitur non est corrupta, nec scientia similiter, quia res scita non est rosa, sed rosam esse corpoream, substantiam, viuentem &c. quod est impossibile aliter se habere, quoniā necessarium est incorruptibile. Sic ergo semper distin-

Corruptâ re non corrumpitur scientia eius.

guas

guas, quod rosa vt scita non est corrupta, sed tantùm corrupta est vt existens, sic autem rosa existens, & quodlibet aliud existens nescitur, sed tantum existens in intellectu, quia de non ente non est scientia.

Res scita vt scita nõ corrumpitur, sed vt existens.

Quartò & postremò corrumpitur scientia per obliuionem, quando nimirum aliquis ex graui infirmitate, vel etiam ex læsione capitis aut per miraculosam mutationem nihil scit corũ quæ sciebat antea: & nota benè istas causas corruptionis scientiæ, quia est expressè doctrina Aristotelis in præsenti.

IV. Obliuione.

Conclusio Corruptibilium neque est definitio, neq; Demonstratio, aut scientia.

Probatur. Hæc tria, videlicet, Definitio, Demonstratio, & Scientia, nihil aliud important, nisi cognitionem rei per causam, propter quam res est, & quod illius est causa, & quoniã non cõtingit aliter se habere, ergò omne quod definitur & scitur debet esse necessarium, licet aliâ & aliâ ratione, sed corruptibilia non sunt necessaria, & possunt aliter se habere, cum sint particularia, & composita ex ente materiali, tanquam ex principio corruptionis: Ergò corruptibilium non est definitio, nec Demonstratio, aut scientia.

Ad primum igitur dicendum nego Minorem, ad cuius probationem admitto Authoritatem Aristotelis & explico illam, corruptis primis substantijs impossibile est aliquid aliarũ remanere: corruptis per accidẽs, & in singularib⁹, cõcedo Minorẽ: per se & in intellectu

Resp. ad I.

nego Minorem, vnde homo, sol, & cætera vniuersalia, sunt corruptibilia, & possunt mori & occidi in singularibus per alterum. Vniuersalia verò in vniuersali considerata & cum conditione vniuersalitatis, sunt per se incorruptibilia, quantum ad necessariam habitudinem terminorum, & ita homo in Petro existens est corruptibilis, tamen hæc, Petrus est homo, æterna est & non potest corrumpi.

Resp. ad II. *Ad Secundum* eodem modo dicendum est: distinguo enim Maiorem: illud quod est in singularibus, est corruptibile cum ipsis singularibus, per se ita quòd corruptio terminetur ad rem illam, quę in singularibus existit, nego Maiorē: per accidēs, trāseat Maior, vt dictū est.

Resp. ad III. *Ad Tertium dico.* Quod hic vniuersale sumitur pro rebus vt sunt vniuersaliter, hoc est, vt habent modum hunc essendi, scilicet esse sub conditione vniuersalitatis, non autem pro vno eorum tantum, vt in corpore dixi, ac proinde illa probatio currit, quando separatim ista considerantur, scilicet tam res quam conditio eius: semper enim negauimus scientiam esse de vniuersalibus hoc modo sumptis: sed de hoc satis.

CAPVT X. XI. ET XII.

De vsu Principiorum ex quibus est demonstratio.

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. Demonstratio non debet procedere ex principijs communibus, sed tantum ex proprijs. *Prob.*

Probatur primò. Scire nihil aliud est nisi cognoscere rem aliquam ex principiis eius, secundum quod ipsum est: sed principia ex quibus cognoscitur aliquid secundum quod ipsum est, non possunt esse communia sed propria, ergò Demonstratio procedit ex principiis propriis. *Minor prob.* Nam si quis demonstraret quòd homo est risibilis, ex hoc principio communi, quia videlicet, est animal, certè demonstraret hominem esse risibilem; non secundum quod est homo, debuit enim demonstrare, per hoc principium proprium; quia homo est rationalis. *Ratiò I.*

Secundò probatur. Omnis demonstratio procedit ex principijs proximis, vt iam dictum est, & ex principijs non extraneis nec per accidens: sed principia communia, & sunt extranea, & non sunt proxima : ergò demonstratio non procedit ex principiis communibus. *Minor probatur.* Nam accipiamus hoc vnum principium commune, scilicet : Omne totum est maius sua parte. Tunc istud principium, est extraneum respectu Geometriæ, & respectu alterius cuiuscunque scientiæ, nec vtitur illo scientia aliqua, præsertim si principium istud in sua communitate consideretur, licet fortè vtantur eo diuersæ scientiæ, vt sumitur contractè & determinatè: nam Geometer sic ait, Omnis magnitudo totalis maior est suâ parte. Arithmeticus autem determinat hoc principium ad numerum, dicendo omnis nume- *Ratio II.*

merus totalis maior est suâ parte.

Secunda conclusio. Principium Demonstratio- *Quid & quotuplex sit principium.* *nis nihil aliud est, nisi propositio necessaria quæ non potest demonstrari in illa scientia cuius est principium, & est duplex:* quædam enim sunt principia propria, & quædam communia.

Principium proprium illud vocatur, quod *Principiũ proprium.* conuenit vni scientiæ, & est illi quodammodò appropriatum, verbi gratia, hæc propositio, linea est longitudo sine latitudine & profunditate, est principium proprium in scientia Mathematica.

Principiũ commune. *Commune* autem principium vocatur illud, quod non est appropriatum vni scientiæ, sed conuenit pluribus, verbi gratia, si ab æqualibus demas æqualia &c. similiter, omne totum est maius &c. nam quodlibet ex istis commune est Arithmeticæ & Geometriæ, vt sæpius dixi. Quinque autem sunt principia demonstrationis videlicet, dignitas, suppositio, petitio, quæstio & definitio.

Tertia conclusio. Nulla demonstratio vtitur hoc principio, Idem non contingit simul esse & non esse.

Probatur. Nam si aliqua Demonstratio vteretur hoc principio, sequeretur quod dum ego dico, Homo est animal, aut aliquid simile, tunc esset sensus, homo est animal, & nõ est non animal: sed hoc dicere est superfluũ, ergò & prius. Oportet tamẽ concedere, quod Demonstratio ducens ad impossibile vtatur hoc principio, De quolibet vera est affirmatio vel

vel negatio, licet nō ſemper illo vtatur, præſertim ſi ſumatur in ſua communitate, ſed tantum contracto ad certum genus.

Quarta concluſio. In qualibet ſcientia ſunt propriæ interrogationes, & ſimiliter ſunt propriæ reſponſiones.

Probatur. Quia propoſitio & interrogatio ſyllogiſtica idem ſunt: tum etiam, quia non oportet vnumquemque ſcientem de quolibet interrogare, nec etiam ſecundum omne interrogatum reſpondere. Hæc de textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnis ſcientia & Demonſtratio procedat ex proprijs principijs.

V*Idetur quod non. Primò.* Phyſica & Geometria ſunt diſtinctæ ſcientiæ, nam ſubiectum Phyſicæ eſt ens mobile, ſubiectum verò Geometriæ eſt quantitas continua, vt abſtrahit à materia & motu. Ergò principia vnius non debent eſſe propria reſpectu alterius ſed extranea. *Tunc vltra:* ſed ſic eſt de facto, quod Geometria probat ſuas concluſiones per principia phyſica, & vice verſâ phyſicus probat ſuas propoſitiones per principia Geometriæ. Ergò non omnis Demonſtratio & ſcientia procedit ex proprijs principijs *Argum. I.*

pijs. *Minor videtur esse manifesta*; nam hęc propositio est geometrica, De puncto ad punctũ potest duci linea, & tamen probatur à Philosopho in Physica; & similiter hæc propositio est physica. Terra est rotũda. Cælum est sphæricũ, & tamen probatur per medium & rationem geometricam, quia omnes lineæ ductæ à centro ad circumferentiam sunt æquales.

Argum. II. *Secundò*. Dictum est iam superius, quod Demonstratio debet procedere ex principiis vniuersalibus tanquam ex notioribus. *Tunc infero*. Ergò procedit ex principiis communibus & non ex propriis. *Consequentia prob*. Nam quid est principium commune, nisi vniuersale?

Argu. III. *Tertiò*. Metaphysica est verè scientia, & verè demonstrat. Sed conclusiones methaphysicales procedunt ex principiis communissimis, vt omnes fermè Philosophi concedunt, quia considerare principia in sua communitate ad nullam scientiam pertinet nisi ad Metaphysicam. Ergo non omnis scientia & Demonstratio procedit ex proprijs principijs.

Resolutio. *Respondeo*. Quod ad hoc vt sciamus an sit bona continuatio horum dubiorum: *Notandum est*: quod hæc particula, Proprium, dupliciter accipitur apud Philosophos. *Vno modo* quatenus idem significat, quod non extraneum neq; repugnans, & hoc modo solet dici in Physica, quod materia prima habet existẽtiam propriã, id est, non repugnantem suæ naturæ, vt explicant Thomistæ, similiter esse religiosum do-

Proprium dupliciter accipitur.

um

ctũ &c. est proprium homini, id est, est conforme naturæ humanæ, conueniens ei tanquam perfectio illius.

Alio modo sumitur proprium; quatenus idem significat quod non cõmune alteri, v.g. offerre Deo sacrificium Missæ est proprium sacerdoti; id est, nemini communicatur præter sacerdotem: similiter quando dicimus, quod esse risibilem est proprium homini, & esse calefactiuũ est proprium igni &c. & hoc modo nõ possunt iam applicari exempla prædicta, quæ attulimus de materia, de homine religioso &c. nam si dixeris quod materia habet propriam existẽtiam, id est, quod existentia nemini est communicabilis, sed solum materiæ cõueniens ex merito suæ naturæ, peccas cõtra Thomistas, & Philosophos; & si dixeris, quod esse religiosũ, esse doctum &c. est proprium homini, & nulli commune præter hominem, est contra rationem.

Hoc ergò supposito aduerte: quod continuatio horum capitum cum præcedentibus sic se habet: nam Aristoteles tam in præcedente textu quam etiam in his capitibus nihil aliud docet nisi hoc, quod Demonstratio debet procedere ex principijs proprijs, atttamen cum hoc discrimine, quia in textu præcedẽte sumebat proprium in prima acceptione, ita vt sit sẽsus, Demonstratio procedit ex principijs proprijs, & nõ ex principijs alienis, seu extraneis & repugnantibus suæ naturæ, & ita procedit ex princi-

pijs conuenientibus, ex perpetuis, ex necessarijs, & consequenter non licet propter hanc causam descendere de genere in genus, quod totũ iam declarauimus per articulos quatuor præcedentes. *Modò* autem in hoc Textu tractat etiam Aristoteles de principijs proprijs Demonstrationum, tamen accipit hic propriũ in secũdo modo, ita vt sit sensus, Quælibet demonstratio & scientia debet procedere ex talibus principijs, quæ non sunt communia alteri Demonstrationi, & alteri scientiæ.

Dico itaque pro resolutione Dubij. Quod de principijs scientiarum & Demonstrationum ita possumus iudicare sicut de sensibus: nam quemadmodum omnis potentia sensitiua nihil aliud habet pro obiecto, nisi rem materialem & singularem, quia immaterialia non possunt sentiri, tamen ad hoc vt aliqua potentia sensitiua dicatur attingere obiectum, non satis est quod illud sit materiale, sed requiritur vlterius, vt habeat rationem formalem sub qua possit attingi ab illa potentia, verbi gratia, potentia visiua nihil videt nisi ens materiale, potentia tactiua nihil tangit nisi materiale & cætera, tamen sub rationibus diuersis, nam visus attingit materiale sub ratione formali coloris, quia nimirum illud ens materiale stat sub aliquo colore: tactus etiam attingit obiectum illud materiale, sub qualitate tangibili, quia nimirum est redactum ad qualita-

tes tangibiles, quæ sunt calidum, frigidum &c. vnde apparet quod istæ potentiæ habent quodammodo idem obiectū scilicet ens materiale communiter, tamen contractum ad diuersas rationes formales in specie, & consequenter omnes sensus in homine, & sunt idē, & sunt diuersi inter se: sunt enim diuersi, quia diuersas rationes formales respiciunt: sunt vero idem, quia illæ rationes sunt quodammodo vnum, prout conueniunt in ente materiali communiter. Sic ergò & de principijs Demonstrationum possumus philosophari, nam principia in omni Demonstratione sunt propositiones immediatæ & per se notæ, ita vt nulla Demonstratio possit esse ex alijs principijs, nisi illa fuerint per se nota, & per se vera, sed hoc non sufficit, sicut & in sensibus attingere ens materiale non est attingere suum obiectum vltimatè: requiritur ergò vlterius, vt illa principia non sint communia, sed propria respectu conclusionis, tanquam causa immediata respectu determinati effectus, adeò vt illa conclusio ex talibus solum principijs immediatè procedat, verbi gratia, Logica est verè scientia, quæ habetur de conclusione aliqua, scilicet, quod ens rationis habet suas passiones quæ de illo prædicantur, sicut etiam risibile de homine, siue istæ passiones sint prædicata, quæ conueniunt enti rationis ex prima operatione intelllectus, siue ex quacunque alia, & in hunc finem tota Logica

Sensus inter se sunt idē & diuersi.

Qualia debeant esse principia demōstrationis.

dirigitur, videlicet ad Demonstrandum, quænam sint passiones conuenientes enti rationis, & quæ illarum principia: similiter Physica nihil aliud intendit, nisi cognoscere ens mobile, & quæ sint eius passiones & principia. Istæ verò scientiæ quia sunt distinctæ, habēt distincta obiecta & conclusiones, & consequēter ex distinctis principijs debent procedere, ita vt ex propositionibus seu principijs, quibus aliquis cognoscit ens rationis logicū & passiones eius, nullo pacto possit cognoscere ēs mobile physicū cū suis passionibus, quæ sunt Locus, Tempus, Motus, &c. Preterea si ens rationis, & ens mobile sunt obiecta distincta, debēt habere passiones distinctas, & consequēter distincta principia, sicut de visu & auditu dictum est.

Metaphysica agit de principijs cōmunib.

Ex quo infero duo: Primum est: quod quia sciētiæ speciales vtuntur proprijs *principijs, ista* autē principia & propositiones propriæ cuilibet scientiæ habent adhuc principia priora, scilicet, communia, consequens est quod vltra sciētias speciales, cuiusmodi est; Logica, Physica, Arithmetica &c. debet dari quædam scientia, quæ considerat principia communia omnibus scientijs, & per illa debet stabilire seu firmare principia specialia, & propria cuilibet scientiæ, vbi hoc fuerit opus, & hæc scientia appellatur Metaphysica, cuius obiectum est ens inquantum ens, & ita sicut in circulo omnes lineæ terminātur ad punctum, & sunt vnum in pun-

in puncto, & omnia elementa, & res elementares sunt vnum in centro, omnes homines sũt vnum in beatitudine, omnis beatitudo est vna in Deo, sic etiam omnes propositiones veræ & immediatæ, sunt vnum in Dignitate.

Infero secũdò; ꝙ nulla sciẽtia probat principia propria alteri⁹ sciẽtię, nisi daretur iste casus, in quo subiectum adæquatum vnius sciẽtię pertinet ad subiectum alterius; aliâs enim si subiecta sunt omninò diuersa, erit descensus de genere vnius scientiæ ad genus & obiectum alterius scientię, quod improbauimus in pręcedentibus artic. 3. per totum. Cæterum si obiectum vnius scientię, pertinet aliquo modo ad obiectum alterius, licitum erit descendere de principijs & propositionibus vnius ad principia alterius scientiæ, sicut, v. g. quia Geometria tractat de quantitate & punctis, vt abstrahunt à materia, tanquam de suo obiecto, physicus etiam de ente mobili, tãquam de obiecto, quantitates vero & lineæ sunt accidentia entis mobilis & corporis naturalis, hinc est, quod cõclusiones geometricæ possunt probari per rationes physicas.

Quomodo vna sciẽtia probat principia alterius.

Conclusio Demonstratio à priori, non debet procedere ex principijs communibus, sed tantũ ex proprijs. *Probatur*. Tũ authoritate Philosophi expressâ in textu, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum nego antecedens, scilicet, quod subiectum Geometriæ & Phy-

sicæ sint omninò diuersa, adeò vt principia vnius sint prorsus aliena respectu principiorũ alterius, vndelicet sint obiecta diuersa, tamen vnum eorum ordinatur ad aliud, scilic. quantitas continua ad ens mobile.

Ad secundam verò partem argumenti dico: ex S. Thoma prima parte q. 1. A. 1. quod eandẽ conclusionem & eandem passionem de subiecto possunt demonstrare diuersæ scientiæ, tamen per diuersa media, & sic est in proposito.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego consequentiam: ad cuius probationem iam patet ex dictis in corpore, quando enim dicimus quod scientia procedit ex principijs proprijs, hæc particula, Propriũ, idem sonat sicut non extraneum, sed non vt distinguitur contra vniuersale, nam sic scientia tractat de vniuersali, & procedit ex principijs vniuersalibus, vt dictum est.

Resp. ad III. *Ad tertium Dico*: quod principia Metaphysicæ dupliciter considerari possunt: *vno modo* per respectum ad ea quæ considerãtur in sciẽtijs specialibus, & isto modo principia Metaphysicæ sunt communia. *Alio modo* per respectum ad proprium subiectum Metaphysicæ, & sic dicuntur principia propria: distinguo igitur Minorem, sed Metaphysica procedit ex principiis quæ sunt communia, communia alijs scientijs, concedo Minorem: communia sibi, nego Minorem, quia principia illa sunt propria Metaphysicæ.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum prima principia ingrediantur formaliter Demonstrationem?

VIdetur quod sic. *Primò.* Nam inter alia principia inuenitur etiam hoc, Impossibile est idem simul esse & non esse. Sed principium hoc ingreditur formaliter demonstrationem. Ergo idem erit iudicium de alijs principijs. *Minor* patet in hoc syllogismo, dicendo. Impossibile est idem simul esse & non esse. Sed materiam existere sine forma est, idem simul esse & non esse. Ergò materiam esse sine forma est impossibile, vbi maior propositio est primum principium formaliter, & in sua cõmunitate sumptum. *Argum. I.*

Secundò. Si prima principia non ingrederentur formaliter Demonstrationem, ergò iam inter conclusionem demonstratiuam, & inter eius principia erit distãtia infinita, quod est inconueniens. *Consequentia probatur.* Illud distat ab altero distantiâ infinitâ quod nõ potest reduci ad alterum, sicut ens & non ens: sed si prima principia non ingrediuntur formaliter Demonstrationem, non potest reduci aliqua conclusio in prima principia, ergò in infinitum distat à primis principiis. *Argu. II.*

Tertiò. Ita se habent principia communia *Argu. III.*

respectu propriorum, sicut aliquid superius respectu sui inferioris: sed omne superi⁹ includitur actualiter in suo inferiori, v.g. animal in homine, & homo in Petro &c. Ergò prima principia includuntur formaliter in proprijs & per consequens si propria principia ingrediuntur formaliter Demonstrationem, etiam & communia.

Resolutio.

Respondeo. Quod sicut in Physicis docetur. Dupliciter vna res potest efficere alteram, scilicet formaliter & virtualiter.

Dupliciter vna res potest facere alteram.

Illa est causa efficiens formaliter, quæ motu suo naturali producit effectum sibi similem in forma, siue vt alij dicunt, cui assimilatur effectus in eo quod est sibi ratio agendi & producendi illum effectum, & hoc modo ignis generat ignem, homo hominem, &c. nam homo generãdo assimilat sibi effectum suum in anima intellectiua, quæ tamen erat ratio agendi & producendi.

Formaliter.

Illa verò causa efficiens dicitur virtualiter, quæ producit effectum aliquem naturalem, cũ concursu particularis causę, ita tamen quod ille effectus non habet formam similem causæ primæ, sed tantum causæ secundæ, & hoc modo sol & aliæ naturæ superiores efficiunt aliquid virtualiter, quia in omnibus causis inferioribus operatur virtus & perfectio solis, hoc est, motus, v.g. si hodie planta deberet generari, tũc oportet vt in virtute motus cęlestis generetur, nam ipsa generatio est quidã motus

Virtualiter.

saltim

ſaltim communiter, non tamen hoc ſufficit, ſed etiam debet concurrere altera planta quæ ſit effectiua formaliter, & cui effect⁹ proximè & immediatè aſſimiletur in forma: ſi autem ſol producit aliquid ſine cõcurſu agentis particularis, certè illud erit ens imperfectum, vt poteſt videri in his animalibus, quæ ex putredine generantur, & ſic in propoſito: Dupliciter poteſt intelligi quod aliqua principia ingrediantur Demonſtrationem, ſcilicet formaliter & virtualiter.

Dupliciter intelligitur principia ingredi demõſtrationem.

Illud principiũ formaliter ingreditur quod per ſe aſſumitur in aliquam Demonſtrationẽ, & hoc modo principia propria cuiuslibet ſcientiæ ingrediuntur ſuam ſcientiam, intelligendo nomine principij proprij definitionẽ ſubiecti, v.g. animal rationale ingreditur formaliter & ſecundũ ſe ipsũ demõſtrationẽ illã, in qua cõcluditur quod homo ſit riſibilis, &c.

Formaliter.

Caue tamen ne dicas, quod cognitio principiorum aſſimilet ſibi cognitionem concluſionis demonſtratiuæ in eadem forma, nam in hac parte non currit ſimilitudo illa quam dedimus in cauſis phyſicis, quandoquidem cognitio principiorum effectiuè inſtrumentaliter & non principaliter concurrit ad cognitionẽ concluſionis, vt antea dictum eſt.

Cognitio principiorũ nõ aſſimulat ſibi cognitionem cõcluſionis.

Illud verò principium ingreditur Demõſtrationem virtualiter, cuius virtus ad Demonſtrationem cooperatur, quod tunc accidit, quando in virtute illius, aliquæ præmiſſę,

Virtualiter.

Quomodo principia communia demonstrationem ingrediantur.

inferunt & causant conclusionem,&hoc modo prima principia communia ingrediuntur omnes & singulas Demonstrationes, quia in omnibus præmissis quæ Demonstrationem integrant, saluatur vis huiusmodi primorum principiorum, sicut in omnibus causis secundis, operatur virtus primæ causæ. Si autem principia communia accipiantur non in sua communitate, sicut istud, Non contingit idem simul esse & non esse &c. sed quatenus sunt contracta ad terminos speciales, v.g. dicendo, Non contingit eandem figuram simul habere tres angulos, & non habere, Eandem rem simul moueri,& non moueri, Materiam existere & non existere, tunc hoc modo sumpta principia verè ingrediuntur Demonstrationem formaliter, licet diuersimodè contrahantur à diuersis scientijs, v.g. hæc propositio est Dignitas cõmunissima, Si ab æqualibus ęqualia, &c. & tamen Arithmeticus accipiendo eam applicat illam ad quantitatem discretam tantum & dicit, Si ab æqualibus numeris ęquales numeros accipias, tunc ille numerus qui remanet erit æqualis. Geometer autem contrahit eam propositionem ad quãtitatem cõtinuam,hoc modo, Si ab ęqualibus lineis vel magnitudinibus æquales demas,tũc illud quod remanebit in vtraque magnitudine erit æquale. Et idem est prorsus iudicium de hac maxima, Omne totum est maius suâ parte:nam Arithmeticus dicit, omnis nume-

rus

rus totalis eſt maior ſuâ parte, hoc eſt, qualibet vnitate particulari. Cęterũ Geometer, Omne totum quantitatiuum, eſt maius &c. Et per hanc diſtinctionem omnia argumenta quę in hoc artic. circumferuntur, poſſunt reſolui.

Concluſio. Principia communia non ingrediuntur Demonſtrationem formaliter.

Probatur. Omnis demonſtratio à priori facit ſcire ſimpliciter: ſed concluſio demonſtratiua, quę procedit ex principiis communibus, non facit ſcire ſimpliciter, ſed tantum in vniuerſali & per accidens. Ergò Demonſtratio à priori non procedit ex principiis communibus formaliter. *Minor prob.* Nam ſi quis probaret hanc concluſionem, Homo eſt riſibilis, per iſtud principium commune, Homo eſt animal, ſciret hominem eſſe riſibilem, non ſimpliciter quia neſcit cauſam riſibilitatis ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Ad primum igitur dicendum: diſtinguo Minorem: ſed iſtud principium ingreditur formaliter Demonſtratioem, ſi ſumatur in terminis cõmuniſſimis, nego Minorẽ: in terminis cõtractis cõcedo, vt in ſequẽti articulo explicabitur. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum: nego conſequentiam, ad cuius probationem diſtinguo Minorem: ſed ſi principia communia non ingrederentur formaliter Demonſtrationem, non poſſet aliqua concluſio reduci in prima principia, ſi inquam non ingrederentur formaliter in terminis communiſſimis, & in terminis contractis, concedo Minorem: in terminis *Reſp. ad II.*

& quidam ducens ad impossibile : cuius diuisionis talis causa potest assignari, nam omnis conclusio demonstratiua dupliciter potest probari. *Vno modo* quandoaliquis probat illam esse veram ostendendo hoc ex præmissis veris, verbi gratia, si quis probaret hominem esse risibilem ex talib. præmissis. Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. Ergò omnis homo est risibilis. Tunc probatio conclusionis in hoc syllogismo vocatur ostensiua, ostendit enim aliquid verum ex veris principijs.

Duplex syllogismus Demonstratiuus. Conclusio demonstratiua dupliciter potest probari.

Alio modo potest quis probare conclusionem non ostendendo illam esse veram ex præmissis veris, sed ostendendo quod contradictoriũ illius conclusionis est falsum & impossibile, verbi gratia, si aliquis vellet probare quod homo est risibilis, tunc huiusmodi processu vteretur, dicendo. Per te nullus homo est risibilis: sed omne animal rationale est homo : ergò nullum animal rationale est risibile. Ecce conclusio est falsa, ergo & aliqua præmissarũ, sed non minor: quia in illa definitum prędicatur de sua definitione. Ergo maior, scilicet. Nullus homo est risibilis: *Tunc sic*, si maior est falsa, ergo contradictoria illius est vera, scilicet, Homo est risibilis, quia de quolibet est vera affirmatio vel negatio, de nullo verò ambo simul. Vbi iam patet quod istud principium, scilicet, De quolibet est vera affirmatio vel negatio, benè potest applicari ad syllogismum, qui ducit ad impossibile.

Sed

Dupliciter principia communia considerātur.

Sed quo pacto hoc fiat, aduertendum est ex doctrina Caietani, quod principia communia dupliciter considerari possunt, scilicet in actu signato, & in actu exercito.

In actu signato.

Tunc sumuntur principia communia in actu signato, quando proferuntur absolutè & secundum se, v.g. dicendo. Non contingit idē simul esse & non esse, Simul affirmare & negare, Simul moueri & non moueri, scribere, & non scribere &c. hæc enim omnia sunt, quę nō possunt simul affirmari & negari de eodem.

In actu exercito.

Tunc autem sumuntur in actu exercito, quando significant aliquod determinatum subiectum, verbi gratia dicendo, Petrus mouetur & non mouetur. lapis est ens, & non est ens, Paulus scribit & non scribit & cætera. Si ergò volumus loqui de principijs communibus quatenus sumuntur in actu signato, tunc huiusmodi principia ingrediuntur formaliter demonstrationē, siue illa sit demōstratio ostēsiua, siue etiā ducēs ad impossibile, & iuxta hāc explicationem debet intelligi articulus pręcedens, v.g. hæc propositio, hominem currere aut non currere est verū, Petrum dormire vel non dormire est verū, similiter omne affirmare aut negare est verū vel falsū. Cæterū si volumus loqui de principijs communissimis in actu exercito & maximè de illo principio, Nō contingit idem simul esse: tunc huiusmodi principium, neq; ingreditur demonstrationē ostensiuā, neq; demonstrationem quę ducit ad im-

Principia in actu signato formaliter ingrediuntur demōstrationē.

Principia communia in actu exercito demonstrationem nō ingrediuntur.

impossibile: & ratio est, quia in syllogismo demonstratiuo quicunque est ille, debemus semper vitare terminos superfluos, superfluitas autem esset maxima, si vteremur hoc principio in actu exercito, vt patet si ego dicerem alicui hãc propositionẽ: Petrus est animal, & nõ est non animal: paries est albus, & non est non albus, ad quid enim valet hæc superfluitas superaddita? non est non albus? non est non animal? Concedendum tamen est, quod Demonstratio quæ ducit ad impossibile ex necessitate vtitur illo principio, scilicet, Nõ contingit idem simul affirmare & negare, vt iam in exemplo adducto fuit manifestum.

Conclusio. Si sumatur hoc principium commune in actu exercito scilicet, Nõ contingit simul affirmare & negare, tunc ingreditur demonstrationem aliquam, siue sit demonstratio ostensiua, siue ducens ad impossibile.

Probatur. Demonstratio quælibet ad hunc finẽ ordinatur, vt possit certũ facere intellectũ de aliqua re, & in ipso generare sciẽtiã. Sed nõ magis intellect⁹ fit cert⁹ de aliqua cõclusione, quãdo ponitur istud principiũ in actu exercito, q̃ si non ponatur, ergò sumendo hoc principiũ in actu exercito, non ingreditur aliquam Demonstrationem: Minor patet ex corpore.

Ad primum igitur dicendum concedo totum si sumatur hoc principium in actu signato, alias nego: licet hæc duo principia distinguantur inter se solâ ratione, quia nimirum non contingit idẽ simul affirmare & negare, est *Resp. ad I.*

principium negatiuum, sed de quolibet est vera affirmatio vel negatio, est affirmatiuum; vt patet.

Resp. ad II *Ad secundum*, Respondet Dominicus de Flãdria distinguendo Minorem: sed causa vniuersalis immediatius attingit effectum quã particularis, immediatione inquit virtutis, sed nõ immediatione suppositi, quia hoc solis principijs proprijs debet conuenire. Saluâ tamen authoritate huius Doctoris, nõ video quodnã sit suppositum in principijs aut quæ virtus suppositalis, & idcircò stando in doctrina Caietani. *Dico* quod principium istud, Non contingit idem simul affirmare & negare; formaliter ingreditur Demonstrationem in actu signato, vt autem exactam habeas notitiã omnium principiorum, sit

ARTICVLLVS IV.

Vtrum quinq; tantum sint principia cuiuslibet Demonstrationis, scilicet dignitas, suppositio, petitio, quæstio, & definitio?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Suppositio non potest esse principium in aliqua scientia & demonstratione, ergo quatuor tantum erunt principia. *Antecedens prob.* propositio dialectica siue probabilis non potest esse principium in Demõstratione, quia Demõstratio procedit ex præmissis necessarijs, & non ex probabilibus;

bus, sed suppositio est propositio probabilis & dialectica vt ipse Arist. cōcedit in hoc textu: ergò suppositio nō est principium demōstrationis.

Secundò. Definitio nō est principium, ergò vt prius. Anteced. prob. principia demonstrationis sūt propositiones præmissæ ex quibus deducitur conclusio, sed definitio non est propositio, ergò non est principium. *Argum. II.*

Tertiò. Petitio & quæstio non sunt principia Demonstrationis: ergò tria tantū erunt principia. *Antecedens prob.* Nam quæstio est de re dubia, sed principia demōstrationis sunt indubitanter vera, necessaria, & perpetuæ veritatis, vt iam hactenus dicebamus ex Aristot. ergò petitio & quęstio non sunt principia. *Argu. III.*

Respondeo. Quod difficultas huius articuli teste Dominico Soto est notatu digna: pro cuius intelligētia aduertēdū est, quòd ista quinq; nimirū, dignitas, suppositio, petitio, quęstio, & definitio, & cōueniunt inter se, & etiā differunt. Conueniunt quidē in hoc, quia hæc omnia sunt principia demōstrationis, & sūt propositiones immediatæ: differentia verò omnium istorum triplex est. *Resolutio.* *Triplex Discrimen inter quinque principia.*

Primò enim differt, dignitas ab alijs 4. quia dignitas nihil aliud est, vt in superiorib. multoties diximˀ, nisi propositio quæ est nota per se simpliciter, & quo ad nos, in tantū vt etiā nemo possit cōcipere intellectu suo oppositū illius, licet possit voce proferre, quia talis pro- *Quid sit dignitas.*

positio digna est, vt ab omnibus recipiatur tãquã vera, v.g. dicẽdo. Quodlibet est vel non est; Non contingit idem simul esse &c. at verò alia principia vt puta suppositio, petitio, &c. licet sint nota & euidentia secundum se, nõ tamen quo ad nos, sed oportet omninò vt nobis probentur per alias propositiones magis notiores.

Secunda differentia est inter hæc tria: scilicet inter suppositionem, petitionem, & quæstionem: quia vna eadẽque propositio potest appellari petito, suppositio; & quæstio, licet hoc fiat non sub eadem ratione formali: accipias enim pro exemplo aliquem discipulum, qui modo incipit addiscere præcepta Philosophiæ: tunc huiusmodi discipulus diuersimodè potest se habere ad Magistrum; *Primò* enim sic se habet in addiscendo, quod eiusdem opinionis est, & eandẽ prorsus tuetur opinionem seu sentẽtiam quã Magister, dicitur enim in libro primò Elench. oportet addiscentẽ credere, & similiter primo de Cælo, oportet patrib⁹ credere, & sermones seniorũ verificare, tũc videtur discipulo addiscẽti ꝙ talis propositio quã audit à Magistro sit vera, v.g. si quis disputãs cum Democrito Philosopho audiret ab illo hãc propositionẽ physicã: corpora fiunt ex atomis: quæ propositio licet sit falsa, vt Deo fauẽte lib. primo Physicorũ dicetur ex Arist. tamẽ ille opinaretur illã esse verã, tũc huiusmodi propositio vocabitur suppositio, quia discipulus supponit & credit esse verã. Idẽ exẽplũ po-

Quid sit suppositio.

poteſt eſſe in hac propoſitione, omnes lineæ quę ducuntur à centro circuli ad circũferentiam, ſunt æquales. Vnde ſuppoſitio ita poteſt definiri, ſuppoſitio eſt propoſitio, quæ an ſit vera, neſcit addiſcens; tamen credit eã eſſe veram, propter authoritatem Magiſtri.

Secundò poteſt ſe habere diſcipulus ad Magiſtrum hoc modo, quod ipſe nec eſt cõtrariæ opinionis; nec etiam eiuſdem, ſed penitus indifferenter ſe habet ad propoſitionem illam, ſic quod neque illam negat, nec concedit, & talis propoſitio vocatur Petitio, quia nimirum ipſe petit declarationem vt poſſit capere mentem Magiſtri, verbi gratia, ſi quis audiret, quod ſol eſt maior totâ terrâ, & quod aſtra ſunt paria, tunc iſte addiſcens, vt poſſit aliquã concluſionẽ adinuenire, petit à Magiſtro vt ſibi dictũ exponat, aut etiam concedat oppoſitum ſuæ doctrinæ, vt vel ſic contra illum poſſit argumentari: idem exemplum poteſt eſſe in hac Propoſitione, non datur vacuum in rerum natura, nam ſi quis hoc audiret ab Ariſtotele ita docente in 4. Phyſic. tunc poſſet ſtatim petere à Philoſopho, vt ſibi admittat hãc Propoſitionem, datur vacuum in rerum natura, quod ſi cõcederet Ariſtot. cõcluſionẽ hãc, ſtatim ille ſubinferet, Ergò nõ dabitur motus ſucceſſiuus per tale ſpaciũ ſed motꝰ inſtãtaneꝰ. *Quid ſit Petitio.*

Si autem diſcipulus addiſcens tertio modo ſe habeat ad Magiſtrũ, hoc eſt, quia non acceptat propoſitionẽ quã audit: ſed potiꝰ opinio- *Quid Quæſtio.*

nis contrariæ existimans illam esse fasam, & ex alia parte Magister nō vult admittere aliquid contra suam opinionem, tunc iam oritur inter illos disputatio seu quæstio: dicendo: Vtrum sol sit maior totâ terrâ. Vtrum detur vacuum in rerum natura &c.

Tertia differentia est inter Definitionem & alia principia. Quia illa 4. principia sunt propositiones, & possunt communi vocabulo appellari suppositiones. Cæterum definitio non est propositio, nec dicitur suppositio, sed tantum principium & positio, verbi gratia: Animal rationale, est definitio hominis, quæ non est propositio vt patet, quia propositio debet habere subiectum, prædicatum & copulam, tanquam principales partes sui, quod totum non habet definitio; sed ipsa tantum genus & differentiam comprehendit.

Conclusio. Quinq; tantum sunt principia complexa Demonstrationis, scilicet dignitas, suppositio, petitio, quæstio, & definitio.

Probatur. Omne principium demonstrationis aut est complexum aliquo modo & secundum quid, hoc est, virtualiter, & sic est definitio, aut est complexum simpliciter & absolutè, & hoc dupliciter: quia vel per se oportet cognosci tale principium, ita vt nullo modo possit probari, & sic est dignitas: aut etiam illud principium potest notificari per aliud, & hoc est tripliciter: quia vel tale principium ab addiscente creditur esse verum, & sic est sup-

po-

positio: vel creditur esse falsum, & sic est quæstio: vel neutro modo opinatur, nec verum esse nec falsum, & sic est petitio. Ergò quinque tantum sunt principia Demonstrationis.

Ad primum igitur dicendum nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo Minorem, sed suppositio est propositio probabilis, simpliciter & secundum se, nego Minorem, nam secundum se considerata non potest esse vera aut falsa: respectu addiscentis, concedo Minorem, quia illi apparet esse vera, & sic explicandus est in præsenti Aristoteles. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo Minorem: sed definitio non est propositio, in actu & simpliciter, concedo Minorem: in virtute & secundum quid, nego Minorem. Volo dicere: quod definitio secundum se sumpta, verbi gratia, animal rationale, non est propositio, nec præmissa, sed sumpta cum suo definito, de quo prædicatur potest esse, imò de facto est propositio dicendo: homo est animal rationale. *Resp. ad II*

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius probationem *Dico*: quod argumentum istud postulat aliam difficultatem specialem, pro qua sit *Resp. ad III.*

ARTICVLVS V.

Vtrum ille qui demonstrat interroget?

V*Idetur quod non. Primò.* Quælibet interrogatio est de re dubia, quia nullus finis po- *Argum. I.*

 test

test assignari propter quem aliquis interrogat, nisi quia dubitat & vult absolui à re dubia: sed in syllogismo demonstratiuo procedimus ex præmissis immediatis, necessarijs & indubitabilibus, vt iam superius dictum est: Ergò ille qui demonstrat non debet interrogare.

Argu. II. *Secundò.* Ille qui interrogat, nihil aliud intendit, nisi quærere viam ad vtramque partem contradictionis, v. g. si quis percõtaretur. Vtrũ dulce sit pro patria mori vel nõ? certè iste homo quærit quãnam contradictionis partẽ debeat amplecti, affirmatiuam vel negatiuam. *Tunc sic:* sed omnis demonstrator, seu sciens, ad vnam tantum partem declinat, scilicet ad veram, quia falsi non est scientia. Ergò demonstrator non interrogat.

Argu. III. *Tertiò.* Si Demonstrator potest interrogare. Ergò in qualibet scientia, & in qualibet Demonstratione sunt propriæ interrogationes. Sed hoc est falsum & contra Aristotelem. Ergò Demonstrator non debet interrogare. *Minor prob.* Nam Aristoteles docet inferius in libro secundo, quod interrogationes seu quæstiones sunt tantum quatuor. *Tunc sic:* ergò si quælibet scientia habet suas proprias interrogationes, quatuor erunt tãtum scientiæ, quod est contra sensum.

Resolutio. *Respondeo.* Quod sicut videmus apud artifices, quod diuersæ artes de diuersis rebus interrogant: alia enim quærit artifex sciens facere domum vel cathedram, & alia sciens nauigare &c. nam si quispiam artifex vnius artis in-

terrogaret, quonam modo procedatur in alia arte distincta, & quibus principijs sit vtendum, vel in quē finem, certè iudicaretur insipiens. *Sic* ergò in proposito: scientiæ speculatiuæ, quæ habent obiecta distincta, sunt inter se distincta, & ita principia ex quibus procedit vna nō sunt propria respectu alterius, & interrogationes quas facit vna, non sunt alterius. Verbi gratia, si quis interroget Geometram, an linea recta pulchrior sit quam visualis: & similiter, an figura circularis aptior sit ad motum quam quadrangularis, certè non pertinebit ad ipsum respondere, quia non tenetur scire aliquid de pulchritudine aut de motu, cum ista sint de consideratione physica, Geometer autem considerat quantitatem cōtinuā vt sic, hoc est, Lineam vt sic, magnitudinē vt sic &c. è contra verò si quis interrogaret Geometrā de aliqua propositione geometrica cōcludet ipsū esse ignarū Geometrię, si nō potuerit adhibere responsionē. Vnde colligit Aristoteles, quod de vnaquaq; materia disputandum est inter eos tantum, & cum his, & coram his tantum, qui periti sunt in illa arte, vt sic ex propriis principiis disputent, & non ex impertinentibus, & qui astant, sciant iudicare vter disputantium benè disputet.

Interrogationes vnius scientiæ non sunt alterius.

Sed aduerte: quod hæc tria, interrogatio, propositio, & conclusio, idem significant sub rationibus diuersis, eadem enim oratio dum interrogatur ab aliquo, est interrogatio seu quęstio, dū probatur est conclusio, dū admittitur

Conuenientia inter Interrogationem, Propositionē, & Cōclusionem.

à respondente, & assumitur tanquam pręmissa ad aliquid probandum, vocatur propositio, verbi gratia, accipio hanc vnicam orationem, anima humana est immortalis: tunc ista oratio manẽs eadẽ, dum interrogatur ab aliquo in tali forma, vtrũ anima humana sit immortalis? est quęstio seu interrogatio, dum autẽ cõcluditur ex aliquibus præmissis, vocatur cõclusio, vt patet dicẽdo. Illud ꝙ potest intelligere sine corpore est immortale, sed anima humana potest intelligere sine corpore, ergò anima humana est immortalis. Tãdẽ hæc eadẽ oratio põt vocari propositio, quando ex ipsa cõclusio infertur, dicẽdo, anima humana est immortalis, ergo homines debent dirigere operationes suas in aliam vitam tanquam in finem, & sic de alijs: ex quo patet quod interrogatio nõ sumitur hic pro actu interrogãtis, sed pro ipsa propositione, quæ cũ signo quæsitiuo profertur dicẽdo, vtrum homo sit disciplinabilis, risibilis &c.

Interrogatio duplex. *Duplex* autem est interrogatio. *Quædam* enim est dialectica, & quædam posterioristica: inter quas interrogationes, tale discrimen assignatur à S. Thoma in præsenti: *Primò* quia interrogatio dialectica seu topica, non solum est de ipsa cõclusione, sed etiã de præmissis, vnde Topicus potest interrogare, vtrũ cõclusio sit vera, & de illa dubitare, & preterea potest interrogare de præmissis. *Discrimen inter dialecticã & posterioristicã interrogationẽ.*

Cæterum Demonstrator præmissas accipit vt veras, & de sola cõclusione interrogat & ita

ille

ille qui efficit syllogismum demonstratiuum demonstrabit quidem cõclusionem negatam, sed non demõstrabit præmissas, quia procedit ex præmissis immediatis, prioribus, notiorib⁹, & cõsequenter nõ habet aliquod mediũ & ratione priorẽ, per quã possit probare premissas: nã quomodo probabit, quod omne rationale est risibile vel quod homo est rationalis? cũ nihil mediet inter hominẽ & rationalitatem.

Secundum discrimen est, quia Dialecticus quando interrogat de conclusione, an sit vera vel falsa, paratus est quamcunque contradictionis partem probare, tam affirmatiuã quã negatiuam: at verò Demõstrator si interrogat de aliqua conclusione, tãtũmmodò partẽ verã & necessariã probat, nã falsum & oppositũ nũquã probabit, vt quod homo nõ sit risibilis, quod ignis non sit calidus, quod equus non sit hinnibilis &c.

Conclusio. Demonstrator de sola conclusione interrogat & non de principijs.

Probatur: Interrogatio est de re dubia, sed Demonstrator non dubitat de principijs sed de sola conclusione, ergò Demonstrator de sola conclusione interrogat. *Maior est manifesta*, ex eo quia dum aliquis est certus de aliqua re, non interrogat: vnde est regula apud Iuristas, qui certus est, amplius certiorari non debet. *Minor verò patet ex corpore*, quia præmissæ sunt immediatæ, per se notæ, & veræ.

Ad primum igitur dicendũ. Distinguo conseq. *Resp. ad I.*

principium negatiuum, sed de quolibet est vera affirmatio vel negatio, est affirmatiuum; vt patet.

Resp.ad II *Ad secundum*, Respondet Dominicus de Flãdria distinguendo Minorem: sed causa vniuersalis immediatius attingit effectum quã particularis, immediatione inquit virtutis, sed nõ immediatione suppositi, quia hoc solis principijs proprijs debet conuenire. Saluâ tamen authoritate huius Doctoris, nõ video quodnã sit suppositum in principijs aut quæ virtus suppositalis, & idcircò stando in doctrina Caietani. *Dico* quod principium istud, Non contingit idem simul affirmare & negare; formaliter ingreditur Demonstrationem in actu signato, vt autem exactam habeas notitiã omnium principiorum, sit

ARTICVLLVS IV.

Vtrum quinq; tantum sint principia cuiuslibet Demonstrationis, scilicet dignitas, suppositio, petitio, quæstio, & definitio?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Suppositio non potest esse principium in aliqua scientia & demonstratione, ergo quatuor tantum erunt principia. *Antecedens prob.* propositio dialectica siue probabilis non potest esse principium in Demõstratione, quia Demõstratio procedit ex præmissis necessarijs, & non ex probabilibus;

bus, sed suppositio est propositio probabilis & dialectica vt ipse Arist. cōcedit in hoc textu: ergò suppositio nō est principium demōstrationis.

Secundò. Definitio nō est principium, ergò vt prius. Anteced. prob. principia demonstrationis sūt propositiones præmissæ ex quibus deducitur conclusio, sed definitio non est propositio; ergò non est principium. *Argum. II.*

Tertiò. Petitio & quæstio non sunt principia Demonstrationis: ergò tria tantū erunt principia. *Antecedens prob.* Nam quæstio est de re dubia; sed principia demōstrationis sunt indubitanter vera, necessaria, & perpetuæ veritatis, vt iam hactenus dicebamus ex Aristot. ergo petitio & quęstio non sunt principia. *Argu. III.*

Respondeo. Quod difficultas huius articuli teste Dominico Soto est notatu digna: pro cuius intelligētia aduertēdū est, quod ista quinq; nimirū; dignitas, suppositio, petitio, quęstio, & definitio, & cōueniunt inter se, & etiā differunt. Conueniunt quidē in hoc, quia hæc omnia sunt principia demōstrationis, & sūt propositiones immediatæ: differentia verò omnium istorum triplex est. *Resolutio.* *Triplex Discrimen inter quinque principia.*

Primò enim differt, dignitas ab alijs 4. quia dignitas nihil aliud est, vt in superiorib. multoties diximꝰ, nisi propositio quæ est nota per se simpliciter, & quo ad nos, in tantū vt etiā nemo possit cōcipere intellectu suo oppositū illius, licet possit voce proferre, quia talis pro- *Quid sit dignitas.*

positio digna est, vt ab omnibus recipiatur tãquã vera, v.g. dicẽdo. Quodlibet est vel non est; Non contingit idem simul esse &c. at verò alia principia vt puta suppositio, petitio, &c. licet sint nota & euidentia secundum se, nõ tamen quo ad nos, sed oportet omninò vt nobis probentur per alias propositiones magis notiores.

Secunda differentia est inter hæc tria: scilicet inter suppositionem, petitionem, & quæstionem: quia vna eadẽque propositio potest appellari petito, suppositio; & quæstio, licet hoc fiat non sub eadem ratione formali: accipias enim pro exemplo aliquem discipulum, qui modo incipit addiscere præcepta Philosophiæ: tunc huiusmodi discipulus diuersimodè potest se habere ad Magistrum; *Primò* enim sic se habet in addiscendo, quod eiusdem opinionis est, & eandẽ prorsus tuetur opinionem seu sentẽtiam quã Magister, dicitur enim in libro primò Elench. oportet addiscentẽ credere, & similiter primo de Cælo, oportet patrib⁹ credere, & sermones seniorũ verificare, tũc videtur discipulo addiscẽti ꝙ talis propositio quã audit à Magistro sit vera, v.g. si quis disputãs cum Democrito Philosopho audiret ab illo hãc propositionẽ physicã: corpora fiunt ex atomis: quæ propositio licet sit falsa, vt Deo fauẽte lib. primo Physicorũ dicetur ex Arist. tamẽ ille opinaretur illã esse verã, tũc huiusmodi propositio vocabitur suppositio, quia discipulus supponit & credit esse verã. Idẽ exẽplũ

Quid sit suppositio.

po-

poteſt eſſe in hac propoſitione, omnes lineæ quę ducuntur à centro circuli ad circũferentiam, ſunt æquales. Vnde ſuppoſitio ita poteſt definiri, ſuppoſitio eſt propoſitio, quæ an ſit vera, neſcit addiſcens; tamen credit eã eſſe veram, propter authoritatem Magiſtri.

Secundò poteſt ſe habere diſcipulus ad Magiſtrum hoc modo, quod ipſe nec eſt cõtrariæ opinionis; nec etiam eiuſdem, ſed penitus indifferenter ſe habet ad propoſitionem illam, ſic quod neque illam negat, nec concedit, & talis propoſitio vocatur Petitio, quia nimirum ipſe petit declarationem vt poſſit capere mentem Magiſtri, verbi gratia, ſi quis audiret, quod ſol eſt maior totâ terrâ, & quod aſtra ſunt paria, tunc iſte addiſcens, vt poſſit aliquã concluſionẽ adinuenire, petit à Magiſtro vt ſibi dictũ exponat, aut etiam concedat oppoſitum ſuæ doctrinæ, vt vel ſic contra illum poſſit argumentari: idem exemplum poteſt eſſe in hac Propoſitione, non datur vacuum in rerum natura, nam ſi quis hoc audiret ab Ariſtotele ita docente in 4. Phyſic. tunt poſſet ſtatim petere à Philoſopho, vt ſibi admittat hãc Propoſitionem, datur vacuum in rerum natura, quod ſi cõcederet Ariſtot. cõcluſionẽ hãc, ſtatim ille ſubinferet, Ergò nõ dabitur motus ſucceſſiuus per tale ſpaciũ ſed motꝰ inſtãtaneꝰ. *Quid ſit Petitio.*

Si autem diſcipulus addiſcens tertio modo ſe habeat ad Magiſtrũ, hoc eſt, quia non acceptat propoſitionẽ quã audit: ſed potiꝰ opinio- *Quid Quæſtio.*

nis contrariæ existimans illam esse fasam, & ex alia parte Magister nō vult admittere aliquid contra suam opinionem, tunc iam oritur inter illos disputatio seu quæstio: dicendo: Vtrum sol sit maior totâ terrâ. Vtrum detur vacuum in rerum natura &c.

Tertia differentia est inter Definitionem & alia principia. Quia illa 4. principia sunt propositiones, & possunt communi vocabulo appellari suppositiones. Cæterum definitio non est propositio, nec dicitur suppositio, sed tantum principium & positio, verbi gratia: Animal rationale, est definitio hominis, quæ non est propositio vt patet, quia propositio debet habere subiectum, prædicatum & copulam, tanquam principales partes sui, quod totum non habet definitio; sed ipsa tantum genus & differentiam comprehendit.

Conclusio. Quinq; tantum sunt principia complexa Demonstrationis, scilicet dignitas, suppositio, petitio, quæstio, & definitio.

Probatur. Omne principium demonstrationis aut est complexum aliquo modo & secundum quid, hoc est, virtualiter, & sic est definitio, aut est complexum simpliciter & absolutè, & hoc dupliciter: quia vel per se oportet cognosci tale principium, ita vt nullo modo possit probari, & sic est dignitas: aut etiam illud principium potest notificari per aliud, & hoc est tripliciter: quia vel tale principium ab addiscente creditur esse verum, & sic est suppo-

po-

positio: vel creditur esse falsum, & sic est quæstio: vel neutro modo opinatur, nec verum esse nec falsum, & sic est petitio. Ergò quinque tantum sunt principia Demonstrationis.

Ad primum igitur dicendum nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo Minorem, sed suppositio est propositio probabilis, simpliciter & secundum se, nego Minorem, nam secundum se considerata non potest esse vera aut falsa: respectu addiscentis, concedo Minorem, quia illi apparet esse vera, & sic explicandus est in præsenti Aristoteles. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego antecedens. Ad cuius probationem distinguo Minorem: sed definitio non est propositio, in actu & simpliciter, concedo Minorem: in virtute & secundum quid, nego Minorem. Volo dicere: quod definitio secundum se sumpta, verbi gratia, animal rationale, non est propositio, nec præmissa, sed sumpta cum suo definito, de quo prædicatur potest esse, imò de facto est propositio dicendo: homo est animal rationale. *Resp. ad II*

Ad tertium nego antecedens. Ad cuius probationem *Dico*: quod argumentum istud postulat aliam difficultatem specialem, pro qua sit *Resp. ad III.*

ARTICVLVS V.

Vtrum ille qui demonstrat interroget?

V*Idetur quod non. Primò*. Quælibet interrogatio est de re dubia. quia nullus finis potest *Argum. I.*

test assignari propter quem aliquis interrogat, nisi quia dubitat & vult absolui à re dubia: sed in syllogismo demonstratiuo procedimus ex præmissis immediatis, necessarijs & indubitabilibus, vt iam superius dictum est: Ergò ille qui demonstrat non debet interrogare.

Argu. II. *Secundò.* Ille qui interrogat, nihil aliud intendit, nisi quærere viam ad vtramque partem contradictionis, v. g. si quis percõtaretur. Vtrũ dulce sit pro patria mori vel nõ? certè iste homo quærit quãnam contradictionis partẽ debeat amplecti, affirmatiuam vel negatiuam. *Tunc sic:* sed omnis demonstrator, seu sciens, ad vnam tantum partem declinat, scilicet ad veram, quia falsi non est scientia. Ergò demonstrator non interrogat.

Argu. III. *Tertiò.* Si Demonstrator potest interrogare. Ergò in qualibet scientia, & in qualibet Demonstratione sunt propriæ interrogationes. Sed hoc est falsum & contra Aristotelem. Ergò Demonstrator non debet interrogare. *Minor prob.* Nam Aristoteles docet inferius in libro secundo, quod interrogationes seu quæstiones sunt tantum quatuor. *Tunc sic:* ergò si quælibet scientia habet suas proprias interrogationes, quatuor erunt tãtum scientiæ, quod est contra sensum.

Resolutio. *Respondeo.* Quod sicut videmus apud artifices, quod diuersæ artes de diuersis rebus interrogant: alia enim quærit artifex sciens facere domum vel cathedram, & alia sciens nauigare &c. nam si quispiam artifex vnius artis in-

terrogaret, quonam modo procedatur in alia arte distincta, & quibus principijs sit vtendum, vel in quē finem, certè iudicaretur insipiens. *Sic* ergò in proposito: scientiæ speculatiuæ, quæ habent obiecta distincta, sunt inter se distincta, & ita principia ex quibus procedit vna nō sunt propriá respectu alterius, & interrogationes quas facit vna, non sunt alterius. Verbi gratia, si quis interroget Geometram, an linea recta pulchrior sit quam visualis: & similiter, an figura circularis aptior sit ad motum quam quadrangularis, certè non pertinebit ad ipsum respondere, quia non tenetur scire aliquid de pulchritudine aut de motu, cum ista sint de consideratione physica, Geometer autem considerat quantitatem cōtinuā vt sic, hoc est, Lineam vt sic, magnitudinē vt sic &c. è contra verò si quis interrogaret Geometrā de aliqua propositione geometrica cōcludet ipsū esse ignarū Geometrię, si nō potuerit adhibere responsionē. Vnde colligit Aristoteles, quod de ſvnaquaq; materia disputandum est inter eos tantum, & cum his, & coram his tantum, qui periti sunt in illa arte, vt sic ex propriis principiis disputent, & non ex impertinentibus, & qui astant, sciant iudicare vter disputantium benè disputet.

Interrogationes vnius scientiæ non sunt alterius.

Sed aduerte: quod hæc tria, interrogatio, propositio, & conclusio, idem significant sub rationibus diuersis, eadem enim oratio dum interrogatur ab aliquo, est interrogatio seu quęstio, dū probatur est conclusio, dū admittitur

Conuenientia inter Interrogationem, Propositionē, & Cōclusionem.

ille qui efficit syllogismum demonstratiuum demonstrabit quidem cõclusionem negatam, sed non demõstrabit præmissas,quia procedit ex præmissis immediatis,prioribus, notiorib⁹, & cõsequenter nõ habet aliquod mediũ & ratione priorẽ,per quã possit probare pręmissas: nã quomodo probabit, quod omne rationale est risibile vel quod homo est rationalis? cũ nihil mediet inter hominẽ & rationalitatem.

Secundum discrimen est, quia Dialecticus quando interrogat de conclusione, an sit vera vel falsa,paratus est quamcunque contradictionis partem probare,tam affirmatiuã quã negatiuam:at vero Demõstrator si interrogat de aliqua conclusione,tãtũmmodò partẽ verã & necessariã probat,nã falsum & oppositũ nũquã probabit, vt quod homo nõ sit risibilis, quod ignis non sit calidus,quod equus non sit hinnibilis &c.

Conclusio. Demonstrator de sola conclusione interrogat & non de principijs.

Probatur: Interrogatio est de re dubia,sed Demonstrator non dubitat de principijs sed de sola conclusione,ergò Demonstrator de sola conclusione interrogat. *Maior est manifesta*, ex eo quia dum aliquis est certus de aliqua re,non interrogat: vnde est regula apud Iuristas, qui certus est, amplius certiorari non debet. *Minor verò patet ex corpore*, quia præmissæ sunt immediatæ,per se notæ, & veræ.

Ad primum igitur dicendũ. Distinguo conseq. *Resp. ad 1.*

ergò ille qui demonstrat non debet interrogare, de principiis ex quibus demonstrat, concedo consequent. de conclusione quam demonstrat, nego consequent.

Resp. ad II *Ad secundum:* distinguo Maiorem, ille qui interrogat quærit viã ad vtramq; partẽ contradictionis, si interrogatio sumatur dialecticè seu topicè, concedo Maiorem: posterioristicè, nego vt dictum est.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego Minorem, ad cuius probationem admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Interrogationes sunt tantum 4. in genere concedo, in specie nego: sed de hoc satis

---

CAPVT XIII. XIV. XV.

De Demonstratione Quia, de forma syllogismi demõstratiui, & de ignorantia demonstratiua.

PRima conclusio. *Demonstratio Quia & propter Quid differunt inter se.*

Ratio I. *Probatur. Primò.* Quia Demonstratio propter quid procedit ex causa proxima & adæquata, Demonstratio verò quia procedit ex causa remota & inæquata, v.g. si quis vellet probare, quod paries non respirat per hoc medium: quidquid respirat est animal, sed paries non est animal: ergò paries non respirat. Hæc probatio potest appellari Demonstratio quia, nam est per causam remotam. Esse enim animal, nõ est causa proxima respirationis, sed habere pul-

pulmonem. Simile eſt exemplum in dicto cuiuſdam Philoſophi, qui cum eſſet Schyta & veniſſet Athenas, ibique mulieres ſaltatrices conſpexiſſet, interrogatus ſi etiam in Schytia innenirentur ſaltatrices ſimiles. Reſpondit non ſunt ibi vites, in quibus verbis dedit cauſam ſatis remotam & adæquatam, quare non reperiantur in ſua terra mulieres eiuſmodi, ita vt ſit ſenſus, vbi non ſunt vites non ſunt ſaltrices, ſed in Schytia non ſunt vites, ergo non ſunt in Schytia ſaltatrices: cauſa enim proxima eſt, quia non eſt vinum: nam ex vino cauſatur lætitia, ex lætitia autem interdum prouenit ſaltatio, & conſequenter vbi non eſt vinum, non ſunt ſaltatrices.

Vbi non eſt vinum non ſunt ſaltatrices.

Probatur ſecundò. Quia Demonſtratio propter quid ſemper procedit à cauſa, & ita vocatur Demonſtratio à priori, quia cauſa prior eſt naturaliter ſuo effectu at verò Demonſtratio quia procedit ab effectu ad cauſam, & vocatur Demonſtratio à poſteriori, quia effectus poſterior eſt naturaliter ſua cauſa, verbi gratia, ſtellæ quædam ſunt in octauo cælo quod vocatur firmamentum, & appellantur fixæ, quædam verò ſunt inferius & appellãtur planetæ, & quoniã illæ ſtellæ, quæ ſunt in firmamẽto multũ diſtãt à nobis, idcircò quoties eas aſpicimus, videtur nobis ꝙ ſunt in aliquo tremore & motu & apparẽt micare ſeu ſcintillare, q̃uis revera nullũ habeãt motũ ſed propter debilitatẽ viſ⁹ humani hoc totũ in eis apparet, plane-

Ratio. 2.

planetæ autem non videntur ſcintillare, quia propè ſunt, & ita ex hoc diſcurſu poteſt fieri talis demonſtratio à poſteriori. Stellæ quæ nõ ſcintillant ſunt propè nos: ſed planetæ non ſcintillant: ergò planetæ ſunt propè nos, nam non ſcintillare eſt effectus, at verò eſſe propè nos, eſt velut cauſa.

Secunda concluſio. Prima Figura maximè deſeruit ad demonſtrationem.

Probatur. Quia Demonſtratio potiſſima ſeu à priori procedit ex cognitione cauſæ ad effectum, ſed nulla alia figura eſt in qua ex cognitione cauſę poſſimus procedere ad cognoſcendum effectum niſi prima, ergò prima figura maximè deſeruit ad demonſtrationem.

Duplex Ignorātia.

Tertia concluſio. Ignorantia eſt duplex. Scilicet negationis & diſpoſitionis. Ignorantia negationis eſt carentia notitiæ alicuius rei, verbi gratia, ignorantia quam habet ruſticus de Geometria, vel alia ſcientia. Ignorantia verò diſpoſitionis eſt deceptio facta per ſyllogiſmum, ſicut ille qui credit Diametrum eſſe commenſurabilem coſtæ. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Demonſtratio Quia & propter Quid, ſint eiuſdem ſpeciei?

Argum. I.

V*Idetur quod ſic Primò.* Illæ demonſtrationes differunt ſpecie, quæ ad diuerſos fines

nes ordinantur. Sed idem est finis Demonstrationis Quia, & propter Quid. Ergò huiusmodi Demonstrationes non differunt specie. *Minor prob.* Nam finis vtriusque demonstrationis est scire. Demō stratio autem Quia, facit scire per effectum, & propter Quid, per causam.

Secundò. Si Demonstratio Quia & propter Quid distinguūtur specie, ergò habent supra se genus, scilicet demōstrationē in communi: sed hoc est falsum, ergò vt prius. *Minor prob.* Demonstratio propter Quid est demonstratio simpliciter, Demonstratio verò Quia, est demōstratio secundum quid: sicut homo viuus est simpliciter homo, at verò pictus est homo secundum quid, & per accidens: ergò prædictæ demonstrationes non sunt species demōstrationis in communi, nam deberent conuenire in ratione sui generis simpliciter, videlicet secundum idem nomen & secundum eandem definitionem, sicut equus & homo sunt animalia simpliciter. *Argu. II.*

Tertiò. Scire est cognoscere semper causam, sed omnis demonstratio est syllogismus faciēs scire, ergò omnis demonstratio procedit per causam, ergò nulla est per effectum seu Quia, & per consequens supponis falsum. *Argu. III.*

Respondeo. Quod demonstratio secundum communem Antiquorum diuisionem bifariā diuiditur: quædam enim demonstratio appellatur quia, & quædam propter quid.

Resolutio.

Quid sit Demōstratio propter Quid.

Demonstratio propter quid illa vocatur, quæ nihil

nihil aliud est, nisi syllogismus procedens ex causis, seu ex rationibus formalibus, hoc est, in quo syllogismo præmissę continent in se causam veram ipsius conclusionis, v.g. dicendo. Omne animal rationale est risibile. Omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est risibilis. Vbi in præmissis continetur ratio formalis hominis, scilicet rationalitas, quæ est causa risibilitatis in homine.

Quid sit Demõstratio Quia.

Demonstratio verò quia est syllogismus procedens ab effectu ad causam, nam causa prior est naturaliter suo effectu, effectus autem est posterior, & exinde demonstratio illa cuius pręmissæ continent effectum, & causam conclusio, vocatur Demonstratio quia, seu à posteriori, verbi gratia, dicendo, omne animal risibile est rationale, sed omnis homo est animal risibile, ergò omnis homo est rationalis. Et si aliquando demonstratio ista procedit ex causa, tunc illa est valdè remota, sicut in exemplis, quę adduximus in conclusione prima, potest facilè videri. Dicitur autem demonstratio quia, non ad eum sensum, quod hæc particula, *QVIA*, significat causam, sed tantum cõiunctionem, vt puta demonstrando, quod hoc est hoc, seu quod hoc in conclusione positum est verum; & tamen non reddit causam quare sit verum, vt patet: nam quando quis probat hominem esse rationalem per hoc principium: quia est risibilis, tunc iste demonstrat, hoc esse hoc, scil. quod homo qui risibilis est, rationalis est,

est, sed nō reddit causam, quare sit rationalis.

Hoc igitur supposito est modo difficultas. Vtrū istæ duæ demonstrationes, & syllogismi distinguantur inter se specificè, sub ratione demonstrationis in communi, sicut homo & equus distinguuntur in ratione animalis, & nigredo ab albedine in ratione coloris, &c.

Pro quo aduertendum est: quod Demonstratio à priori seu propter quid, & Demonstratio à posteriori seu quia, dupliciter considerari possunt. *Vno modo* prioristicè ex parte formę (nam forma in omni syllogismo priorem locū obtinet) *alio modo* posterioristicè, & ex parte materiæ.

Demōstratio propter Quid, & Quia dupliciter possunt considerari.

Tunc considerantur istæ duę demonstrationes prioristicè, quando nos consideramus in qua figura & modo sit demōstratio propter quid, & similiter demonstratio quia: nam si vtraque fuerit in eadem figura & modo, certè non differunt inter se specie prioristicâ, verbi gratia, si quis faceret syllogismum demonstratiuum propter quid in primo modo primæ figuræ, tunc illi duo syllogismi eiusdem essent speciei prioristicę, v.g. omne animal rationale est risibile, sed omnis homo est animal rationale &c. iste est syllogismus à priori in primo modo primę figurę, & præterea: omne risibile est rationale: sed omnis homo est risibilis &c. est demonstratio à posteriori siue per effectū. Et isti duo syllogismi eiusdē sunt speciei, si cōsiderentur ex parte formæ & posterioristicè, quia sūt in eadē figura & modo. Cęterū si fiat vna

Prioristicè.

Demonstratio in Barbara,& alia in Darij, vel in alio modo, tunc huiusmodi syllogismus distingueretur specie ab illo primo, prioristicè tamen consideratus.

Posterioristicè.

Tunc autem considerantur istæ Demonstrationes posterioristicè, quando considerantur ex parte materiæ; nam materia seu præmissæ demõstrationis propter Quid continent causam illius rei quæ continetur in conclusione: materia vero seu præmissæ demonstrationis Quia non continet effectum. Et si hoc modo considerentur tunc dicendum est, quod demonstratio in communi est quoddam superius tanquam genus vniuocum, & habet sub se demõstrationem Quia & propter Quid: quę duo sunt demonstrationes simpliciter, quia illis conuenit vtraque definitio demonstrationis, scilicet, esse syllogismum facientem scire, & præterea procedere ex pręmissis veris, primis, immediatis, & causis cõclusionis. Demõstratio enim Quia facit scire, & Demonstratio propter Quid: sicut homo & equus in quantũ animalia sunt, sunt substantiæ animatæ sensibiles. Si autem hæc duo comparemus adinuicem, tunc demonstratio Quia & propter Quid distinguũtur inter se specie: quia demõstratio propter quid, facit scire per causam & simpliciter. Demonstratio verò quia facit scire per effectum & secundum quid.

Demonstratio propter Quid & Quia specie distinguũtur.

Præterea: demonstratio propter quid procedit ex causa conclusionis in essendo, hoc est,

quæ

quæ sunt verè causa, sed Demonstratio quia ex causa in cognoscendo, hoc est, quæ est causa vt cognoscatur res contenta in conclusione, non autem vt illa res sit. Dixerim tamen cum Magistro Sanches in dubio præsenti quod vna & eadem est scientia quæ procedit à priori, & à posteriori, & vna simplicissima qualitas, licet hoc fiat secundum modum diuersum.

Conclusio. Demonstratio Quia & propter Quid sunt simpliciter Demonstrationes distinctæ specie.

Probatur prima pars: scilicet quod sint simpliciter Demonstrationes. Demonstratio quia & propter quid conueniunt in eadem definitione demonstrationis simpliciter. Ergò sunt Demonstrationes simpliciter.

Secunda verò pars probatur. Illæ Demonstrationes distinguuntur specie posterioristicâ, quæ habent diuersum modum procedendi in obiectum, & diuersas propositiones, sed Demonstratio quia & propter quid sunt huiusmodi, ergò sunt distinctæ specie.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem, sed idem est finis Demonstrationis quia & propter quid, finis in genere seu remotè consideratus, concedo Minorem: in specie seu proximè, nego Minorem, quia non eodem modo faciunt scire specialiter. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem quidquid dicant Toletus, Paulus de Venetia, Magister Glogouiensis, quibus videtur *Resp. ad II.*

detur consentire Dominicus de Flandria in hoc libro, quæstione 28. articulo 1. in responsione ad secundum, nego antecedens scilicet quod Demonstratio quia non sit simpliciter & verè Demonstratio, quod nunquam probant affirmantes oppositum.

Resp. ad III. *Ad tertium.* Distinguo consequentiam primam. Ergo omnis Demonstratio est syllogismus procedens per causam, in essendo tantum, nego cōsequentiam: in essendo vel cognoscendo, concedo consequentiam, & sic Demonstratio quia procedit ex causis in cognoscendo tantum, vt dictum est.

ARTICVLVS II.

Vtrum scientia subalternata, sit verè scientia in illo homine qui non habet subalternantem?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Nulla datur in rigore scientia subalternata, ergo præsens quęstio supponit falsum. *Antecedens prob.* Nam si darentur aliquæ scientiæ subalternatæ, ergò forsitan illæ erunt, quarũ obiecta cōiungũtur alicui differentiæ quæ est merè accidentalis respectu scientię subalternãtis, sed hoc dici nō potest, ergò & primũ. *Minor prob.* Nã si sciẽtiæ subalternatæ addunt aliquã differẽtiã accidẽtalem ad obiectum scientię subalternãtis, ergò huiusmodi scientiæ considerant pro obiecto ens per accidens, ergo non sunt veræ scientiæ, nam ens per accidens nō potest definiri vnicâ de-

definitione,& per consequens non potest sciri, vnde Perspectiua non erit scientia, quia tractat de linea visuali,& Musica de numero sonante,&c.

Secundò. Si scientia subalternata addit aliquam differentiam accidentalem ad obiectum scientiæ subalternantis, ergò iam de quolibet obiecto possunt dari scientiæ infinitæ, sed hoc est falsum: quia in scientijs non est procedere in infinitum, sed datur status in aliqua suprema, ergò & primum. *Sequela Maioris patet*, quia infinitæ differentiæ accidentales possunt addi obiectis scientiarum subalternantium, v.g. linea potest esse visualis, calida &c. *Argum. II.*

Tertiò. Si daretur talis casus quod aliquis haberet scientiam subalternatam, verbi gratia, Musicam, & non haberet subalternantem, scilicet Arithmeticam, vel Perspectiuam sine Geometria, tunc ille non cognosceret determinatè sua principia & pręmissas, ergò scientia subalternata, in eo qui non habet subalternantem, non est verè scientia. *Antecedens prob*. Quia principia & pręmissæ subalternatę, debent reduci ad subalternātē, quā qui non habet, nescit illius principia. *Argu. III.*

Respondeo. Quod in hac difficultate supponimus hoc vnicū, scilic. quod sciētia subalternata potest separari à subalternāte, & omninò esse sine illa; vt de facto apparet in Musicis qui sæpenumerò habent subalternatā scilicet Musi- *Resolutio. Scientia subalternata potest separari à subalternante.*

Musicam, & tamen non Arithmeticam. Quærimus autem, si in hoc casu ille qui scit solam Musicam, dicatur habere veram scientiam, an potius opinionem.

Conditiones scientiæ subalternatæ.

Pro quo aduertendum est, quod ad hoc vt aliqua scientia dicatur subalternata alteri, oportet vt habeat nonnullas conditiones, ex quibus hę videntur esse maximè necessariæ, vt docet Caietanus in hoc libro cap. 13.

Prima.

Prima conditio est: quòd obiectum scientiæ subalternatæ includit in se obiectum scientiæ subalternantis, addendo ad illud obiectum aliquam differentiam accidentalem, verbi gratia, scientia de linea visuali, quæ vocatur Perspectiua, subalternata est illi scientiæ quæ tractat de Linea vt sic, & vocatur Geometria, propter hanc causam, quia obiectum Perspectiuæ, scilicet Linea visualis, continet in se obiectum Geometrię nempe Lineam, & vltra hoc addit differentiam accidentalem, scilicet, esse visuale, & per hanc conditionē excluditur Metaphysica, de qua non potest dici, quod sibi subalternet particulares scientias, quia obiectum Metaphysicæ est ens in quantum ens, & quia non potest aliqua scientia particularis habere aliquid pro subiecto, quod sit accidentale respectu entis, nihil enim accidit enti vt ens est, idcircò nulla scientia subalternatur in rigore Metaphysicæ.

Secunda conditio est, vt illa differentia accidentalis quę additur, sit alterius generis ab eo

cui

cui additur, & non fluat à natura illius. Et propter hanc conditionem, ſcientia illa quam habemus de rationali & irrationali, de equo & homine, non ſubalternatur ſcientiæ quam habemus de animali, quia homo & equus non ſunt diuerſorum generum ſed eiuſdem: & ſimiliter, ſcientia quam aliquis habet de paſſione, non ſubalternatur illi ſcientiæ quam habet de ſubiecto, v.g. ſi tu habes in intellectu ſcientiam de homine & riſibilitate, vel de igne & calore, tunc illa quam habes de paſſionibus, non ſubalternatur ſcientię de ſubiectis earundem paſſionum, quia licet iſtæ paſſiones ſint alterius generis, tamen ſequuntur naturaliter ad ſua ſubiecta, & ita ad eandem ſcientiam pertinebit conſiderare ſubiectum & illius paſſiones.

Tertia conditio vt illud additum dependeat per ſe ab illa re cui additur, volo dicere, quod ad hoc vt vna ſcientia ſubalternetur alteri, opus eſt, vt inter illam differentiam additam, & inter id cui additur, ſit connexio per ſe, in primo modo perſeitatis, non ſicut inter definitum & eius definitionem, v.g. inter hominē & animal rationale: ſed ſicut inter definitum & eius principium, adeò vt ſi quis vellet definire illam rem quæ additur, oportebit ponere in eius definitione rem illam cui additur; & non è conuerſo, v. g. ideò ſcientia perſpectiua tractans de linea viſuali, tanquam de ſuo obiecto, ſubalternatur Geometriæ, quæ tractat de *Tertia.*

Linea vt sic, quia si definires lineam visualem, oporteret te ponere Lineã formaliter sumptã in illa definitione: & similiter ideò Musica tractans de numero sonoro tanquã de obiecto, subalternatur Arithmeticæ, quia si volueris definire numerum sonorum, comprehendes in definitione numerũ formaliter sumptum, quia numerus vt sic, est principiũ numeri sonantis, & Linea vt sic, est principium Lineæ visualis, & non è conuerso: & quẽadmodum numerus sonorus præsupponit numerũ absolutè, & omne subiectum sciẽtiæ subalternatæ subiectũ subalternãtis, ita & principia & propositiones quæ in subalternata inueniuntur præsupponunt propositiones scientiæ subalternãtis, hoc modo quòd conclusiones in subalternante sunt principia respectu subalternatæ, ad inferendas conclusiones, & consequẽter sciẽtia subalternata credit principia & propositiones subalternãtis esse veras, nõ autem huiusmodi principia sunt illi manifesta & euidẽtia, sed potius accipiunt euidentiã à scientia subalternante, in qua sola demonstrantur & probantur, & quæ dicit Propter quid principiorũ, & subalternata accipit Quia. v.g. Perspectiua vt dixi subalternatur Geometriç, ac proinde illæ propositiones quæ vocãtur conclusiones in Geometria, sunt præmissæ & principia in Perspectiua, neq; à Perspectiuo probantur, sed tantũ à Geometrã, cuiusmodi est hoc, Res à longẽ existẽs, videtur sub angulo minori & acutiori. Ecce ista propositio est princi-

Scientia subalternata principia præsupponit.

pium in Perſpectiua,&Perſpectiuus illam nõ probat,poteſt tamen à Geometra probari,tali medio: Illa res videtur ſub angulo minori,quę videtur ſub angulo magis protracto, ſed res à longè exiſtens videtur ſub angulo magis protracto,ergò &c.

Collige ergo hanc vniuerſalem doctrinam ex prædictis conditionibus, nimirum quod differentia eſſentialis inter ſcientiam ſubalternãtem & ſubalternatam conſiſtit in hoc, quia ſubalternans habet concluſiones viſibiles immediatè in primis principijs,ita quod cognoſcendo prima principia,immediatè ex illis cõcluſionẽ educit,cæterum ſcientia ſubalternata habet concluſiones viſibiles quidẽ ex principiis,nõ tamen immediatè: ſed mediante habitu ſcientiæ ſubalternantis. Quando ergò inter aliquos habitus hæc depẽdentia fuerit,tũc ibi eſt ſubalternatio ſcientiarum in rigore. *Quæ ſit differentia inter ſciẽtiam ſubalternatã, & ſubalternãtem.*

Concluſio Benè poteſt haberi ſcientia ſubalternata etiamſi habens illam non habeat ſubalternantem, ſed non erit ita perfecta, ſicut cum ſubalternante.

Prob. Prima pars authoritate S. Thomæ multis in locis & maximè de Veritate quæſt. 14. A. 9. ad tertiũ & p.p q.1.a.2. vbi dicit S. Doctor, Muſica credit principia tradita ſibi ab Arithmetico. *Ex quo ſic argumentor:* ſcientia ſubalternata credit quod principia & propoſitiones, quas accepit à ſubalternante ſunt vera,ſed poteſt credere etiamſi non habeat ſubalternantẽ: ergò poteſt ſcire concluſiones quas infert ex illis principijs,etiamſi neſciat ſubalternãtem.

Secunda verò pars, ſcilicet quod talis ſcientia eſt imperfecta, ex eo patet quia ſciens ſubalternatus, non attingit perfectè ad rationem ſciẽdi, niſi inquantum eius cognitio continuatur cum cognitione ſcientiæ ſubalternantis, vt dictum eſt in corpore.

Reſp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, nego antecedens, ad cuius probationem nego Minorem, ad cuius itidem probationem nego conſequentiam primam: quãdo enim dicimus quod numerus ſonorus eſt obiectum in Muſica, tunc numerus ſonorus non eſt ens per accidens, nec ſimiliter linea viſualis, quia quãuis hæc omnia ſint diuerſa in genere rei, non tamen in genere ſcibilis, quia ſub eadem ratione formali ſciuntur.

Reſp. ad II. *Ad ſecundum*, nego ſequelam Maioris: ad cuius probationem *Dico*, quod quando docent Philoſophi, illam eſſe ſcientiam ſubalternatam, quæ addit differentiam accidentalem, non de qualibet forma accidentali loquuntur, nam ſic benè procederet argumẽtum, ſed tãtum de illa in cuius definitione ponitur ſubiectum ſcientiæ ſubalternantis, vt dictum eſt.

Reſp. ad III. *Ad tertium* nego conſequentiam: ad cuius probationem *Dico*, quod ſufficit vt ſcientia ſubalternata credat ſua principia, quæ accipit à ſubalternante eſſe vera, & eatenus non eſt ita perfecta ſicut cum ſubalternante.

ARTICVLVS III.

Vtrum deficiente in nobis aliquo sensu, necesse sit deficere scientiam de obiecto illius sensus?

VIdetur quod non. *Primò*. Si deficiente in nobis aliquo sensu deficeret scientia seu cognitio de obiecto illius sensus, ergò scientia Metaphysica & scientiæ Mathematicæ non sunt verè scientię, quod falsum est. *Consequentia prob.* Quia obiecta, quæ cognoscimus per has scientias, nunquam cadūt sub sensum, v.g. Metaphysica considerat substantias separatas seu angelos, qui nunquam sentiuntur, Mathematica etiam Arithmetica & Geometria cōsiderant de illis obiectis, quę habent esse abstractum & separatum à materia. *Argum.* I.

Secundò Non omnis scientia originatur à sēsu, ergò si aliquis homo amittit sensum aliquē exinde non sequitur quod amittat scientiam de suo obiecto. *Antecedens prob.* Quia nos habemus scientiam de materia & forma physica, & de principijs rerum naturalium, & tamen ista principia non sunt à nobis cognita per sensum, quia nihil sentitur nisi accidens, materia vero & forma non sunt de genere accidentis. *Argu.* II.

Tertiò Si daretur aliquis homo qui nullum prorsus vidit colorem, tunc ille cæcus posset doceri ab aliquo de coloribus & scire significata colorum, ergò deficiente sensu visus, ma- *Argu.* III.

nebit ſcientia de obiecto viſus, ſcilicet de colore.

Reſolutio. *Reſpondeo.* Quod poſtquam Ariſtoteles in ſuperioribus tractauit de ſyllogiſmo generante ſcientiam, hoc eſt de Demonſtratione, ignorãtia autem opponitur ſcientiæ, idcircò oportebat etiam aliquid dicere de ſyllogiſmo, qui generat ignorantiam. Duplex ergo eſt ignorantia, quædam enim eſt puræ negationis, & alia prauæ diſpoſitionis. *Ignorantia* puræ negationis nihil aliud eſt, niſi ſimplex carentia alicuius ſcientię, quando videlic. nihil prorſus ſcitur de aliqua re, v.g. ruſticus habet ignorantiã Geometrię, quia nec verum nec falſum de illa affirmat, imò etiamſi ruſtico proponantur nõnullæ propoſitiones in quib. prædicata habent neceſſariã cõiunctionẽ cũ ſuis ſubiectis, vtputa, omnis homo eſt animal, paries non eſt accidens &c. tamen ille ignorabit an hoc ſit verum vel non.

Ignorãtia Duplex. *Puræ negationis.*

Praua diſpoſitionis. *Ignorantia* autem prauæ diſpoſitionis eſt quidam error contrarius ſcientiæ, & vocatur prauæ diſpoſitionis, quia ſcientia quælibet eſt congrua diſpoſitio mentis, ac proindè, ille qui errat circa aliquam propoſitionem, habet errorem quo prauè diſponitur ex parte intellectus, ſiue talis ignorantia ſit affirmatiua quâ creditur aliquid eſſe quod nõ eſt, vt puta ſi quis crederet extra vniuerſum dari vacuum, vel hominẽ eſſe inanimatum, &c. ſiue etiam negatiua quâ creditur aliquid non eſſe quod eſt, v.g. triangulum non habere tres angulos, vniuer-

sum non esse finitum, totum non esse maius suâ parte &c.

Inter has autem ignorantias tale est discrimē: quia ignorantia prauę dispositionis causatur per aliquem syllogismum, v.g. quando ego ignoro hãc propositionē, omnis homo est risibilis, & sentio oppositum, tunc iste error quem contraxi de conclusione, processit ex aliquo syllogismo, vt puta ex hoc, non omne animal est risibile, sed quidam homo est animal, ergò non omnis homo est risibilis. At verò ignorantia puræ negationis non causatur per syllogismum, sed ex eo, quia deficit aliquis sensus. Et hoc ita potest deduci, nã quod scimus per demõstrationē scimus, cui⁹ finis est facere scire: sciēs autē per demõstrationē, debet etiã scire ex inductione, nã demonstratio cõstat ex propositionibus vniuersalibus, propositiones autem vniuersales non possunt sciri nisi inducendo ex particularibus, ideo enim hęc vniuersalis est vera, omnis homo est animal, quia Petrus est animal, Franciscus &c. & quoniã sēsus terminatur ad particulare, hinc est quod non potest esse scientia in intellectu de aliqua re, nisi prius sciantur particularia per viam sensus, & consequenter, deficiente in nobis aliquo sensu deficit scientia de obiecto illius, quia sensus est ianua totius cognitionis intellectualis, vt patet.

Discrimen inter ignorãtiã puræ negationis & prauæ dispositionis.

Conclusio. Deficiente in nobis aliquo sensu impossibile est habere scientiam de obiecto illius sensus.

Pro-

Probatur. Omnis sciẽtia aut habetur per Demonstrationem, aut per inductionem, numerando videlicet particularia, & sic procedendo ad vniuersale: sed inductio & Demonstratio dependẽt à sensu, ergo deficiente sensu nõ potest haberi inductio vel Demonstratio, & ita deficit scientia. *Minor probatur*: Nam in- inductio fit ex particularibus, verbi gratia, dicendo, Petrus est corporeus, Franciscus similiter, & sic de aliis: ergò omnis homo est corporeus: Demonstratio verò ex vniuersalibus quidem primò & immediatè dependet, sed quoniam vniuersalia non nisi inductiuè cognoscuntur, etiam Demonstratio à sensu dependet.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum.* Nego consequentiam: ad cuius probationem Dico: quod substantiæ separatæ non cadunt sub sensum secundum suas naturas, sed secundum suos effectus, effectus enim substantiarum separatarum sunt nobis valdè noti ad sensum, cuiusmodi est gubernatio mundi, motus corporum cælestium &c. De mathematicis verò dico, quod obiecta Mathematicæ, vt puta quantitates, lineæ &c. sunt separata à materia & à sensu secundum definitionem, non verò secundum esse, atque adeò definiuntur sine materia, sed non sunt sine illa: vnde infert Toletus & benè, aliqua entia per effectus duntaxat cognosci, vt de angelis dictum est, aliqua per sibi similia, vt si per vnum oppidum reliquas intelligamus

vrbes

vrbes similes, aliqua verò sciuntur secundum partes tantum, v.g. possum ego habere scientiam de monte aureo, quamuis nunquam cadat sub sensum, nam ad hoc sufficit vt ego videam aurum per se, & montem similiter per se, ex quo habebo imaginationem de monte aureo.

Ad secundum nego antecedens, ad cuius probationem *Dico*: quod materia & forma cognoscuntur secundariò, prius autem compositum. *Resp. ad II*

Ad tertium distinguo Maiorem: potest cæcus doceri de coloribus quoad an est, concedo Maiorem, quo ad quid est, nego Maiorem. Vel aliter, quo ad quid nominis, concedo Maiorē: quo ad quid rei, nego Maiorem. *Resp. ad III.*

CAP. XVI. XVII. XVIII. ET XIX.

De Quæstionibus circa infinitatem Demonstrationis.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *In demonstrationibus non contingit procedere in infinitum penes prædicata quidditatiua.*

Probatur. Nam si daretur processus in infinitum in Demonstrationibus ex parte prædicatorum quidditatiuorum, sequeretur quod non possemus aliquid scire per definitionem: sed hoc est inconueniens: ergò in demonstrationibus non est procedere in infinitum pæ-

nes

nes prædicata quidditatiua. *Sequela prob.* Nam si in infinitum procedimus, ergo quando definitur homo, quod est animal rationale, non habetur adhuc completa definitio sed oportebit scire viuens, & vlterius substantiam, & sic in infinitum.

Secunda conclusio. In Demonstrationibus non contingit procedere in infinitum, nec sursum, nec deorsum, per lineam rectam, v.g. Substantia est prædicatum, quod non habet supra se aliquod vniuocum superius, deinde corpus, tandem animal, & sic descendendo vsque ad indiuidua, erit status alicubi: sicut ascendendo ab indiuiduis versus substantiam.

Probatur. Nam si daretur huiusmodi processus secundum lineã rectam, sequeretur idẽ absurdum quod prius, nimirum quod nullam rem possemus scire definitiuè, quia in hoc casu non est assignare determinatum genus & differentiam.

Tertia conclusio. In Demonstrationibus non contingit procedere in infinitum pænes prædicata substãtialia circulariter. Probatur. Si possemus procedere in infinitum in prædicatis substantialibus secundum circulum, ergo omnia genera Prędicamenti substantiæ ęqualiter de se inuicem prædicarentur: quod tamen est falsum, cum se habeant tanquam superius & inferius, tanquam genus & species, tanquam generalissimum & subalternum, quę secundum magis & minus commune prędicantur: ergò vera est conclusio. *Sequela prob.* Nam si proce-

deremus circulariter in genere ſubſtantiæ,tūc iam homo qui eſt ſpecies ſpecialiſſima,demõſtrabitur de ſubſtãtia, quod eſt generaliſſimū, & è conuerſo, hoc enim eſt de ratione circuli.

Quarta concluſio. Non contingit procedere in infinitum in prædicatis accidentalibus, quæ dicuntur per ſe vel per accidens.

Probatur de prædicatis accidentalibus quæ per ſe prædicantur: quia illud quod prædicatur per ſe accidentaliter,eſt propria paſſio:ſed in omni demonſtratione ſubiectum non habet infinitas proprias paſſiones, quia alias vna paſſio cognoſci deberet per alteram, & ſic in infinitum,quod eſt falſum,ergò &c.

De prædicatis vero accidentalibus quæ dicuntur per accidens, probatur. Quia quodlibet prædicatum accidentale debet eſſe aliquod vnum accidens, ergò debet eſſe in aliquo Prædicamento ex illis decem, ergò iam non erit proceſſus in infinitum in prædicatis accidentalibus,quę prædicantur per accidens. Et hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Demonſtrator poßit procedere in infinitum in prædicatis eſſentialibus & quidditatiuis?

V*Idetur quod ſic. Primò.* Datur proceſſus in infinitum deſcendendo deorſum in ſubiectis inferioribus: ergò etiam dabitur proceſſus in infinitum aſcendendo ſurſum in prędicatis quidditatiuis & eſſentialibus. *Conſequentia videtur eſſe manifeſta:* quia ſubiectum & præ- *Argum. I.*

prædicatum sunt correlatiua, atque adeò si potest in vno eorum processus esse in infinitum, etiam in altero. *Antecedens* est Porphirij, qui docuit in lib. Prædicab. cap. 2. de Specie, & nos in articulo 3. quod indiuidua sunt infinita, species autem rerum non possunt esse infinitæ, ergò quando aliquis descendit, à genere generalissimo vsque ad indiuidua, tunc descendet ad infinita.

Argum. II. *Secundò.* Non possumus deuenire ad prima & communissima prædicata quæ pertinent ad quidditates rerum; ergo datur processus in infinitum in prædicatis essentialibus. *Antecedens prob.* Nam Cõmentat dicit, in 7. Metaph: quod quãdo dantur aliqua duo quæ adinuicẽ sunt distincta, tunc ab illis duobus potest quis abstrahere conceptum superiorem, communẽ vtrique sicut à Petro & Paulo abstrahitur homo, ab homine & equo abstrahitur animal &c. ergo etiam si deueniamus ad aliqua prædicata communissima semper ab illis poterit abstrahi aliud prædicatum quidditatiuum, & sic in infinitum.

Argu. III. *Tertiò.* Authoritate S. Thomę, qui apertè docet in prima secundæ q. 1 A. 4. quod in his quę pertinẽt ad rationẽ vel ad voluntatem potest quis procedere in infinitum, sicut & in numeris intellectus procedit in infinitum.

Resolutio. *Respondeo.* Quod sicut supra dictũ est in hoc libro Posteriorum cap. secundo A. 1. totum hũc librum diuisit Aristoteles in tres partes, in qua-

rum prima percunctatur an sit scientia, & cognitio per Demonstrationem in rerum natura, & huic quæstioni satis fecit in cap. primo huius libri: in secunda verò parte quærit quid sit Demonstratio, & ex quibus principijs constet, & ad hoc respondebat à capite secundo vsque ad 15. inclusiuè. Nunc autem restat adhuc aliquid inuestigare de tertia parte huius libri, scilicet qualis sit Demõstratio & de prædicatis eius, quę sunt velut quædam passiones, & hoc incipiendo ab isto cap. 16. vsque ad finem Libri; huiusmodi autem passiones dicũtur esse; finitas, perfectio, vnitas, certitudo, diuersitas, &c. de quibus tractandum est per ordinem. Quãtum ergò attinet ad præsentem difficultatem, est quæstio de primo prædicato & quasi passione Demonstrationis: Vtrum ille qui Demonstrat possit procedere in infinitum in prædicatis essentialibus & quidditatiuis? hoc est, vtrum si alicui Philosopho negaretur propositio aliqua; quæ constat ex subiecto & prædicato essentiali; ille Demonstrator possit probare illam propositionem per aliud prædicatũ quidditatiuum superius, & si illud adhuc negaretur; possit per alterum, vsq; in infinitum; ascendendo à particularibus, vel descendendo ad particularia.

Qualis sit Demõstratio.

Pro cuius resolutione sciendum est, quod tunc aliquis Demonstrator sursum procedere dicitur, quando à particularibus ad magis vniuersalia progreditur, & hoc solet esse colli-

Quãdo Dẽmõstrator ascendat sursum.

gendo multa in vnum, vt docuit Porphyrius in Prædicabilibus, verbi gratia, dicendo, est Petrus, ergò est homo, ergo est animal, ergo est corpus, ergo substantia, ergo ens, vnum, verum &c. vbi multa prædicata colliguntur ab eodem Petro.

Quando Demõstrator deorsũ procedat.

Tunc autem Demonstrator procedit deorsum, quando à magis vniuersalibus ad particularia progreditur, & hoc solet esse resoluendo seu diuidendo vnum in multa, verbi gratia, dũ dico, est ens reale, ergo vel est substantia vel accidens, est substantia, ergo corporea vel incorporea.

Nõ est procedere in infinitũ secundũ prædicata essẽtialiter subordinata.

Hoc igitur supposito, Dico ad Dubium: quod in istis prædicatis quidditatiuis, & essentialiter subordinatis, non sunt extrema infinita, neq; etiam media tam in ascensu, quã in descensu, nam in ascensu deuenitur ad aliquid supremum, hoc est ad generalissimum, à quo potest abstrahi superius analogum, scilicet ens; In descensu verò inuenitur aliquod minus vniuersale, scilicet species specialissima; non enim est sermo in præsenti de descensu materiali, qui solet esse per auditionem conditionum indiuidualium, sicut homo diuiditur in Petrum & Franciscum, nam hæc indiuidua addunt ad hominem, hãc carnem, hęc ossa, hunc colorẽ &c. quę sunt cõditiones circũstantię hominis, sed intelligendus est Arist. de descensu formali, qui solet esse per contractionẽ & limitationẽ naturę cõmunis ad aliquam formam determinatam, v.g. natura ani-

malis descendit ad hominem, vt est species, descensu formali, quia contrahitur ibi per formam hominis, scilicet per rationalitatem, ideò enim animal est homo, quia est rationale: sicut ideò homo est Petrus in descensu materiali, quia ille homo habet has carnes, hæc ossa &c. sed demonstratur hoc tali argumento ab Aristotele. Ponamus enim aliquod prædicatũ quidditatiuum supremum, v.g. substãtiam & ex alia parte ponamus subiectũ aliquod infimum, scilicet hominẽ; & vltra hoc, sint media infinita, inter ipsum hominem, & substantiam, scilicet corpus, animatũ, viuens, animal, &c. Quia igitur substantia erat primũ prædicatum, prius debet dici de aliquo medio sibi proximiori, scilicet de corpore, & iterũ illud medium de altero prędicato inferiori etiã intermedio, & cum media sint infinita vt dicis, sequitur quod prædicatio illa erit in infinitum descendendo: & sequitur vlterius, quod prædicatum illud supremum, scilicet substantia, nunquam poterit de infimo subiecto prædicari quidditatiuè, scilicet de homine, & sic homo non erit quid contentum sub Prædicamento substantiæ, sed erit accidens. Si autem & de accidentibus concesseris quod etiã procedunt in infinitum penes media, eodem argumento poteris facillimè conuinci.

Conclusio. Non potest aliquis Demonstrator procedere in infinitum in prædicatis essentialibus & quidditatiuis, siue illa sint extrema, siue in-

termedia. Probatur. Tum authoritate Phi. tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego antecedens, ad cuius probationem nego ſuppoſitum argumenti, nam probatio illa ſupponit hoc falſum, ſcilicet quod Demonſtrator deſcendat vſque ad indiuidua, hoc eſt, deſcenſu materiali, quod tamen eſt falſum, quia potius ad ſpeciem ſpecialiſſimam deſcendit, & ibi eſt ſtatus, Authoritas verò adducta ex Porphyrio non habet locum in præſenti, vt patet.

Resp. ad II. *Ad ſecundum* nego antecedens, ad cuius probationem admitto authoritatem Comment, & explico illam: quando aliqua duo ſunt inter ſe diſtincta, tunc poteſt ab illis abſtrahi & cætera, ſi ſunt diſtincta ſecundum rem, tranſeat: ſi ſecundum rationem, nego: vnde licet à Petro & Franciſco qui ſolo numero differunt, abſtrahatur conceptus ſuperior, ſpeciei hominis, & ab homine & equo qui ſpecie ſpecialiſſimâ differunt conceptus animalis ſuperior, quod eſt ſpecies ſubalterna, & à duabus ſpeciebus ſubalternis, vt ab animali & corpore abſtrahatur conceptus generis generaliſſimi, ſcilicet ſubſtantiæ, ab omnibus tamen Prædicamentis eſt abſtrahibilis conceptus entis, & aliorũ tranſcẽdentium, quæ ſolâ ratione diſtinguuntur, & ita non poteſt ab illis quippiam ſuperius abſtrahi, ſed eſt ibi ſtatus in aſcenſu.

Ad ter-

Ad tertium admitto authoritatem Sancti Thomæ & explico illam , quando enim dicit Sanctus Doctor quod in his quæ pertinent ad rationem & voluntatem poteſt aliquis in infinitum procedere, ſi illa ſunt ſibi ſubordinata,per ſe& eſſentialiter , nego: ſi per accidens, concedo ,verbi gratia , poſſum ego modo per intellectum concipere parietē, bouem,vel cælum, & poſtea facto interuallo potero concipere angelum , terram &c. & quoniam huiuſmodi entia non ſunt ſibi eſſentialiter ſubordinata,ſed tantum per accidens vnus conceptus ſequitur ad alium , potero in infinitum procedere,ſimiliter eſt iudicandum & de voluntate,quâ poſſum velle eſſe bonus,eſſe religioſus & poſtea facto interuallo temporis,potero appetere doctrinam vel diuitias & ſic in infinitum.

ARTICVLVS II.

Vtrum ſi ſit ſtatus in extremis accidentalibus,neceſſe ſit eſſe ſtatum in medijs?

VIdetur quod non.Primò. Inter extrema finita poſſunt eſſe media infinita, ergò licet ſit ſtatus in extremis, non oportet eſſe ſtatum in medijs. *Antecedens probatur*. Nam accipio Lineam in qua poteſt hoc facile videri , linea enim quælibet habet extrema determinata,ſcilicet duo puncta,vnũ à quo incipit fluere & alterum in quo finitur , ſed media inter *Argum. I.*

 hæc

hæc puncta sunt prorsus infinita, scilicet alia puncta quæ vagantur per totam lineam, ergo inter extrema finita, possunt esse infinita media.

Argum. II. *Secundò.* Datur de facto aliqua qualitas, cuius extrema sunt finita & infinita media, ergò in prædicatis accidentalibus, non est necesse vt sit status in medijs, si est status in extremis. *Antecedens probatur.* Nam color est qualitas, & habet duo extrema, quibus clauditur, scilicet albedinem & nigredinem, inter hæc autem extrema possunt esse infinitæ species colorum mediorum, quia colores medij generantur ex diuersa permistione extremorũ, ergò iam dabitur qualitas, cuius extrema sũt finita & infinita media.

Argu. III. *Tertiò.* Si positis extremis determinatis oportet media esse finita, ergo vbicunque sunt aliqua media, debent habere ordinem per se & essentialem, quod tamen est inconueniens: nam etiam numerus denarius habet extrema finita, scilicet vnitates extremas, & habet media, scilicet intermedias vnitates, & tamen non est necesse, quod inter illas vnitates intermedias sit ordo per se, nam si hoc esset tunc 5. & 8. prædicarentur de se inuicem, sicut viuens & animal, quod tamen est falsum, quia ista duo differunt specie, in ratione numeri, species autem differentes non prædicantur de se mutuò, vt patet in homine & equo.

Resolutio. *Respondeo.* Quod articulus præsens nõ pro-

pter

pter hanc potiſſimũ rationẽ mouetur, quod habeat difficultatẽ ſpecialem, ſed vt explicentur nonnulla puncta quæ ſolent annotare Commentatores circa hunc textum.

Aduerte igitur. Quod prædicari accidentaliter contigit tribus modis. Quædam enim eſt prædicatio accidentalis, in qua accidens prædicatur de aliqua ſubſtantia in concreto, verbi gratia, homo eſt albus, doctus & cætera, & vocatur accidentalis, quia albedo poteſt adeſſe & abeſſe reſpectu hominis. *Triplex prædicatio accidentalis.*

Secunda eſt, ſecundum quam ſubſtantia dicitur de accidente, v.g. album eſt lignum, muſicus eſt homo, &c.

Tandem tertiò, illa etiam vocatur prędicatio accidentalis, in qua accidens dicitur de alio accidente, v.g. album deambulat, doctus diſputat, muſicus dormit &c. & hoc totum intelligendo de accidente communi, & non proprio, niſi fortè velis accipere prædicationem accidentalem largo modo, & in communiſſima acceptione.

Diſcrimen inter modos prædicandi accidentaliter. *Inter* hos autem modos tale diſcrimen poteſt aſſignari, nam ſi loquamur de primo modo in quo nimirum accidens reale dicitur de ſubiecto vniuerſali, vt homo eſt albus, equus eſt velox, homo eſt deuotus, &c. tunc huiuſmodi prædicationes quęcunque ſunt illæ, poſſunt benè vocari prædicationes per ſe, non in primo aut ſecundo modo perſeitatis, quia manifeſtum eſt, quod *Prædicatio accidentis de ſubiecto in concreto eſt per ſe.*

hæc accidentia communia, neque sunt de definitione intrinseca alicuius substantiæ, neque etiã sũt propriæ passiones, sicut risibile, quod requirebatur ad hoc vt essent in primo aut secundo modo perseitatis, sed eatenus dicuntur esse prædicationes per se, quia in illis prædicatum, scilicet accidens commune, non dicitur de subiecto ratione alterius, licet enim homo sit albus vel niger, propterea quia Petrus vel aliquod indiuiduum hominis potest recipere albedinem vel nigredinẽ, vt alias in Lib. Prædicab. cap. 4. artic. 1. dictum est, tamen ista omnia indiuidua idẽ sunt essentialiter & quidditatiuè, quod sua species, nempe homo, & hoc potest colligi ex doctrina Aristotelis in textu præsenti, dum ait hanc propositionem esse per se. Lignum est album, propter hanc causam, quia non ideò dicitur lignum album quia aliquod indiuiduum eius est album, cum indiuiduum ligni sit essentialiter idẽ quod lignũ, sed vt insinuet, quod esse lignum particulare, non est omninò diuersum ab hoc quod est esse lignum. At verò si loquamur de prædicatione accidentali in secundo modo considerata, in qua nimirum substantia dicitur de accidẽte communi, vt album est animal, deuotus est homo &c. tunc huiusmodi prædicationes non possunt vocari per se, sed potius ita sunt explicandæ, album est animal, hoc est, animal particulare cui accidit esse album, est animal, sed non est intelligẽdum quod album est subiectum

iectum animalis, quia hoc est contra omnem sensum. Eodem modo explicanda est propositio accidentalis in tertia acceptione, scilicet secundum quam accidens prædicatur de alio accidente, vt album est musicum, nam hic nihil aliud dicitur, nisi quod illa res, siue illud subiectum, cui accidit esse album, habet musicam.

Hoc igitur supposito, quærimus nunc, Vtrum accipiendo propositionem accidentalem in prima & tertia acceptione, supposito quod extrema alicuius prædicamenti accidentalis sint finita & determinata, nunquid media accidentia poterunt esse infinita?

Pro cuius resolutione Dico, hoc esse impossibile, nam si existentibus extremis finitis in aliquo prædicamento Accidentis, possent esse infinita media, tunc illud extremum primum prius deberet prædicari de aliquo medio sibi proximiori, & iterum illud medium de alio inferiori, & sic in infinitum, ac per consequens, species infima sub illo genere non erit quid contentum essentialiter sub prędicato accidentali supremo, quod hucusque nemo concessit. *Extremis finitis media infinita esse nequeunt.*

Conclusio. Impossibile est media esse infinita in prædicatis accidentalibus si est status in extremis. Probatur. Tum Authoritate Philosophi: tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum nego antecedens, ad cuius probationem distinguo Minorem. Sed media inter hæc puncta sunt infinita, a- *Resp. ad I.*

ctualiter & essentialiter, ita quod per se sibi subordinentur, nego Minorem: potentialiter, concedo Minorem. Hanc solutionem vt intelligas, oportet videre ea quæ diximus supra in Prædicam. quantitatis. Artic. 3.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego antecedens, ad cuius probationem *Dico,* quod non sunt infiniti colores intermedij, imò nec possunt esse, licet enim posset quispiam miscere colores extremos in infinitum, vt ex tali mistione generentur colores intermedij, tamen illa mistio habebit aliquam proportionem, vtputa album erit vt 6. & nigrum vt 4. vel è conuerso, & ita semper colores medij erunt finiti quia habent proportionem.

Resp. ad III. *Ad tertium.* Distinguo seq. Mai. Ergo vbicunque sunt media debent habere ordinem per se; si illa media sunt sibi subordinata, & prout considerantur materialiter, concedo sequel. formaliter verò, & prout vnumquodque in se ipso consideratur, nego sequelam, & sic est in numero.

ARTICVLVS III.

Vtrum circulo Demonstrare sit possibile?

Argum. I. V*idetur quod sic. Primò.* Effectus potest demonstrari per causam, & similiter causa per effectum: Ergò Demonstratio circularis est possibilis: *Anteced.* patet in risibili & rationali,

nali,quæ duo habēt ſe tāquā cauſa & effectus, quia rationalitas efficit riſibilitatem: ac proinde poteſt quis probare hominem eſſe riſibilem, per hoc, quia eſt rationalis,&etiam hominem eſſe rationalem, per hoc, quia eſt riſibilis.

Secundò. Authoritate Ariſtotelis in ſecundo lib. Poſter. vbi docet: quod ſyllogiſmus circularis ſit poſſibilis. *Tunc ſubſumo:* ſed Demōſtratio eſt verè ſyllogiſmus : ergò Demonſtratio circularis eſt poſſibilis. *Argum. II.*

Tertiò. Plurima argumenta ſunt ex quibus patet quod Demonſtratio circularis non eſt inconueniens, v.g. dicendo, quicunque deambulat poſt cænam acquirit ſanitatem, vel eam conſeruat. Sed Petrus deambulat poſt cænam. Ergò Petrus conſeruat ſanitatem. *Tunc circulariter argumentor* : quicunq; ſeruat ſanitatem, deambulat poſt cænam, ſed Petrus ſeruat ſanitatem, ergò Petrus deambulat poſt cænam. *Argu. III.*

Præterea ex ipſomet Ariſtotele, in lib. ſecundo de Cœlo, vbi volens oſtendere quod pars dextra cœli ſit in oriēte, ex eo probat, quia motus cæli incipit ab oriēte. Deindè è conuerſò volens probare, quod ab oriente incipiat motus cæleſtis, probat per hoc medium: quia pars orientalis eſt dextrum cæli, &c.

Reſpondeo. Quod ad hoc vt ſciamus reſolutionem dubij preſentis, *ſciendum eſt* : quod circulus apud Mathematicos nihil aliud eſt, niſi aliqua Linea quæ ad idem principium regreditur à quo eſt protracta, *Reſolutio. Quid ſit circulus.*

&

& est duplex: scilicet vniformis & difformis.
Vniformis. Ille vocatur Circulus vniformis, à cuius cētro seu medio puncto omnes lineæ quæ ducuntur ad circumferentiam sunt æquales.
Difformis. *Circulus* autem difformis ille est, à cuius cētro seu puncto medio non omnes lineæ, quæ ducuntur ad circumferentiam, sunt æquales; sed vna longior est quā altera. Ita ergò in præsenti, Demonstratio circularis illa vocatur, in qua ex conclusione fit præmissa & rursus ex pręmissa fit conclusio, & consequenter idem redit in se ipsum, vt in circulo mathematico, verbi gratia, si fiat talis syllogismus. Omne animal rationale est risibile, sed omnis homo est animal rationale, ergò omnis homo est risibile: Tunc si vis facere circulum, assumas conclusionem istius syllogismi pro maiori præmissa, & adiungas ei minorem propositionē, in qua subiectum conclusionis pręedicetur de sua definitione & tandem regredieris ad illam primam præmissam, dicendo. Omnis homo est risibilis. Sed omne animal rationale est homo. Ergò omne animal rationale est risibile. Ecce ista conclusio erat in primo syllogismo Maior præmissa.
Duplex circularis Demōstratio. *Duplex autem potest esse Demonstratio circularis:* quædam enim est vniformis, & quædam difformis. Illa vocatur difformis, quæ habet in se processus & syllogismos inæquales, hoc est, quorum vnus est per causam & alter per effectum, vel vt alij dicunt, Demonstratio circula-

cularis difformis illa est, in qua mutatur demonstratio quia, in demonstrationem propter quid, & è conuerso, verbi gratia, omne animal rationale est risibile &c. vt modò dictum est. Et de hoc circulo non quærimus in pręsenti, nam sic manifestum est, quod potest esse circularis Demonstratio.

Illa autem Demonstratio circularis est vniformis, cuius omnes processus sunt omninò similes, vel in qua seruatur eadem species demonstrationis, scilicet propter quid, aut etiã quia, ita vt vterque syllogismus tam ille à quo incipit aliquis circulariter procedere, quam qui terminat circulationem, sit Demonstratio propter quid, vel quia, & hoc est impossibile, non propter hanc causam: quod demonstratio habeat connexionem terminorum necessariam, quia hoc non repugnat circulo, vt videre est in exemplo modò adducto de rationali & risibili, quę duo habent connexionem per se, & necessariam, vt in cap. 6. artic. 1. & secundo dictum est: nec etiam propter hanc causam, quia Demonstratio procedit ex caussis, nam & hoc non repugnat circulo, potest enim quis congruè procedere à causa ad effectum, qui tamen effectus est causa suæ causæ in eodem genere causæ, non quod idem numero sit effectus & causa, sed idem specie, vt patet in his quę habent circularem generationem, dicendo, vapor est causa materialis ex qua generatur pluuia, & pluuia vice versâ est causa

Cur circulus vniformis non sit in demonstrationibus.

causa itidem materialis ex qua vapor generatur, & potest esse talis circulus. Quotiescunq; est abundantia vaporum, sunt pluuiæ frequentes, sed quando hyems appropinquat est abundantia vaporum, ergo tunc sunt pluuiæ frequentes. *Tunc vltrà circulariter*: In hyeme sunt pluuiæ frequentes: sed abundantia vaporum est in hyeme, ergò quotiescunque est abundantia vaporum, sunt etiam pluuiæ frequentes. Si tamen volumus loqui in rigore, prædictus syllogismus non est Demonstratio circularis, quia non est ab eodem ad idem numero, sed ad idem specie, scilicet à pluuia ad vapores, & è contra: impossibile enim est quod vna & eadem res numero sit causa suæ causæ in eodem genere causæ, vt postea in Physicis Deo iuuante dicemus.

Restat ergò postrema ratio propter quam omnes Scholastici cum Aristotele reputant pro impossibili, quod aliqua Demonstratio possit esse circularis, & est talis: quia demonstratio est syllogismus procedens ex præmissis notioribus quam sit conclusio, & sic magis cognoscimus præmissas, & magis illis credimus quam conclusioni, vt antea dictum est. Si igitur Demonstratio potissima esset circularis, tunc idem esset prius & posterius, causa & causatum, notius & ignotius, quod implicat: esset enim notius quia in illa Demonstratione essent præmissæ & principia, quę magis sunt nota quam conclusio: esset autem

igno-

ignotius, quia illa eademque principia sunt conclusiones, quando per circulum fit ad ipsa regressus.

Conclusio. Impossibile est demonstrare Circulo, stando in eâdem specie Demonstrationis. Probatur. Tum authoritate Philosophi; tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum: distinguo antecedens: effectus potest demonstrari per causam, & causa per effectum, manente eadem specie Demonstrationis, nego antecedens: variando speciem, transeat antecedens. *Volo dicere:* quod ibi Demonstratio non est vniformis, quia non per eandem speciem demonstrationis probatur effectus per causam, per quam speciem probatur causa per effectum, quia probare effectum per causam, pertinet ad demonstrationem propter quid, at verò causam per effectum, ad demõstrationem quia: vnde talis demonstratio non est perfecte circularis, quia non vniformis, sicut in Mathematica ille circulus qui difformis est, non est perfectus circulus. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego conseq. nam licet possit aliquis per circulum syllogisare, vt apparet in multis, non tamen potest circulariter demonstrare, quia syllogisare conclusionem probabilem ex præmissis probabilibus nullum est inconueniens, sed demonstrare minimè: & per hanc doctrinam explicandæ sunt plurimæ authoritates Aristotelis, loquitur enim semper de syllogismo circulari, nõ verò de demõstratiõe. *Resp. ad II*

Resp. ad III. *Ad tertium* nego antecedens, ad cuius probationem primam *Dico*: quod ibi non est circulus in eodem genere causæ, nec in eadem specie Demõstrationis, quia deambulatio est causa efficiens sanitatis, & sanitas causa finalis deambulationis.

Ad secundam verò probationem de motu cæli, Dico similiter, non esse ibi idem genus causæ, nec demonstrationis: nam motus est effectus corporis cęlestis vt mouetur ab Intelligentia, dextrum autem est velut signum huius effectus.

CAPVT XX. XXI. ET XXII.

De comparatione Scientiarum & Demonstrationum adinuicem.

SVMMA TEXTVS.

PRima *conclusio. Demonstratio vniuersalis potior est particulari.*

Probatur. Primò. Illa demonstratio est dignior, quę facit magis scire: sed demonstratio vniuersalis facit magis scire quam particularis: ergò demonstratio vniuersalis potior est particulari. *Minor prob.* Illa demonstratio quæ facit scire aliquid secundum quod ipsum, magis facit scire, quam demonstratio quæ facit scire per aliud: sed per Demonstrationem vniuer-

uersalem scimus aliquid secundum quod ipsũ, verbi gratia, quod homo in quantum homo sit risibilis, per Demonstrationem verò particularẽ scimus rẽ per aliud, verbi gratia, quod Petrus sit risibilis, non enim est risibilis quatenus est Petrus, sed quatenus est homo, ergò Demõstratio vniuersalis magis facit scire quã particularis.

Secundò. Illa Demonstratio est dignior, quæ est magis de ente; sed Demonstratio vniuersalis est magis de ente; quam particularis, ergò potior est particulari. *Minor est manifesta*, nam Demonstratio vniuersalis est de obiectis vniuersalibus; particularis de particularibus: constat autem quod vniuersalia sunt magis entia; quàm particularia; quia vniuersalia sunt incorruptibilia, vt antea dictum est, particularia verò corrumpuntur.

Secunda conclusio. Demonstratio affirmatiua potior est negatiuâ.

Probatur primò. Demonstratio affirmatiua procedit ex præmissis purè affirmatiuis, negatiua verò non sequitur ex purè negatiuis, sed tam affirmitiuis quam negatiuis, ergò Demonstratio affirmatiua ex paucioribus procedit, & est simplicior quam negatiua, ergò est perfectior, quia ad simpliciora magis inclinatur intellectus, citius enim assequitur suum finem, vt patet.

Secundò. Demonstratio independens nobi-

lior est quam Demonstratio dependens, sed affirmatiua est independens, negatiua verò dependens, ergo Demonstratio affirmatiua nobilior est negatiuâ. *Maior est manifesta* ex eo, quia etiam videmus in ipsis entibus quod res independens habet suum esse non ab alio, verbi gratia, Petrus & omnis substantia, illa autem quæ dependet, ab alio. Vnde conuenienter Deus est ens optimum & sufficientissimum, quia à nullo dependet. *Minor verò probatur*, quia demonstratio affirmatiua nunquam præsupponit negatiuam, cæterum negatiua affirmatiuam, à qua dependet, omninò supponit.

Tertia conclusio. Vna scientia certior est quam alia.

Probatur primò. Illa Demonstratio est magis certa, quæ habet propter quid & quia, quam illa quæ habet quia tantum: sed inueniuntur aliquæ scientię quæ habent quia tantum, & non propter quid: ergò vna scientia certior est quam alia. *Minor prob.* Nam vt supra dictum est, scientia subalternās habet quia & propter quid simul, subalternata verò quia tantum.

Secundò. Illa scientia est magis perfecta quæ est magis abstracta, sed aliqua scientia est magis abstracta & aliqua minus, ergò vna scientia est certior quam alia. *Maior est euidens*, quia simpliciter priora sunt compositis. *Minor verò probatur.* Nam Artihmetica

tica quæ tractat de numero ſecundum ſe & abſolutè, magis eſt ſimplex & abſtracta quam Muſica quæ tractat de numero ſonante; ſimiliter Geometria conſiderans lineam abſolutè, magis eſt ſimplex quam Perſpectiua quæ lineam viſualem conſiderat. Et hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Demonſtratio vniuerſalis ſit potior particulari?

V*Idetur quod non. Primò.* Illa Demonſtratio eſt potior, quæ facit magis ſcire, vt docuit Ariſtoteles: ſed Demonſtratio particularis facit magis ſcire, quam vniuerſalis: ergò Demonſtratio particularis eſt potior vniuerſali. *Minor probatur.* Demonſtratio vniuerſalis facit aliquid ſcire in vniuerſali, ſiue in alio & in confuſo, Demonſtratio verò particularis facit ſcire rem diſtinctè & ſecundum ſe ipſam, verbi gratia, qui ſcit hominem eſſe muſicum, vel album & cætera, ſcit in confuſo, cæterum qui nouit Petrum eſſe muſicũ, ſcit rẽ diſtinctè & prout in ſe eſt. *Argum. I.*

Secundò. Illa Demonſtratio eſt potior, quæ eſt magis de ente vel vt alij exponunt, quæ verſatur circa tale obiectum quod magis participat de ratione eſſendi: ſed particularia magis participant de ratione *Argum. II.*

ne essendi,quam vniuersalia. Ergò demonstratio quæ est de obiecto particulari, potior est quam illa quæ est vniuersalis. Maior est Aristotelis in secunda probatione, Nihil enim scitur, nisi ēs,ac proinde si aliquod est magis ens,magis scietur. *Minor verò probatur*. Homo vniuersalis nunquã reperitur per se existens, & quælibet substantia, sed particularia subsistunt per se & non in aliquo alio, verbi gratia, Petrus, Franciscus &c. quia sunt primæ substantiæ, quæ vt diximus in Prædicamentis maximè, & principaliter, substant, non existentibus autem primis substantijs impossibile est aliquid aliarum remanere, ergò particularia magis de ente participant, quam vniuersalia.

Argu. III. *Tertiò*. Illa Demonstratio est potior, quæ nō causat errorem nec aliquam deceptionē in intellectu. Sed Demonstratio vniuersalis causat errorem & deceptionem, non autem particularis: ergò demonstratio particularis potior est vniuersali. *Minor prob.* Nam demonstratio vniuersalis demonstrat aliquid præter singularia, verbi gratia, de Triangulo dicitur, quod habeat tres angulos, & hoc fit per demonstrationem vniuersalem, similiter de circulo, quod sit quædam linea rotunda, similiter de homine quod sit risibilis &c. Sed dicere quod vniuersale sit aliquid præter singularia est error & deceptio, ergò vt prius.

Resolutio. *Respondeo*. Quod dupliciter aliquid dicitur esse vniuersale vel particulare, Vno modo vniuersa-

uersale dicitur, quia est vnum in multis, & prædicatur de multis, sicut homo est species Vniuersalis ad Petrum, Franciscum &c. & animal ad equum & hominē: particulare verò per oppositū, accipitur pro omni eo quod est vnū numero, verbi gratia, Petrus, hoc animal &c. & hoc modo sumendo vniuersale non seruit ad propositum, & ratio est, quoniam vt doctè aduertit Caietanus, Demonstratio non dicitur vniuersalis vel particularis, quia subiectum conclusionis est aliquid commune multis vel particulare, quidquid dicant Soto, Magister Glogouiensis, & alij ex recentioribus, nam hæc conclusio. Isoscheles habet tres angulos æquales duobus rectis, est particularis, vt omnes admittunt, & tamē subiectum ipsius est aliquid commune, scilicet Isoscheles, vt patet.

Dupliciter aliquid dicitur vniuersale vel particulare.

Alio modo dicitur aliquid vniuersale, quia est quoddam prædicatum quod conuenit adæquatè suo subiecto, & secundum quod ipsum, vt docuit supra Aristot. in c. 5. huius libri, & nos in artic. 5. & hoc modo accipitur in præsenti Vniuersale, quia ex huiusmodi vniuersali sequitur cōclusio demōstratiua, in qua propria passio dicitur de suo subiecto cui per se cōuenit, v.g. habere tres angulos dicitur de triangulo vniuersaliter, quia per se primò & semper illi conuenit, similiter esse risibilē dicitur de homine &c. per oppositū verò loquendo, illa Demonstratio dicitur particularis, quę

demonstrat passionem de aliquo subiecto inadæquato, cui non per se primò conuenit, v.g. Isoscheles habet tres angulos, nõ est propositio vniuersalis posterioristica, quia habere tres angulos nõ cõuenit Isoscheli tanquam subiecto adæquato, & inquantum est Isoscheles, sed solum inquantum est species trianguli: similiter hominem esse sensibilem, quia sensibile non conuenit homini, quatenus est homo & per se primò, sed quatenus est animal.

Quando Demonstratio vniuersalis sit nobilior particulari.

Hoc igitur supposito Dico: quod si accipiamus demonstrationem particularem in prima acceptione, hoc est, in qua subiectum est aliquod particulare, vnum numero, tunc particularis nobilior est vniuersali, quia per demonstrationem particularem perfectius scimus aliquid de subiecto particulari, quam per vniuersale: Demonstratio enim vniuersalis causat in nobis scientiam potentialem & confusam, de subiecto particulari, v.g. quando scio hominem esse corpus animatum, scio hominem in potentia tantum, nam illud quod est animatum potest esse homo, non tamen de facto est, cæterum sciendo hominem esse animal rationale, scio hominem in actu. Si autem demonstratio particularis & vniuersalis accipiantur simpliciter, & in secunda acceptione, quatenus vniuersale idem est quod prædicatum conueniens alicui subiecto adæquatè, & per se primò, verbi gratia, homo est risibilis, animal est sensibile &c. & particulare idem

quod

quod prædicatum conueniens alicui subiecto inadæquatè,& per se secundò,verbi gratia,Petrus est risibilis, homo est sensibilis : tunc demonstratio vniuersalis potior est particulari, & hoc ita potest deduci: nam illa demonstratio est nobilior, per quam plura sciuntur quã illa, per quam sciuntur pauciora : manifestum est autem, quod per Demonstrationem vniuersalem quando scitur quod propria passio inest subiecto vniuersali, sciuntur etiam omnia particularia quæ sub illo continentur,verbi gratia, qui scit hominem in ratione communi esse risibilem, quocunque statim cognito, scit ipsum risibilem, & tamen non è conuerso, qui scit hominem particularem, scit in communi, quia per Demonstrationem particularem pauciora sciuntur.

Conclusio. Demonstratio vniuersalis potior est particulari. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum : nego Minorem: ad cuius probationem dico,quod demonstratio non ex eo vniuersalis dicitur, quasi sit in conceptu vniuersali vel communi, sicut Petrum cognoscere in homine vel hominem in animali,est cognitio in vniuersali: sed quia est Demonstratio prædicati,quod conuenit adæquatè suo subiecto, & alijs non nisi per subiectum. *Resp. ad I.*

Ad secundum distinguo Minorem,sed particu- *Resp. ad II*

laria magis participāt de ratione essendi, quo ad esse existentiæ, concedo Minorem, quo ad esse essentiæ, nego Minorem: nam sicut nihil generatur præter particulare, ita nihil existit, vniuersalia verò quia genitis particularibus generantur, existunt: corruptis enim primis substantijs, non est aliquid amplius remanere. Cęterum esse essentiale & quidditatiuū prius conuenit vniuersali, vt patet, dicendo enim Petrus est animal rationale, & Franciscus est substantia &c. verum est per se secundò, in primo modo perseitatis, nam si homo non est animal rationale, vtique Petrus non est, & si corpus animatum non est substantia, vtique Franciscus non est.

Resp. ad III. *Ad tertium* nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Maiorem, demonstratio vniuersalis demonstrat aliquid præter singularia, aliquid sciri, concedo Maiorem: aliquid existere, nego Maiorem, vniuersalia enim non per se existunt, sed in particularibus vt dictum est in lib. Prædicab. contra Platonem.

ARTICVLVS II.

Vtrum Demonstratio affirmatiua, potior sit quam negatiua?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Syllogismus negatiuus perfectior est & ad plura se extendit, quam affirmatiuus: ergò etiam Demōstratio-

tio negatiua potior est affirmatiuâ. *Antecedens probatur*. Nam syllogismus vniuersalis negatiuus potest confici in prima & secunda figura, syllogismus autem vniuersalis affirmatiuus, nō nisi in primo modo primæ figuræ tantum, ergò exinde apparet, quod syllogismus negatiuus ad plura se extendat.

Secundò. Demonstratio affirmatiua significat esse & negatiua non esse, sed non esse pręcedit esse, quia res quælibet antequam producatur prius non est. Ergo demonstratio negatiua prior est affirmatiuâ. *Argum. II.*

Tertiò. Authoritate Aristotelis qui docet in lib. primo Phys. Quod composita magis sunt nota & priora quam simplicia, sicut Deus & substantiæ separatæ, quia sunt simplices sunt minus notæ. Sed demonstratio negatiua magis est composita quam affirmatiua, ergo demonstratio negatiua est potior. *Minor probatur*. Nam demonstratio affirmatiua ex puris affirmatiuis constat, vt Aristoteles docuit in Textu conclusione tertiâ, negatiua verò habet vnam affirmatiuam & alteram negatiuam, ex puris enim negatiuis nihil sequitur, ergò negatiua magis est composita, atque adeò magis nota. *Argu. III.*

Respondeo. Quod ad hoc vt sciamus resolutionem dubij præsentis, oportet inprimis annotare ea quæ passim in naturalibus videmus, nimirum illud ens dici optimum, quod nullo indiget, sicut Deus: reliqua verò entia tātò sunt *Resolutio.* *Quid sit optimum.*

meliora,quãto paucioribus egẽt. Vnde etiam in elementis videmus, quod nihil aliud ex natura appetunt, quam vt per actiones pauciores consequantur finem, idcircò enim per lineam rectam feruntur ad terminum, vt citius perueniãt v.g.aqua,ignis&c.Sic igitur in proposito, ille syllogismus est dignior, per quem intellectus facilius potest rem attingere, nam vt supra dictum est, demonstratio facit scire, & ita quæ facit citius, magis est perfecta: manifestum est autem quod huiusmodi est magis simplex quæ magis accedit ad simplicem apprehensionem, actus enim & operatio nobilissima nostri intellectus, est simplex apprehensio,& consequenter Demonstratio melior ad simplicem apprehensionem magis accedit, cuiusmodi est ille syllogismus, in quo Propositiones præmissæ magis sunt notæ,& habent eandem quantitatem & qualitatem, nam in his Propositionibus non possunt esse plura media ad probandum quod sint veræ,v.g.hęc conclusio, Homo est substantia, potest probari per multa media,cuiusmodi sunt animal,viuens,& corpus, dicendo, omne animal est substãtia:sed homo est animal, ergò homo est substãtia. Deinde,viuens est substantia: sed omnis homo est viuẽs:ergò &c.Præterea,omne corpus est substantia, sed omnis homo est corpus,ergò&c.vbi inter has tres Demonstrationes potior est secunda quam prima, quia immediatior & simplicior, & tertia simplicior quã duæ primæ,quia propius accedit cor-

Syllogismus quis dignior.

pus ad ſubſtantiã, quã viuens, & viuens quam animal. Ex quo infero, demonſtrationem affirmatiuam potiorē eſſe negatiuâ, quia paucioribus indiget, & eſt ſimplicior quo ad qualitatē, conſtat enim ex propoſitionibus purè affirmatiuis. Porrò demonſtratio negatiua, ex eo cenſetur eſſe compoſita, quia nunquã eandem qualitatem poteſt habere, ſed permiſtam, & quaſi compoſitam ex vna affirmatiua & altera negatiua, vt eſt manifeſtum.

Concluſio. Demonſtratio affirmatiua potior eſt negatiuâ. Probatur. Tum authoritate Philoſophi, tum etiam ex his quæ dicta ſunt.

Ad primum igitur dicendum: diſtinguo antecedens, ſyllogiſmus negatiuus potior eſt affirmatiuo, extenſiuè, cõcedo anteced. intenſiuè, nego: & ita probatio illius fallit, quia non quærimus in præſenti, an demonſtratio negatiua ad plures figuras ſe extendat quam affirmatiua, ſed an ſit intenſiuè & ex natura ſua perfectior. *Reſp. ad I.*

Ad ſecundum diſtinguo Minorem: ſed non eſſe præcedit eſſe, in vno & eodem ſubiecto quod producitur, concedo Minorem: quia ex non ente aliquid producitur: ſimpliciter verò & abſolutè, nego Minorem, vnde ea quę nõ ſunt, producuntur ab ijs quæ ſunt, & ſic eſſe abſolutè præcedit non eſſe. *Reſp. ad II.*

Ad tertium: Admitto authoritatem Ariſt. & explico illam, illa quæ ſunt compoſita, magis ſunt nota & priora, quo ad nos, concedo: ſecundum ſe & ordine naturæ, nego. *Reſp. ad III.*

ARTICVLVS III.

Vtrum vnitas scientiæ desumatur ab vnitate subiecti, & diuersitas à principijs?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Metaphysica est scientia verè vna, sed subiectum Metaphysicæ non est aliquid vnum, ergò vnitas scientiæ non sumitur ex vnitate obiecti. *Minor probatur.* Nam obiectum Metaphysicæ est ens, de quo tamen dicit Porphyrius in Prædicabilibus, quod si quis omnia entia vocauerit, æquiuocè nuncupabit ea, non vniuocè.

Argu. II. *Secundò.* Ens & vnum sunt idem realiter, ergò ab eodem res habet quod sit, & quod sit vna: sed quælibet scientia habet esse suum à principijs & non à subiecto: ergò vnitas sciẽtiæ desumitur ex principijs. Minor patet ex præcedentibus: dictum est enim multoties, quod conclusioni credimus propter præmissas, quia nihil credimus quod non sit verum, pręmissæ autem sunt magis veræ, quam conclusio, & sunt causa conclusionis. Ergò scientia quæ habetur de conclusione habet esse ex præmissis, & non à subiecto.

Argu. III. *Tertiò.* Accidentia diuersificantur ex suis subiectis in quibus existunt, sed potest esse vna species scientiæ in pluribus subiectis, ergò vnitas scientię non desumitur ex vnitate subiecti. *Maior* est manifesta ex eo, quia Philosophia, quę est in Petro, differt ab ea quę est in Francisco

ciſco, per hoc quia ſunt in diuerſis ſubiectis ſeu intellectibus. *Minorem* verò probat experientia, quia videmus plures artifices verſatos in eâdem facultate, & plures Philoſophos in eâdem ſcientia.

Reſpondeo. Quod tripliciter aliquæ res diſtinguuntur abinuicem, ſcilicet numero, ſpecie, & genere. *Reſolutio. Tripliciter res diſtinguuntur.*

Illa diſtinguuntur diſtinctione numerali, quæ habent diuerſas materias & diuerſa ſubiecta, verbi gratia, hæc albedo quæ eſt in hoc pariete, diſtinguitur numeraliter ab albedine quæ eſt in hac veſte, quia hæc veſtis & hic paries ſunt ſubiecta diſtincta numero &c.

Illa diſtinguuntur diſtinctione genericâ, quæ ad diuerſa Prædicamenta pertinent, verbi gratia, paries & albedo diſtinguuntur genere, quia paries ſpectat ad Prædicamentum ſubſtantię & albedo ad Prędicamentum qualitatis, & ſic de alijs.

Illa verò diſtinguuntur ſpecie, quę habent formas & definitiones diſtinctas, ſicut homo & equus, lapis & angelus &c.

Sic ergò in propoſito poſſumus etiam loqui de ſcientijs, nam quędam ſcientiæ ſunt diſtinctæ numero, quædam diſtinctæ ſpecie, quædam verò genere. Illę ſcientiæ diſtinguuntur numero, quę ſunt in diuerſis ſubiectis, hoc eſt, in diuerſis intellectibus, & hoc pacto Logica quã ſcit Petrus diſtinguitur numero ab ea quam habet Franciſcus, quia in alio intellectu *Quæ ſcientiæ numero diſtinguantur.*

eſt

est Logica Petri,& in alio Francisci; imo hæc Logica,& hęc Physica propter eandē rationē distinguuntur numero,& de hac vnitate non quęrimus in præsēti: manifestū est enim, quod vnitas numeralis scientiæ nō desumitur ex vnitate numerali ipsius obiecti scibilis, quia nihil numerale scitur, neq; corruptibiliū est definitio,& Demōstratio vt iā supra dictū est, sed tantū desumitur ex vnitate subiecti vt patet.

Quæ genere. *Illæ* verò scientiæ distinguuntur genere, quę etiam non ex obiectis distinctis genere distinguuntur, sed aliunde, hoc est, quia vel illæ scientiæ differunt in genere cognitionis, sicut fides & opinio, nam obiectum opinionis scitur cum formidine; nō autē fidei sed potius cū certitudine: aut quia illæ scientiæ differunt ex parte finis, quia nimirum ad diuersos fines ordinātur, sicut scientiæ practicę distinguuntur à speculatiuis, finis enim speculatiuæ scientiæ est cognoscere suum obiectum, at verò finis practicæ est operari circa obiectum & ipsum per operationem attingere, v.g. ædificare & argumentari distinguuntur genere ex fine. Aut quia vna procedit per causam & alia per effectum: sicut scientia quam aliquis habet de conclusione aliqua, per demonstrationem propter quid, & per demonstrationē quia, nā istæ duę cognitiones distinguuntur specie in ratione demonstrationis, vt supra dictum est, tamen in ratione cognitionis & scientię distinguuntur genere, & de hac etiā vnitate generica nō quęrimus in pręsenti, quia hoc quod

diximus omnes Scholastici admittunt.

Tota ergò controuersia præsens consistit in hoc: vtrũ vnitas specifica scientiæ desumatur, ex vnitate obiecti & diuersitas ex principijs.

Pro cuius resolutione Dico: quod illæ scientiæ distinguuntur specie, quę habent obiecta distincta specie, v.g. Logica distinguitur specie à Physica, quia obiectum Logicæ est ens rationis, quod non est obiectum Physicæ. *Quæ specie.*

Sed hic aduerte: quod quando diximus communiter, sciẽtias distingui specie propter obiecta distincta specie, non loquimur de obiectis distinctis specie materiali & entitatiuâ, & inquãtum sunt res, v. g. homo & equus, albedo, & nigredo, linea & superficies &c. sed accipimus hic obiecta formalia, & est sẽsus. Illæ sciẽtiæ distinguuntur specie ex obiectis, quæ respiciunt sua obiecta sub diuersis rationibus formalib. Vnde eadẽ res potest esse scita à diuersis scientijs, sed non sub eadem ratione formali, sicut homo scitur à Theologo, vt ordinatur ad beatitudinem, & à Physico vt est ens mobile: sicut è cõuerso possunt aliquę res distingui specie entitatiuâ, quę tamen nõ distinguuntur specie scibili, quia sub vnica ratione formali sciuntur, v.g. homo, & equus, bos &c. sciuntur ab eadem Logica, in quantum sunt species prædicabiles de pluribus indiuiduis, & in quantum sunt entia rationis formaliter. NOTA.

Vt autem scias vnde desumatur hæc ratio specifica obiecti scibilis, & quidnam illa sit, *Dico:* quod tũc demũ obiecta omniũ sciẽtiarũ sub

Vnde accipiatur diuersitas rationum formalium in obiectis.

diuersa ratione formali considerantur, quãdo habent diuersam abstractionem à materia, & ratio est, quia omnis scientia nihil attingit pro obiecto nisi vniuersale, corruptibilium enim non est scientia, & quoniam vniuersale fit per abstractionem intellectus, hinc sequitur quod ratio formalis obiecti scibilis est abstractio, & vbi est diuersa abstractio alicuius obiecti; ibi etiam sunt diuersæ scientiæ.

Triplex à materia abstractio.

Tribus verò modis potest aliquid abstrahi à motu & materialitate; vt iam dictum est in articulo 2. procœmiali ad totam Logicam: *Aut* enim est aliquid abstractum à materia & à motu; non solum per intellectum; sed etiam secundum rem, & hoc modo angeli & substantię separatę sunt entia abstracta, de quibus tractat Metaphysicus. *Aut* verò est obiectum abstractum à materia non realiter sed tantum per intellectum, & sic est quantitas mathematica. *Aut* verò est aliquid non abstractum à materia communi, sed illam concernens; & hoc modo elementa, homines, metalla, & corpora mobilia, considerat Physicus. Et hoc est quod intendit Aristoteles in Textu præsenti dum ait, quod diuersitas scientiæ attenditur penes diuersa principia, idem enim est dicere, quòd illæ scientiæ sunt diuersæ formaliter, quæ procedunt ex diuersis principijs, & quæ scientia procedit ex principijs magis abstractis, & magis immaterialibus, illa etiam tractat de subiecto magis abstracto. Principia enim seu me-

dia

dia in demonstratione sunt definitiones subiectorum,& consequenter vbi distincta principia & media,distinctæ etiam erunt definitiones,& vbi distinctæ definitiones subiecti, distinctæ rationes formales: vnde scientia in Libris Priorum, Posteriorum & Prædicabilium,est de vno obiecto formali, & sub vna ratione formali; scilicet sub ente rationis: nam omnes propositiones ex quibus deducimus conclusiones,prioristicas,posterioristicas,prædicamentales;& prædicabiles, habent abstractionem eandem specie,scilicet à materia & motu secundum esse,& secundum intellectũ, vt supra dictum est. Hoc idem potest videri in alijs scientijs,v.g. Libris degeneratione,de cęlo,de anima &c. nam ista omnia sunt velut partes vnius scientiæ,hoc est Philosophiæ naturalis quæ tractat de ente mobili, Libri verò de Cælo tractant de ente mobili secundum motum circularem, & Libri de generatione de alijs differentijs motus,& sic ordinatè per omnes scientias poteris discurrere.

Conclusio. Vnitas scientiæ desumitur ex vnitate subiecti, & diuersitas ex principijs.

Probatur prima pars. Quilibet motus accipit suam vnitatem ex termino, vt Aristoteles in quinto Physic. docet; sed scientia est quidã motus rationis de termino ad terminum, hoc est, de principijs ad conclusionem & obiectum, ergò quælibet scientia desumit suam vnitatẽ ex suo obiecto.

Secunda verò pars conclusionis probatur. Diuersitas scientiæ desumitur ex ratione formali ipsius obiecti, sed in principijs continetur ratio formalis obiecti, ergò Demonstrationes quæ procedunt ex diuersis principijs sunt etiam inter se diuersæ.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum.* Distinguo Minorem, sed subiectum Metaphysicæ non est aliquid vnum: tanquam genus vniuocum, concedo Minorem: tanquam habens rationē formalem, nego Minorem. Vnde quando dicit in præsēti Aristot. quod vnitas scientię sumitur ex vnitate generis subiecti, nō accipitur hic gen' pro primo Prędicabili vniuoco, sed pro vna ratione specifica obiecti: vnde ēs est subiectum Metaphysicę, quia ōnia quę cōsiderātur in Metaphysica, cōsiderātur sub ratione ēēis, & quæ cōsiderātur à Theologo, similiter cōsiderātur in ordine ad Deū: cū hoc tamē stat, quod neq; ens, neque Deus sunt genera prædicamentalia.

Resp. ad II. *Ad secundum* distinguo Minorem, sed quælibet scientia habet esse suum à principijs, absolutè & formaliter consideratis, nego Minorem: prout sunt vnita in suo subiecto, & inquantum esse ipsius subiecti prouenit ex principijs vnitis, cōcedo Minorē. *Volo dicere*: quod si consideremus principia absolutè & secundum se, tunc illa non possunt dare vnitatē alicui scientię, quia etiam vt sic non habent vnitatem formaliter, sed sunt plurima: si verò cōsideremus principia vt in aliquo subiecto vniuntur

untur, tunc possunt dare secundariò, quia sunt ratio formalis obiecti, principaliter autē vnitas attenditur ex obiecto: vnde propositiones logicę prout absolutè cōsiderātur multæ sūt, alias enim propositiones formamus in Prædicabilibus, alias in libris Posterio. &c. tamen quia per eas nihil intendimus, nisi attingere per cognitionem ens rationis, hoc modo vniuntur in ente rationis.

Ad tertium distinguo Maiorem. Accidentia diuersificantur ex suis subiectis in quibus sunt, diuersificantur numeraliter, concedo Minorem: specificè, nego Minorē, & hoc erat probandum in præsenti. *Resp. ad III.*

CAPVT XXIII. XXIV. ET XXV.

De comparatione scientiæ ad alios habitus, & de diuersitate principiorum.

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. Fortuita & casualia, similiter sensibilia non possunt sciri per demonstrationem.

Probatur prima pars. illud quod scitur per Demonstrationem, est semper, vel etiam frequenter: sed fortuita & casualia non semper sunt, nec etiam frequenter: ergo de ipsis non est scientia. *Maior* est vera, quia superius dictū est, quod Demōstratio est de obiecto vniuersali & incorruptibili, & quod procedit ex propositionibus necessarijs, necessariū autē semper est, aut frequenter, vt ecclypsis lunæ.

Secunda verò pars, ſcilicet quod ſenſibilia nõ poſſunt ſciri, probatur: quælibet ſcientia eſt de re vniuerſali & incorruptibili, ſed obiectum ſenſibile eſt aliquid corruptibile, ergò de obiecto ſenſibili nulla eſt ſcientia.

Secunda conclusio. Impoßibile eſt eſſe eadem principia omnium ſyllogiſmorum.

Probatur. Omnes ſyllogiſmi quotquot ſunt, aut ſunt veri aut falſi: ſed impoſſibile eſt quod eadem ſint principia ſyllogiſmi veri & falſi, ergò omnium ſyllogiſmorum non eadẽ ſunt principia. *Minor prob.* Nã ſyllogiſmus ver' procedit ex præmiſſis veris, & ſimiliter falſus ex aliqua falſa, ergò ſicut verũ & falsũ nõ sũt eadẽ, ita nec princ. ſyllogiſmi veri & falſi sũt eadẽ.

Tertia conclusio. Scientia differt ab opinione, & ab intellectu.

Probatur prima pars. Omnis ſcientia eſt de obiecto vniuerſali, & procedit ex pręmiſſis neceſſarijs, ſed opinio non eſt de obiecto vniuerſali, nec procedit ex præmiſſis neceſſarijs; ergò ſcientia differt ab opinione. *Maior* eſt certa: nam ſingulariũ & quæ poſſunt aliter ſe habere, non eſt ſcientia. *Minor verò prob.* Nam opinio non eſt ex cauſa per ſe, ſed ex cauſa probabili: ſed cauſa probabilis non eſt cauſa neceſſaria. Ergò opinio non procedit ex præmiſſis neceſſarijs.

Quo ad ſecundam verò partem probatur, ſcilicet quod ſcientia differt ab intellectu: intellectus eſt principiorũ quę nõ poſsũt demõſtrari, ſcientia

entia autē est cōclusionū quę de facto demōstrantur, sed conclusio nō est idē cū principijs, ergò nec scientia idem est cum intellectu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnium Demonstrationum eadem sint Principia?

V*Idetur quod sic. Primò.* Omnes Demonstrationes eādem habent formam, ergò idem habent principium, *Consequentia* est manifesta, quia quælibet res existit per suam formam, & ita si forma est vna, vnū est principiū. *Anteced. verò prob.* Nam forma cuiuslibet syllogismi demōstratiui, nulla alia est, nisi figura & modus, vt diximus supra in hoc lib. articulo 1. procemiali, cōficitur enim quælibet Demonstratio in aliqua figura. *Argum. I.*

Secundò. Definitio est principium Demonstrationis vt diximus antea cap. 2. articulo 4. sed omnes Demonstrationes eandem habent definitionē, ergò idē principiū. *Minor prob.* Nā definitio hæc, scilicet esse syllogismū, qui procedit ex primis, veris, immediatis &c. cōuenit cuilibet Demonstrationi. *Argum. II.*

Tertiò. Hęc propositio, Quodlibet est vel nō est, est principiū cōmune omniū demōstrationū, ergò omnes demōstrationes habēt idē principium. *Antec. prob.* Nā in virtute illius principij cōplexi omnes syllogismi demonstratiui concludunt, sicut in virtute entis omnia incomplexa apprehenduntur ab intellectu. *Argu. III.*

Resolutio. *Respondeo.* Quod principium cuiuslibet demonstrationis potest sumi dupliciter: Primò pro principio incomplexo circa quod est demonstratio. Alio modo pro complexo, ex quo demonstratio procedit.

Duplex principij demonstrationis acceptio.

Circa q. *Illud* vocatur principium demonstrationis CIRCA QVOD: quod est obiectum, ad cuius cognitionem ordinatur aliqua sciētia & demōstratio, v. g. numerus est principium circa quod versatur Arithmetica, & magnitudo in Geometria, sicut ens rationis in Logica.

Ex quibus. *Illa verò* vocantur principia EX QVIBVS, quæ nihil aliud sunt, nisi propositiones veræ & immediatæ, ex quibus aliqua scientia deducit suas conclusiones.

Hoc igitur supposito dico: quod accipiēdo principium demōstrationis in primo modo, quatenus idem significat quod subiectū adæquatū alicuius sciētiæ, tunc nō quærimus in præsenti. An sint eadē principia, circa quę versantur omnes demonstrationes, hoc. n. in præcedēte Textu. A. 3. est resolutum. Tota ergo quęstio currit de principijs complexis, ex quibus procedunt scientiæ.

Duplex principium complexū. *Hæc* aūt principia cōplexa sunt adhuc duplicia: quædam enim sunt propria, & quædā cōmunia, vt iam multoties in superiorib. docuit Arist. Et de principijs quidē proprijs loquendo, manifestū est, quod nō sunt eadē principia omniū demōstrationū, quia in quolibet syllogismo demonstratiuo nihil aliud intēdimus ostendere, nisi quod propria passio inest

suo subiecto adæquato in cōclusione: & hoc deducimus ex definitione subiecti, & ex causa ipsius passionis. Et quoniã non eadẽ est causa omnium passionum, v.g. nõ propter eandem causã homo est risibilis, propter quã equus est hinnibilis, & ignis est calidus &c. hinc est ꝙ nõ eadẽ sunt principia propria omnium demõstratiõum, sed tot sunt principia, quot passiones: si enim essent eadẽ principia, certè essẽt eædẽ demõstrationes, & cõsequẽter eædẽ passiones in omnib. sciẽtijs, quod est impossibile. Ceterũ loquẽdo de principijs cõmunib. tũc illâ distinctione q̃ sępi' adduxim⁹ oportet vti, nimirũ quod principia cõmunia, prout sũt appropriata alicui scientiæ determinatę, & cõtracta ad terminos speciales, ingrediuntur formaliter demõstratiõe: at verò in sua cõmunitate nõ ingrediũtur, & maximè in actu exercito.

Conclusio. Impossibile est omnium demonstrationũ esse eadem principia. Probatur. Diuersorum generum debent esse principia diuersa, sicut principia in prædicamento substantiæ, sunt materia & forma, & in prędicamento quantitatis, vnitas & punctus &c. *Tunc vlterius:* sed scientię diuersæ sunt diuersorum generum, h. e. obiectorum, vt in Artic. præcedẽte deduximus. Ergò impossibile est omniũ scientiarum esse eadem principia.

Ad primum igitur dicendum: distinguo conseq. Ergo habent idẽ principium, formale cõcedo cõseq. cuiusmodi est figura & mod⁹: materiale, nego conseq. & tales sunt præmissę, vt patet. *Resp. ad I.*

Resp. ad II. *Ad secundum.* Distinguo Minorem. Sed omnes demonstrationes eandem habent definitionem, genericam, concedo Minorem: specificam, nego Minorem.

Resp. ad III. *Ad tertium.* Distinguo conseq. Ergò omnes Demonstrationes idem habent principium, commune, transeat conseq. principium proprium, nego consequentiam.

ARTICVLVS II.

Vtrum eorum, quæ cognoscuntur per sensum, poßit esse scientia?

Argum. I. VIdetur quod sic. *Primò.* Linea visualis obijcitur visui, sed datur scientia de Linea visuali tanquam de obiecto videlicet Perspectiua. Ergò obiectum sensus potest esse obiectum scientiæ. *Maior prob.* Nam obiectum adæquatum visus est color in communi, non tamen hic vel ille color, ergò & linea visualis in communi obijcitur sensui: sed eodem modo obijcitur scientiæ Perspectiuæ. Ergò idem quod prius.

Argum. II. *Secundò.* Authoritate Aristotelis in hoc Textu, dum ait: sentire est singularium, sensus vero est vniuersalis. *Tunc sic argumentor*: sed quælibet scientia est de obiecto vniuersali. Ergò de obiecto sensus potest esse scientia.

Resolutio. *Respondeo.* Quod præsens Articulus maximam continet difficultatem, propter verba ipsius

ipsius Aristotelis, dum ait in textu, sentire est singularium, sensus verò est vniuersalis, quam propositionem explicantes Scholastici, varias habent opiniones. Persistendo tamen in doctrina Caietani. *Dico* quòd ista duo, scilicet sensus & sentire, habent se tanquam potentia operatiua & eius operatio: verbi gratia, calor in igne, est potentia ad calefaciendum, calefacere autem est eius operatio: & similiter risibile est potentia hominis ad ridendum, videre verò est eius operatio, & sic de alijs. Differunt autem ista duo, nimirum potentia sensitiua, seu sensus, & eius operatio scilicet sentitire, quia sẽtire seu operatio terminatur ad certum & particulare obiectum, nunquam enim videtur color nisi particulariter existens, ac proinde impossibile est quod sentire pertingat ad obiectum commune, quia quæcunque sensatio exercetur, nulla est communis. At verò si loquamur de ipsa potentia sensitiua & sensu, tunc illa non est determinata ad hoc vel illud obiectum in particulari, sed vniuersaliter potest hoc vel illud sentire, licet semper sentiat singulare. Visus enim non est determinatus ad istam albedinem tantum quæ est in hoc pariete, sed potest videre quemcunque colorem. Et propterea dicit Aristoteles, sentire est singulare, sensus verò est vniuersalis.

Discrimen inter sensum & sentire.

Ex quo infero duo. Primum est. Quod istæ propositiones non significant idem, sensus, verbi gratia, visus est coloris vniuersalis, & simili-

ter sensus est coloris vniuersaliter. Na prima propositio est falsa, quia sic explicatur: color ad quem visus potest terminari, habet vniuersalitatem, & hoc est inconueniens, quandoquidem solius intellectus, & scientiæ obiecta vniuersalitatē habent necessariò. Secunda verò propositio est vera, quia significat quod visus non est determinatus ad videndum hūc vel illum colorem tantum, sed potest quemcunq; videre si fuerit præsens, nam sensus est, obiecti non in vno tantum subiecto existentis, sed in pluribus.

Quod sit intellectus obiectum. *Infero secundò*, quod obiectum intellectus nostri est vniuersale, quod nō est hic vel nunc, sed vbique & semper, non affirmatiuè sed negatiuè. *Volo dicere*, quod quando dicit Aristot. vniuersale est vbiq; & semper, nō est intelligēdum, quod de ratione cuiuslibet vniuersalis est, vt sit pro omni tempore & loco, nā alias vbiq; essent animalia, vbiq; homines, & consequenter non inueniretur aliquid particulare, quod est ridiculū, sed negatiuè est intelligēdū, hoc modo: quod de vniuersali negatur aliquis determinat⁹ loc⁹, & aliquod determinatū tēpus, quia quātum est de se abstrahit à tēpore, & ab ōni loco & sicut inuenitur in quolibet loco vel tempore, ita potest inueniri in omnibus.

Conclusio. Scientia non est eorum quæ sensu cognoscuntur: Probatur. Tum Authoritate Arist. tum etiam ex his quę dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendū* distinguo Maiorem cum

cum sua probatione: linea visualis obijcitur visui, sub ratione communi coloris, h.e. obijcitur linea communiter, concedo Maiorem: obijcitur vt habens communitatẽ, nego Mai.

Ad secundum admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Sensus est vniuersalis, id est, obiectum sensus est aliqua res habens vniuersalitatem, nego: si vero intelligat, quod potentia sensitiua non est determinata ad hoc vel ad illud obiectum sed respicit obiectum vniuersaliter, concedo, vt dictum est. *Resp. ad II*

ARTICVLVS III.

Vtrum eorum quæ fiunt à casu & à fortuna poßit esse aliqua scientia?

VIdetur quod sic. *Primò.* Demonstratio efficit scientiã, sed potest quispiam demonstrare aliquid de fortuna & casu, ergò potest scire fortunam & casum. *Minor* patet facillimè ex hoc discursu: si .n. quis vellet probare quod fortuna est causa per accidens, benè hoc poterit ostendere dicendo: illa causa est per accidẽs quæ producit effectum non intentũm, v.g. si quis excolendo terram inueniret thesaurum, quam inuentionem non intendebat: sed casus & fortuna agunt effectum non intentum: ergo fortuna est causa per accidẽs, ergò de fortuna & de illis quæ fortuitò eueniunt potest esse scientia. *Argum: I.*

Secũdò Illa quę definiuntur possũt demõstrari, sed fortuna & casꝰ possunt definiri, ergò possunt de- *Argu. II.*

demonstrari & consequenter sciuntur. *Maior* supponitur tãquam vera, nam inter alia principia demonstrationis quæ supra enumerauimus, ponitur ipsa definitio tanquam medium demonstrationis. *Minor* verò est Aristotelis in Libro secundo Physicorum, vbi expressè definit Fortunam & Casum.

Argu. III. *Tertiò.* Datur vera scientia de ecclypsi Lunę, etiamsi eueniat raro. Ergò similiter etiamsi fortuna & casus raro eueniant, est de illis sciẽtia, quia non videtur maior ratio de vno quã de altero.

Resolutio. *Respõdeo.* Quod fortuna & casus sũt causę per accidẽs, vt etiã ex ipsis vocabulis põt deprehẽdi, nã fortuna à forte dicitur, fortè aũt illud fit, quod est per accidens, & præter intentionẽ; & hoc pacto definitur: *Fortuna* est causa effectiua per accidens in illis quæ secundum propositum & intentionem fiunt, & raro: *vel aliter:* Fortuna est agens liberum producens effectum aliquem ab eo non intentum. Vnde natura quæ nullum habet intellectum, nullam habet fortunam: sed tantum à casu operatur & non fortuitò.

Quid sit Fortuna.

Quid Casus. Casus verò nihil aliud est, nisi agens naturale producens aliquem effectum ab eo non intentum. Quando igitur quærimus in præsenti, an de effectu fortuito & casuali detur scientia, idem est sensus verborum, ac si diceres: An de ente per accidens possit esse scientia.

Pro

Pro cuius resolutione Dico: quod ens per accidens dupliciter considerari potest, vno modo per modum plurium, & quatenus est aliquid aggregatũ ex diuersis naturis. v.g. quãdo cõsidero hominẽ album vel manum frigidam, taliter quod homo albus, nihil aliud mihi repręsentat, nisi hoc quod nõ est sola albedo, nec solus homo, sed vtrumq; simul, homo scili. cũ albedine, & nõ cõsidero quẽ ordinẽ ista duo inter se habeãt, & quid illorũ prius sit aut post: *Duplex entis per accidẽs cõsideratio.*

Alio verò modo potest considerari ens per accidẽs, per modum vnius, hoc est, quãdo concipimus in homine albo non tãtum hominẽ secundum se, nec tãtum albedinẽ, sed hominẽ in quãtũ albus, & ordinẽ quem habẽt ista duo adinuicem, homo enim est prius tanquã subiectũ, & album est quid posterius. Si ergo volumus loqui de ente per accidẽs in prima acceptione, nõ põt esse de illo sciẽtia, quia illud ens aggregatur ex diuersis naturis, nec põt habere vnã definitionẽ, ac per consequens nec vnã sciẽtiã. Inde de Linea visuali nulla sciẽtia cõsiderat, tanquã de ente per accidens, aggregato ex diuersis naturis, scili. ex linea & esse visuali, similiter de numero sonoro vt patet.

Cæterum si volumus considerare ens per accidens in secunda acceptione, non prout est aggregatum ex diuersis naturis, nec per modum plurium, tunc potest habere vnicam definitionem, & consequenter potest esse de illo certa & determinata scientia. Et hoc modo

Per-

Perspectiua tractat de linea visuali, & Musica de numero sonoro, nam licet quodlibet horum sit ens per accidens entitatiuè, tamen est ens per se, vnum ordine, vt supra dictum est cap. 13. Artic. 2. de scientia subalternata, vbi docuit Caietanus: quod obiectum scientiæ subalternatæ seu differentia accidentalis superaddita dependet per se ab obiecto scientiæ subalternantis. Considerando igitur fortunam & casum in particulari & per modum plurium, non est de illis scientia, verbi gratia, quādo ego concipio, quod aliquis homo fodiens terram reperit thesaurum, vel corpus sancti, tanquam plura entia : nam fossio terræ est vna res, & inuentio thesauri altera: si autem hæc duo in communi considerentur, benè possunt definiri, & de facto definiuntur ab Aristotele li. 2. Phys. vt postea dicemus, quia non sunt entia per accidens.

Volo dicere: quod licet fortuna sit causa per accidens, nihilominus esse causam per accidēs per se conuenit fortunæ, & non per accidens, & potest de illa esse scientia, per propositiones & principia per se, in quibus definitio fortunæ prædicatur de fortuna, aut etiam proprietates fortunæ, dicendo: fortuna est causa occulta agens præter intentionē &c. effectus. n. fortuitus multipliciter potest contingere.

Conclusio. Eorum quæ à casu vel fortuna particulari eueniunt, non est scientia, nec demonstratio.

Probatur. Scientia quælibet procedit ex præmissis

missis necessarijs, quæ sunt veræ aut frequenter: sed effectus qui eueniunt à fortuna particulari vel à casu non sunt necessarij, nec frequenter eueniunt. Ergò de illis non est scientia. Minor patet ex corpore.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem: sed potest quispiam demonstrare aliquid de fortuna & casu, vt sunt entia per accidens & absolutè, considerata per modum plurium, nego Minorem: vt sunt entia per se, & per modum vnius, concedo Minorem: nam ibi est aliqua necessitas, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum: distinguo similiter Minorem, sed fortuna & casus possunt definiri, vt sunt entia per accidens, particularia, & per modũ plurium, nego Minorem: in vniuersali, per se, & per modum vnius, concedo Minorem. *Resp. ad II*

Ad tertium: nego consequentiam, nam maior est ratio de ecclypsi lunæ, quam de fortuna & casu: ecclypsis enim lunæ euenit raró in ordine ad tempus, at veró euenit semper in ordine ad causam, & sic potest esse de ecclypsi in rigore scientia, quia habet aliquam necessitatem: at veró fortuna & casus raró eueniunt, & in ordine ad tempus, & absolutè, præsertim si in particulari considerentur, vt dictum est. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum poßit aliquis habere scientiam & opinionem simul de eodem obiecto?

Videtur quod sic. Primò. Ex opinione quam habemus de aliquo obiecto causatur in nobis *Argum. I.*

nobis certa scientia, ergo potest aliquis habere scientiam & opinionem de eodem obiecto. *Consequentia* est manifesta, nam si ex vno profluit aliud, ergò possunt esse simul; quia nihil agit in distans vt aiunt Physici. *Antecedens verò probatur.* Omnis cognitio firma & certa causatur ex notitia incerta. Sed opinio est quædã notitia incerta, scientia verò certissima, quæ non potest aliter se habere: ergò ex opinione causatur scientia.

Argu. II. *Secundò.* Si scientia & opinio non possent esse simul de eodem obiecto, ergo sunt duo habitus intellectuales qui inter se distinguuntur. Sed hoc est falsum, ergò & primum. *Minor probatur.* Nam Aristoteles apertè docet in hoc Textu: quod de propositione necessaria potest haberi opinio, scientia autem est necessariorum, si igitur in eodem obiecto conueniunt, non sunt habitus distincti.

Argu. III. *Tertiò.* Authoritate Aristotelis in hoc Textu dum ait: potest esse idem opinabile & scibile. *Tunc subsumo:* ergò potest esse idem opinio & scientia, sicut in exemplo, si obiectum visibile, nempe color, esset idem cum obiecto audibili, scilicet cum sono, certè visus esset auditus &c.

Resolutio. *Respondeo.* Quod articulus præsens ad multas difficultates nedum Philosophicas, sed etiam Theologicas conducit, in quo breuiter sunt explicanda hæc quinque, scilicet, fides, opinio, dubium, suspicio, & solertia: nam quo pacto hęc inter se differant non est eadem omnium

omnium sententia, quantum ergò attinet ad opinionem sciendum est, quod sicut videmus per experientiam in igne calefaciente aliquam tabulam; quod ibi duo inueniuntur, nimirum calefactio, per quā ignis calefacit, & calor qui residet in igne, & inclinat ipsum ad calefactionem, similiter in homine ridente est ipsa actio risus, & præterea est quædam potentia naturalis ad ridendum: ita ergò de opinione possumus loqui, nempe quod opinio dupliciter sumitur apud Philosophos: aut pro actu opinandi, aut pro habitu opinatiuo & sic quædā est opinio habitualis, & quædā actualis. *Actus opinatiuus* nihil aliud est, nisi quædam cognitio per quam intellectus tendit in vnam partem contradictionis, & tamen cum formidine alterius partis, v.g. Si mihi ab aliquo proponerentur huiusmodi propositiones, Quantitas distinguitur à re quanta, Relatio quęlibet sortitur suam speciē ex termino, tunc ista cognitio, per quam admitto prædictas propositiones cum formidine alterius partis contrariæ, vocatur opinio, sicut ille qui audiret inuictissimum Matthiam imperatorem versus scythas pergere si haberet formidinem de eius opposito haberet opinionem actualem, maximè si in actu hoc secum perpendat. *Duplex opinionis acceptio.* *Actus opinatiuus Quid?*

At verò opinio habitualis nihil aliud est nisi quædam qualitas quæ residet in intellectu, & inclinat ipsum ad huiusmodi consideratione͂, sicut calor mouet ignem ad calefactionem. *Opinio habitualis quid.*

Definitio opinionis. Ex quo patet quod opinio sic potest definiri: Est assensus quidam incertus, & formidolosus quem habemus de aliqua re, quia principia immediata illius rei nõ sunt manifesta. Et hoc quoad opinionem.

Quid sit fides. *De fide verò dico*: quod fides nihil aliud est nisi quædam qualitas intellectus, per quam assentimur alicui obiecto propter authoritatem dicentis: & est duplex, humana & diuina, *Fides duplex.* per fidem enim diuinam assentimur Deo dicenti, *Diuina.* & ratio formalis est reuelatio diuina, propositio verò Ecclesiæ est tanquam conditio sine qua non est fides diuina, verbi gratia, de hac propositione, Deus factus est homo, habeo fidem diuinam quia illi assentior prout est dicta à Deo, ratio autẽ formalis propter quã assentior, est diuina reuelatio, nã ita per scripturas Deus reuelauit. Cæterum conditio necessaria ad hoc, vt ego crederem hanc propositionem esse veram, nulla alia est, nisi quia ista propositio ab ecclesia proponitur.

Humana. *Alia* verò fides est humana per quam assentimur alicui propter authoritatem hominis dicentis, & quanto maior est alicuius authoritas, tanto maior est illi adhibenda fides, verbi gratia, si quispiam Thomista audiret à S. Thoma, quod si Adam non peccaret, Christus non incarnaretur, & admitteret Propositionem illam propter authoritatem S. Doctoris, tunc haberet fidem humanam.

Ex quo colligitur: quod fides humana differt ab

ab opinione in hoc, quia opinio fit per discursum, non enim aliquis opinatur nisi discurrẽs de vno in aliud: at vero fides non est necesse vt fiat per discursum, quia propter solam authoritatem dicentis potest quis credendo dicere: admitto hoc, quia tu dicis: sed quoniam ista fides humana innititur authoritati humanæ, idcirco fallibilis est, & maximè incerta, secus autem est iudicandum de fide diuinà, quæ innititur veritati diuinæ, quæ est veritas prima. Et hoc quo ad fidem.

Discrimen inter fidem & opinionem.

De suspicione verò dico: quod suspicio non differt ab opinione, nisi in hoc, quia suspicio est quidam assensus existens in intellectu, per quem admittimus vnam partem cum formidine alterius ex leuibus indicijs, & sic potest definiri: suspicio est quædam debilis opinio: v.g. si quis videret hominem religiosum non conuersari cum alijs, & haberet talem assensum existimando, idcircò eum subterfugere aliorum commercia, ne facilè præbeat reliquis occasionem peccandi, vel ne deprehendatur in aliquo deficere, tunc huiusmodi assensus suspicio est, quia ex leui causa iudicat. Et hoc quo ad suspicionem.

Quid sit suspicio.

De dubio verò dico: quod dubium per hoc differt ab opinione & suspicione, quia importat duos actus, vnum affirmatiuũ & alterum negatiuũ, ita tamen quod non determinatur ad vnum istorũ, v.g hæc Enuntiatio: vtrũ Petrus sit animal vel non, habet duos actus, vnus

Discrimen inter opinionẽ, suspicionem, & dubium.

est per quem affirmatur quod Petrus est animal, & alter per quem negatur quia non est animal.

De solertia insuper Dico. Quod nihil aliud est nisi quædam vis facilè & derepentè inueniendi causam rei, v.g. si aliquis ignarus Philosophiæ videns pauperem ingredi domum diuitis, conijceret causam esse vt argentum ab eo mutuet, & si videret lunam illuminari in ea parte quæ est versus solem, & exinde coniectet lunam recipere lumen à sole &c. potest autem de necessarijs & contingentibus esse solertia, & potest nonnunquam deficere causando deceptionem, vt patet in multis.

Conclusio. Impossibile est quod aliquis possit habere scientiam & opinionem simul de eodem obiecto.

Probatur. Nam accipio hanc propositionẽ, Quantitas distinguitur à re quanta, & sic argumentor. Ille qui habet opinionem de hac propositione, existimat hoc esse verum, tamen cũ formidine alterius partis negatiuæ, timet enim ne forsitan oppositum sit verius, ergò talis existimat quod potest aliter se res habere. *Tunc vltra:* sed ille qui habet scientiam de eadẽ propositione, existimat hoc esse verum absque formidine alterius partis, & quod non potest aliter se res habere, quia sciẽtia est necessariorũ: ergo si aliquis haberet opinionem & scientiã simul de eodem obiecto, & haberet formidinem & non haberet, existimaret esse necessariũ, & non esse necessarium, quod implicat. Ergò non

non poteſt aliquis habere opinionem & ſcientiam ſimul de eodem obiecto.

Præterea; eſſet certus quia ſcit, & nō eſſet, quia opinatur: cognoſceret euidenter ex principijs neceſſarijs & immediatis, quia ſcit, & non cognoſceret, quia opinatur vt dictum eſt.

Ad primum igitur dicendum nego antecedens, ad cuius probationem diſtinguo Maiorem, Omnis cognitio certa & firma cauſatur ex notitia incerta, ſi ſumantur cognitiones illæ materialiter, concedo Maiorem: formaliter verò vt in præſenti, nego Maiorem. *Volo dicere:* quod idem actus & eademmet cognitio opinatiua intellectus ſi fuerit continuata, poteſt eſſe primò opinatiua, deinde deſtructâ formidine propter aliquas rationes ille actus idem manens materialiter, poteſt dici ſcientificus. ***Reſp. ad I.***

Ad ſecundum nego Minorem, ad cuius probationem admitto authoritatem Ariſtotelis & explico illam: de propoſitione neceſſaria poteſt haberi opinio, in quantum neceſſaria eſt, nego: in quantum eſt probabilis & cum formidine alterius partis, concedo: & ſic erit propoſitio eadem materialiter, ſed ſub alia ratione formali erit ſcita, & opinata, vt dictum eſt. ***Reſp. ad II***

Ad tertium, admitto ſimiliter authoritatem Ariſtot. & eam explico: poteſt eſſe idē opinabile & ſcibile, idem materialiter & entitatiuè, concedo: idem formaliter, nego: nam eadem ***Reſp. ad III.***

dem propositio & est scibilis & opinabilis, sed diuersimodè: inquantum enim necessaria est, scibilis est, sed inquantum potest aliter se habere, opinabilis est, vt patet in hac propositione. Incorporalia non sunt in loco. Et hæc sufficiat dixisse de dubio præsenti imò & de toto Lib. 1. Poster. nam quomodò reliqui habitus intellectuales distinguantur à scientia, non est negotij præsentis disputare, sed potius hoc pertinet ad Theologos.

BENEDICTVS DEVS.

IN LI-

IN LIBRVM SECVNDVM POSTERIORVM ARISTOTELIS.

CAPVT PRIMVM.

De quæstionibus quotnam sint & de quo?

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Quæstiones sunt æquales numero his quæ verè scimus. Probatur.* De 4. tantum solemus quærere, scilicet. An est, quid est, quia vel quale est, & propter quid est. Ergò si 4. tantum sunt quæsita, 4. tantum erunt quæstiones. *Antecedens probatur. Primò* enim semper quærimus de aliquo si illud est, verbi gratia, si luna est, si homo est &c. *Quæstiones quatuor.*

Secundò. Quid est, vt quid est luna? quid est homo?

Tertiò quærimus quale est: hoc est, vtrum prædicatum insit subiecto, sicut vtrum luna ecclypsetur vel non? vtrum homo sit risibilis vel non &c.

Quartò tandem querimus propter quid prędicatum inest subiecto, vt propter quid ecclypsatur luna? & propter quid homo est risibilis?

Ex quo infero. Alias quęstiones esse simplices, vt si est, & quid est, & istæ non ponunt in numero. Alias verò compositas quę ponunt in numero, vt quale est, & propter quid est.

Secunda conclusio. Omnis quæstio est medij.

Probatur. Ideò enim aliquis quærit, vt sciat causam. Sed medium in omni demōstratione est causa passionis. Ergò omnis quæstio est quæstio medij. *Maior probatur.* Nam qui scit causam alicuius rei, non quærit, vt patet de ecclypsi lunæ, si enim essemus supra lunā quando ecclypsatur, nō quęreremus an sit ecclypsis, & quid sit, quia per sensum possemus cognoscere. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum tot sint quæstiones scibiles, quot sunt scita?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Quælibet scientia est de conclusione: sed plures sunt conclusiones quam 4. Ergò etiam plures erunt scientiæ. *Tunc subsumo:* sed quælibet scientia, habet suas proprias quæstiones: ergò plures sunt quęstiones quam 4. & per cōsequens non est dicendum tot esse quæstiones verè scibiles, quot scita.

Argum. II. *Secundò.* Principia demonstrationis possunt esse scibilia, Sed nulla quæstio formatur de principijs. Ergò plura sunt scibilia quā quæstiones. *Maior probatur.* Propter principia demonstrationis scitur aliquid, hoc est, conclusio. Ergò multo magis ipsa principia, propter quod enim vnumquodque tale & illud magis. *Minor verò patet* ex his quæ diximus supra

in lib.1.cap.12 artic.5.quod Demonstrator de sola conclusione interrogat.

Tertiò. Si quæstiones sunt æquales ijs quæ scimus, ergo omne quod est scibile est, & perconsequens fortuita & casualia, impossibilia, entia per accidens, particularia, &c. erunt verè scibilia, quod est inconueniens: nam sic multiplicarentur scientiæ in infinitum. *Consequentia prob.* De quolibet enim istorum potest formari quæstio, vt patet. *Argu. III.*

Respondeo. Quod postquam Aristoteles in præcedente libro determinauit de syllogismo demonstratiuo definiendo ipsum, & diuidendo in suas species, & similiter proprietates eius inuestigando, nunc in hoc libro intendit determinare de principijs syllogismi demonstratiui, & quoniam principia Demonstrationis sunt duplicia; aut enim est ipsũ medium demõstrationis, aut verò propositiones quædã primę & immediatę: idcircò totus iste liber in duas partes diuiditur, in quarum prima determinat Aristoteles quo pacto medium Demonstrationis debeamus cognoscere, sed quia per medium deuenitur in cognitionem rei, quæ prius fuit ignota, & de qua erat quęstio, oportebat etiã aliquid tractare de quęstione, & hoc exequitur, cap. 1. In secunda verò parte docet quo pacto cognoscantur propositiones primę, & hoc incipiendo à cap. 2. vsq; ad 13. quod est postremũ iuxta partitionẽ Domini Caietani. Quãtũ ergò ad præsentẽ diffi- *Resolutio.* *Principia demõstrationis duplicia.*

Pro cuius resolutione dico primò quod quæstio potest sumi dupliciter: vno modo communiter, & alio modo propriè.

Quæstio accipitur dupliciter.

Tunc sumitur quæstio communiter, quando accipitur pro omni propositione quæ cum signo interrogatiuo profertur, siue illa propositio sit necessaria, siue cōtigēs, siue etiā impossibilis v.g. vtrū paries sit albus vel nō? vtrū homo sit corporeus &c. & sic nō loquimur in præsenti de quæstione.

Tunc accipitur quæstio propriè, quando significat propositionem necessariam tantū, quę cū signo interrogatiuo profertur, v.g. vtrum homo sit risibilis, vtrum equus sit animal &c. & sic potest definiri: quæstio nihil aliud est nisi motus dubitantis qui interrogat de aliquo vero, quam primum enim aliquis cognoscit propositionē aliquam esse veram, tunc videtur quodāmodò intellectus eius quiescere ac si perueniret ad terminum. Cæterū quādo nescitur, an propositio sit vera vel nō, mouetur intellectus ad hoc vt addiscat, & iste motus est quæstio, quia interrogādo mouetur, & de hac quæstione est sermo in præsenti.

Definitio Quæstionis.

Dico secundò quod scibile accipitur dupliciter, vno modo strictè & proprijssimè, & alio modo propriè tantum.

Scibile dupliciter accipitur.

Tunc scibile proprijssimè accipitur, quando cognoscitur per veram Demonstrationem, & huiusmodi est conclusio demonstratiua, vt iam multoties dixi, & hoc modo accipi-

cipiendo ſcibile, non ſeruit ad propoſitum, quia poſſunt eſſe in intellectu humano concluſiones quaſi infinitæ, ita quod intelligendo vnam poſſimus intelligere aliam & aliam, & per conſequens non ſunt tales concluſiones æquales quæſtionibus, vt patet.

Illud autem eſt ſcibile propriè, quod cognoſcitur in Demonſtratione actuali quocunque modo, ſiue formaliter, ſiue antecedenter, ſiue concomitanter, ſiue etiam elicitiuè: vnde concluſio eſt ſcibilis formaliter, ſed cauſa concluſionis concomitanter, quaſi conſequens ad ſcientiam concluſionis, & deinde quidditas & natura ſubiecti ſcitur elicitiuè: quia idem eſt propter quid concluſionis ſiue inhærentiæ Propoſitionis ad ſubiectum & quidditas ſubiecti. Quartum verò eſt ſcibile ſuppoſitiuè vel antecedenter, hoc eſt, ſubiectum, non enim cognoſcitur quid eſt, niſi præſciamus ſi eſt, & non entis vt ſic nulla eſt definitio. Pono exemplum: ſi quis argumentaretur in hac forma: Omne animal rationale eſt riſibile. Sed omnis homo eſt animal rationale. Ergò omnis homo eſt riſibilis. Tunc in hac Demonſtratione ſunt quatuor ſcibilia, vnum eſt, quod ſcitur formaliter, alterum quod ſcitur concomitanter, tertium elicitiuè, & tandem ſuppoſitiuè vel antecedenter: nā concluſio, ergò omnis homo eſt riſibilis, formaliter ſcitur, hoc

Scibile antecedēter.

hoc est, per veram & proprijssimam scientiam, ita quod omnis scientia in rigore est solius cõclusionis, quia scire formaliter est rem cognoscere per causam, hoc est, conclusionem per præmissas.

Secundum verò est quod scitur concomitanter, vel vt ita dicam, consecutiuè ad conclusionem, & hoc nihil est aliud, nisi causa cõclusionis: nam postquam deprehendi quod omnis homo est risibilis, volo etiam scire propter quam causam, & dico in pręmissis, quia omnis homo est rationalis. Vnde hominem esse rationalem, scitur concomitanter, conuertitur enim risibile cum homine, & quælibet propria passio cum subiecto.

Tertium postea scibile in hoc syllogismo est eliciriuè: si enim propter hanc causam homo risibilis est, quia rationalis, statim elicio & quasi tacitè perpendo, quod hominis quidditas sit esse rationalem, quia causa risibilitatis in homine debet esse quidditas & essentia hominis.

Vltimum verò est quod scitur antecedenter, & quasi suppositiuè, quia nimirum nec in præmissis continetur explicitè, nec in conclusione, sed antecedit præmissas & demonstrationem, & tale est, hominem esse in rerum natura, & sic de alijs.

Quatuor sunt scibilia. *Colligitur* ergò quatuor esse scibilia in prædicta demonstratione, scilicet, quod homo est, & hoc antecedenter, deindè quod est rationalis,

lis, elicitiuè, tertiò quod est risibilis, & hoc formaliter, quartò quod propter rationalitatem risibilis, & hoc est scibile cōcomitanter, & sic de primo ad vltimū 4. tātum debent esse quæstiones in omni sciētia, vt puta in Logica, Physica &c. si est subiectum, quid est, quale, & propter quid.

Cautè tamen hic aduerte: ne existimes huiusmodi doctrinam esse contrariam dictis in lib. 1. vbi docuit Aristoteles, quod demōstrator non interrogat de principijs, nā hoc vtiq; est verū quod tāquā dubitās nō interrogat, nec propterea vt resolutionē petat, quia principia sūt per se nota: sed dico, quod demōstrator absolutè interrogat vt examinans, vult enim scire an addiscens eiusdem sit opinionis.

Conclusio. Tot sunt quæstiones scibiles, quot sunt ea quæ scimus, hoc est, certitudinaliter cognouimus.

Probatur. De omni eo quod est scibile possumus formare quæstionem scibilem. Ergò tot sunt quæstiones, quot ea quæ scimus. Cōsequentia est manifesta ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum: distinguo Maiorem, quælibet scientia est de conclusione, si sumatur scientia proprijssimè prout est cognitio rei per causam, concedo Maiorem, si sumatur propriè, prout idem significat quòd certa & euidens cognitio siue antecedenter siue elicitiuè, nego Maiorem. Vnde quęstiones si sumantur in genere sunt æquales ijs quæ sciun- *Resp. ad 1.*

site, nam quærendo an sit homo? vel quid est? non interrogo an habeat esse tale, vel tantum &c. sed simpliciter absque additione alicuius prædicati, licet videatur esse quædam complexio, sed re-verâ non est. In quæstionibus verò compositis de tertio adiacente, inuenitur connexio duorum, & non solum subiectum aut sola passio, ac proindè ponunt in numerū, quia ponere in numerum, est quærere de adunatione seu connexione subiecti cum prædicato.

Differunt secundò: quia quęstiones simplices, & quæ non ponunt in numerum, quærunt de solo subiecto, si est, & quid est. At verò quia est, & propter quid, tenent se ex parte prædicati, nam per quęstionem quia, solemus quærere an prædicatum aliquod inhereat suo subiecto, sicut per quęstionem propter quid, ob quam causam inhæreat, v. g. propter quam causam risibilitas inhæret homini? &c.

Conueniētia harum quæstionū. Conueniunt autem omnes quæstiones in hoc, quia non sunt inter se disparatæ, sed habent essentialem quendam ordinem: quæstiones enim simplices priores sunt quam compositæ, & adhuc inter simplices prior est quęstio an est, quæ de existentia subiecti absolutè interrogat. Deinde sequitur quid est, & quęrit de quidditate ipsius subiecti. Inter compositas autem prima est: quia est, & interrogat de inhærentia pręedicati ad subiectum, hoc est, an passio insit suo proprio subiecto, verbi gratia, an

an homo sit risibilis. Et tandem sequitur propter quid, vt dictum est. Et præsertim loquendo de quęstionibus secundum ordinem naturę, at verò ordine doctrinæ & perfectionis, composita quæstio perfectior est, vt puta, quia & propter quid, ex eo quia non de solo subiecto interrogat, sed de inhærentia prædicati ad suum subiectum.

Conclusio. Quatuor tantum sunt quæstiones scibiles quæ sunt æquales ijs quæ scimus.

Probatur. Omnis quæstio aut simplex est & non ponens in numerum, aut composita. Si primum, aut quærit de esse existentiæ rei simpliciter, & sic est quæstio an est, aut de esse essentiæ sicut quid est. Si verò secundum, aut quærit de inhærētia prædicati ad subiectū & sic est quæstio quia, vel quale est, aut de causa talis inhęrentiæ sicut propter quid.

Ad primum igitur dicendum distinguo Maiorem ex præcedente articulo, quæstio nihil aliud est nisi propositio dubitabilis, si sumatur cōmuniter, concedo: propriè, nego Maiorem. *Resp. ad I.*

Vel aliter. Distinguo Minorem, sed propositiones plures sunt q̃ 4. si sumantur in specie vel indiuiduo, concedo: in genere, nego, tot enim sunt genera quæstionum scibilium, quot sunt genera scibilium.

Ad secundum distinguo Maiorem. De omni prædicamento possunt esse diuersæ quæstiones, si sumatur quęstio communiter, concedo: propriè, nego. *Resp. ad II.*

dem propositio & est scibilis & opinabilis, sed diuersimodè: inquantum enim necessaria est, scibilis est, sed inquantum potest aliter se habere, opinabilis est, vt patet in hac propositione. Incorporalia non sunt in loco. Et hæc sufficiat dixisse de dubio præsenti imò & de toto Lib. 1. Poster. nam quomodò reliqui habitus intellectuales distinguantur à scientia, non est negotij præsentis disputare, sed potius hoc pertinet ad Theologos.

BENEDICTVS DEVS.

IN LI-

IN LIBRVM SECVNDVM POSTERIORVM ARISTOTELIS.

CAPVT PRIMVM.

De quæstionibus quotnam sint & de quo?

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Quæstiones sunt æquales numero his quæ verè scimus. Probatur.* De 4. tantum solemus quærere, scilicet. An est, quid est, quia vel quale est, & propter quid est. Ergò si 4. tantum sunt quæsita, 4. tantum erunt quæstiones. *Antecedens probatur. Primò* enim semper quærimus de aliquo si illud est, verbi gratia, si luna est, si homo est &c. *Quæstiones quatuor.*

Secundò. Quid est, vt quid est luna? quid est homo?

Tertiò quærimus quale est: hoc est, vtrum prædicatum insit subiecto, sicut vtrum luna ecclypsetur vel non? vtrum homo sit risibilis vel non &c.

Quartò tandem quęrimus propter quid prędicatum inest subiecto, vt propter quid ecclypsatur luna? & propter quid homo est risibilis?

Ex quo infero. Alias quęstiones esse simplices, vt si est, & quid est, & istæ non ponunt in numero. Alias verò compositas quę ponunt in numero, vt quale est, & propter quid est.

Secunda conclusio. Omnis quæstio est medij.

Probatur. Ideò enim aliquis quærit, vt sciat causam. Sed medium in omni demõstratione est causa passionis. Ergò omnis quæstio est quæstio medij. *Maior probatur*. Nam qui scit causam alicuius rei, non quærit, vt patet de ecclypsi lunæ, si enim essemus supra lunã quando ecclypsatur, nõ quereremus an sit ecclypsis, & quid sit, quia per sensum possemus cognoscere. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum tot sint quæstiones scibiles, quot sunt scita?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò*. Quælibet scientia est de conclusione: sed plures sunt conclusiones quam 4. Ergò etiam plures erunt scientiæ. *Tunc subsumo*: sed quælibet scientia, habet suas proprias quæstiones: ergò plures sunt questiones quam 4. & per cõsequens non est dicendum tot esse quæstiones verè scibiles, quot scita.

Argum. II. *Secundò*. Principia demonstrationis possunt esse scibilia, Sed nulla quæstio formatur de principijs. Ergò plura sunt scibilia quã quæstiones. *Maior probatur*. Propter principia demonstrationis scitur aliquid, hoc est, conclusio. Ergò multo magis ipsa principia, propter quod enim vnumquodque tale & illud magis. *Minor verò patet* ex his quæ diximus supra

in

in lib.1.cap.12 artic.5.quod Demonſtrator de ſola concluſione interrogat.

Tertiò. Si quæſtiones ſunt æquales ijs quæ ſcimus, ergo omnę quod eſt ſcibile eſt, & perconſequens fortuita & caſualia, impoſſibilia, entia per accidens, particularia, &c. erunt verè ſcibilia, quod eſt inconueniens: nam ſic multiplicarentur ſcientiæ in infinitum. *Conſequentia prob.* De quolibet enim iſtorum poteſt formari quæſtio, vt patet. **Argu. III.**

Reſpondeo. Quod poſtquam Ariſtoteles in præcedente libro determinauit de ſyllogiſmo demonſtratiuo definiendo ipſum, & diuidendo in ſuas ſpecies, & ſimiliter proprietates eius inueſtigando, nunc in hoc libro intendit determinare de principijs ſyllogiſmi demonſtratiui, & quoniam principia Demonſtrationis ſunt duplicia: aut enim eſt ipsũ medium demõſtrationis, aut verò propoſitiones quædã primę & immediatę: idcircò totus iſte liber in duas partes diuiditur, in quarum prima determinat Ariſtoteles quo pacto medium Demonſtrationis debeamus cognoſcere, ſed quia per medium deuenitur in cognitionem rei, quæ prius fuit ignota, & de qua erat quęſtio, oportebat etiã aliquid tractare de quęſtione, & hoc exequitur, cap.1. In ſecunda verò parte docet quo pacto cognoſcantur propoſitiones primę, & hoc incipiendo à cap.2. vſq; ad 13. quod eſt poſtremũ iuxta partitionẽ Domini Caietani. Quãtũ ergò ad præſentẽ difficulta- **Reſolutio.** ***Principia demõſtrationis duplicia.***

Pro cuius resolutione dico primò quod quæstio potest sumi dupliciter: vno modo communiter, & alio modo propriè.

Quæstio accipitur dupliciter.

Tunc sumitur quæstio communiter, quando accipitur pro omni propositione quæ cum signo interrogatiuo profertur, siue illa propositio sit necessaria, siue cõtigẽs, siue etiã impossibilis v.g. vtrũ paries sit albus vel nõ? vtrũ homo sit corporeus &c. & sic nõ loquimur in præsenti de quæstione.

Tunc accipitur quæstio propriè, quando significat propositionem necessariam tantũ, quę cũ signo interrogatiuo profertur, v.g. vtrum homo sit risibilis, vtrum equus sit animal &c. & sic potest definiri: quæstio nihil aliud est nisi motus dubitantis qui interrogat de aliquo vero, quam primum enim aliquis cognoscit propositionẽ aliquam esse veram, tunc videtur quodãmodò intellectus eius quiescere ac si perueniret ad terminum. Cæterũ quãdo nescitur, an propositio sit vera vel nõ, mouetur intellectus ad hoc vt addiscat, & iste motus est quæstio, quia interrogãdo mouetur, & de hac quæstione est sermo in præsenti.

Definitio Quæstionis.

Dico secundò quod scibile accipitur dupliciter, vno modo strictè & proprijssimè, & alio modo propriè tantum.

Scibile dupliciter accipitur.

Tunc scibile proprijssimè accipitur, quando cognoscitur per veram Demonstrationem, & huiusmodi est conclusio demonstratiua, vt iam multoties dixi, & hoc modo accipi-

cipiendo ſcibile, non ſeruit ad propoſitum, quia poſſunt eſſe in intellectu humano concluſiones quaſi infinitæ, ita quod intelligendo vnam poſſimus intelligere aliam & aliam, & per conſequens non ſunt tales concluſiones æquales quæſtionibus, vt patet.

Illud autem eſt ſcibile propriè, quod cognoſcitur in Demonſtratione actuali quocunque modo, ſiue formaliter, ſiue antecedenter, ſiue concomitanter, ſiue etiam elicitiuè: vnde concluſio eſt ſcibilis formaliter, ſed cauſa concluſionis concomitanter, quaſi conſequens ad ſcientiam concluſionis, & deinde quidditas & natura ſubiecti ſcitur elicitiuè: quia idem eſt propter quid concluſionis ſiue inhærentiæ Propoſitionis ad ſubiectum & quidditas ſubiecti. Quartum verò eſt ſcibile ſuppoſitiuè vel antecedenter, hoc eſt, ſubiectum, non enim cognoſcitur quid eſt, niſi præſciamus ſi eſt, & non entis vt ſic nulla eſt definitio. Pono exemplum: ſi quis argumentaretur in hac forma: Omne animal rationale eſt riſibile. Sed omnis homo eſt animal rationale. Ergò omnis homo eſt riſibilis. Tunc in hac Demonſtratione ſunt quatuor ſcibilia, vnum eſt, quod ſcitur formaliter, alterum quod ſcitur concomitanter, tertium elicitiuè, & tandem ſuppoſitiuè vel antecedenter: nã concluſio, ergò omnis homo eſt riſibilis, formaliter ſcitur, hoc

Scibile antecedẽter.

hoc est, per veram & proprijssimam scientiam, ita quod omnis scientia in rigore est solius cōclusionis, quia scire formaliter est rem cognoscere per causam, hoc est, conclusionem per præmissas.

Secundum verò est quod scitur concomitanter, vel vt ita dicam, consecutiuè ad conclusionem, & hoc nihil est aliud, nisi causa cōclusionis: nam postquam deprehendi quod omnis homo est risibilis, volo etiam scire propter quam causam, & dico in pręmissis, quia omnis homo est rationalis. Vnde hominem esse rationalem, scitur concomitanter, conuertitur enim risibile cum homine, & quælibet propria passio cum subiecto.

Tertium postea scibile in hoc syllogismo est eliciтiuè: si enim propter hanc causam homo risibilis est, quia rationalis, statim elicio & quasi tacitè perpendo, quod hominis quidditas sit esse rationalem, quia causa risibilitatis in homine debet esse quidditas & essentia hominis.

Vltimum verò est quod scitur antecedenter, & quasi suppositiuè, quia nimirum nec in præmissis continetur explicitè, nec in conclusione, sed antecedit præmissas & demonstrationem, & tale est, hominem esse in rerum natura, & sic de alijs.

Quatuor sunt scibilia.

Colligitur ergò quatuor esse scibilia in prædicta demonstratione, scilicet, quod homo est, & hoc antecedenter, deindè quod est rationalis,

lis,elicitiuè,tertiò quod eſt riſibilis, & hoc formaliter,quartò quod propter rationalitatem riſibilis,& hoc eſt ſcibile cõcomitanter,& ſic de primo ad vltimũ 4.tãtum debent eſſe quæſtiones in omni ſciẽtia,vt puta in Logica,Phyſica &c.ſi eſt ſubiectum,quid eſt,quale,& propter quid.

Cautè tamen hic aduerte: ne exiſtimes huiuſmodi doctrinam eſſe contrariam dictis in lib.1.vbi docuit Ariſtoteles,quod demõſtrator non interrogat de principijs,nã hoc vtiq; eſt verũ quod tãquã dubitãs nõ interrogat,nec propterea vt reſolutionẽ petat,quia principia sũt per ſe nota: ſed dico,quod demõſtrator abſolutè interrogat vt examinans,vult enim ſcire an addiſcens eiuſdem ſit opinionis.

Concluſio. Tot ſunt quæſtiones ſcibiles, quot ſunt ea quæ ſcimus,hoc eſt,certitudinaliter cognouimus.

Probatur. De omni eo quod eſt ſcibile poſſumus formare quæſtionem ſcibilem. Ergò tot ſunt quæſtiones,quot ea quæ ſcimus. Cõſequentia eſt manifeſta ex his quæ dicta ſunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum: diſtinguo Maiorem , quælibet ſcientia eſt de concluſione, ſi ſumatur ſcientia proprijſſimè prout eſt cognitio rei per cauſam , concedo Maiorem , ſi ſumatur propriè, prout idem ſignificat quòd certa & euidens cognitio ſiue antecedenter ſiue elicitiuè,nego Maiorem.Vnde quęſtiones ſi ſumantur in genere ſunt æquales ijs quæ *Reſp. ad I.*

ſciun-

sciuntur in genere, sed non formaliter tantum & in specie, cuiusmodi est conclusio.

Resp ad II — *Ad secundum* nego Minorem, ad cuius probationem iam patet ex dictis, nam Demonstrator non interrogat de principijs vt dubitãs, sed solũ vt examinãs, & sic nõ accipimus in præsenti quæstionem cõmuniter, sed propriè.

Resp. ad III. — *Ad tertium* eodẽ modo est dicendum, nego enim conseq. ad cuius probationẽ distinguo assũptũ; de qualibet re potest formari quæstio cõmuniter sũpta, concedo: propriè, nego, nõ enim quęlibet res est scibilis demonstratiuè; nec quęlibet res est necessaria, vt patet.

ARTICVLVS II.

Vtrum quatuor tantum sint quæstiones?

Argum. I. — V*Idetur quod non. Primò.* Quæstio nihil est aliud, nisi propositio dubitabilis quæ cum signo interrogatiuo profertur; sed huiusmodi propositiones plures sunt quam quatuor, ergò & cætera. *Minor patet* ab experientia.

Argum. II. — *Secundò.* De omni prędicamẽto possunt formari diuersę quæstiones, vt puta quid est, quale est, quantum, vbi & cætera. Sed plura sunt Prędicamenta quam quatuor, ergò etiam plures erunt quæstiones. *Maior probatur*, nã accipio albedinẽ quæ est de genere qual. tunc de ista albedine. potest esse quæstio si est, quid est &c.

Resolutio. — *Respondeo.* Quod quia diximus in articulo præ-

pręcedente quæstionem in præsenti, esse propositionem necessariam quę cum signo quęsitiuo profertur, idcircò de sola propositione est quæstio, nã de termino simpliciter simplici nemo quærit, quia simplicia apprehẽduntur per primam operationem intellectus, in qua non est veritas nec falsitas.

Aduerte igitur: quod propositio duplex est, quædã de secũdo adiacẽte, & quędã de tertio. *Duplex propositio.*

Illa propositio est de secũdo adiacẽte, in qua nõ ponitur aliquod prędicatũ expresse sed tãtũ hęc particula verbalis, v.g. paries, albedo &c

Illa verò est de tertio adiacente, in qua verbum, Est, non ponitur loco prædicati, sed copulat subiectum cum prædicato & vocatur de adiacẽte tertio, quia vltra verbalẽ particulam est aliquid aliud, v.g. Paries est albus, Homo est animal.

Hoc ergo supposito, dico: quod loquendo de propositionibus quæ sunt de secundo adiacente, duas quæstiones sibi vendicant, si est, & quid est, verbi gratia, estne homo? quid est homo? si autem loquamur de illis quæ sunt de tertio, duas similiter quæstiones: quale est, vel quia est, & propter quid est, verbi gratia, vtrum homo sit risibilis, & propter quid homo est risibilis. Istę autem quęstiones cõueniunt quidem in aliquo, & in aliquo non conueniunt. *De secundo adiacente duæ sunt quæstiones.* Differunt.n.*primò*: quia quæstiones de secũdo adiacẽte sũt simplices, & nõ ponũt in numerũ. De tertio aũt ponũt in numerũ, & sũt cõpo- *Discrimen inter quæstiones.*

site,

site, nam quærendo an sit homo? vel quid est? non interrogo an habeat esse tale, vel tantum &c. sed simpliciter absque additione alicuius prædicati, licet videatur esse quædam complexio, sed re-verâ non est. In quæstionibus verò compositis de tertio adiacente, inuenitur connexio duorum, & non solum subiectum aut sola passio, ac proindè ponunt in numerũ, quia ponere in numerum, est quærere de adunatione seu connexione subiecti cum prædicato.

Differunt secundò: quia quęstiones simplices, & quæ non ponunt in numerum, quærunt de solo subiecto, si est, & quid est. At verò quia est, & propter quid, tenent se ex parte prædicati, nam per quęstionem quia, solemus quærere an prædicatum aliquod inhereat suo subiecto, sicut per quęstionem propter quid, ob quam causam inhæreat, v. g. propter quam causam risibilitas inhæret homini? &c.

Conueniẽtia harum quæstionũ.

Conueniunt autem omnes quæstiones in hoc, quia non sunt inter se disparatæ, sed habent essentialem quendam ordinem: quæstiones enim simplices priores sunt quam compositæ, & adhuc inter simplices prior est quęstio an est, quæ de existentia subiecti absolutè interrogat. Deinde sequitur quid est, & quęrit de quidditate ipsius subiecti. Inter compositas autem prima est: quia est, & interrogat de inhærentia pręedicati ad subiectum, hoc est, an passio insit suo proprio subiecto, verbi gratia,

an

an homo sit risibilis. Et tandem sequitur propter quid, vt dictum est. Et præsertim loquendo de quęstionibus secundum ordinem naturę, at verò ordine doctrinæ & perfectionis; composita quæstio perfectior est; vt puta, quia & propter quid, ex eo quia non de solo subiecto interrogat, sed de inhærentia prædicati ad suum subiectum.

Conclusio. Quatuor tantum sunt quæstiones scibiles, quæ sunt æquales ijs quæ scimus.

Probatur. Omnis quæstio aut simplex est & non ponens in numerum, aut composita. Si primum, aut quærit de esse existentiæ rei simpliciter; & sic est quæstio an est, aut de esse essentiæ sicut quid est. Si verò secundum, aut quærit de inhærētia prædicati ad subiectū & sic est quæstio quia, vel quale est, aut de causa talis inhęrentiæ sicut propter quid.

Ad primum igitur dicendum distinguo Maiorem ex præcedente articulo, quæstio nihil aliud est nisi propositio dubitabilis, si sumatur cōmuniter, concedo: propriè, nego Maiorem. *Resp. ad I.*

Vel aliter. Distinguo Minorem, sed propositiones plures sunt q̃ 4. si sumantur in specie vel indiuiduo, concedo: in genere, nego, tot enim sunt genera quæstionum scibilium, quot sunt genera scibilium.

Ad secundum distinguo Maiorem. De omni prædicamento possunt esse diuersæ quæstiones, si sumatur quęstio communiter, concedo: propriè, nego. *Resp. ad II.*

ARTICVLVS III.

Vtrum omnis quæstio scibilis sit quæstio medij?

Argum. I. VIdetur quod non. *Primò.* Medium est terminus simplex: sed non omnes quæstiones sũt simplices, ergò nõ omnis quæstio est questio medij. *Minor* patet ex articulo precedente. *Maior verò prob.* Nam mediũ in syllogismo demonstratiuo nihil aliud est nisi causa ipsius propriæ passionis, & maximè si est demonstratio propter quid, sed passio est aliquid vnũ & simplex, ergò & medium.

Argu. II. *Secundò.* De illo est quæstio quod principaliter intenditur, sed medium non intenditur principaliter in discursu demonstratiuo sed tantum conclusio, ergò non omnis quæstio est quæstio medij sed conclusionis. *Maior* patet ex definitione Demonstrationis posita ab Aristotele in libro precedente, vbi dixerat, Demonstrationem esse syllogismũ qui facit scire, hoc est, demõstratio est syllogismus faciẽs cõclusionem, quâ cognitâ appellamur scientes.

Argu. III. *Tertiò.* Subiectum Demonstrationis & scientie non est mediũ in demonstratione, sed dictum est in artic. precedẽte quod sunt nonnullæ quæstiones quæ se tenẽt ex parte subiecti, puta si est, & quid est, ergò non omnis questio est quæstio medij.

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam in artic. præcedente dictum est, de numero & sufficientia

quæsiuimus, restat modo inuestigare de quonam sit principaliter omnis quæstio, an de conclusione, an de subiecto Demonstrationis, an de medio, an de passione, vel etiam de principijs, nam ista omnia inueniuntur in demonstratione.

Vnde mediū dicatur.

Aduerte igitur quod hæc dictio Medium accipit deriuationem à mediatore, mediator autem ille vocatur, per quem aliquis habet se hoc vel illo modo, verbi gratia, si quis vellet obtinere quidpiā à Rege, & ad hoc vteretur aliquo Principe, tunc Princeps ille est mediator, quia per eum hoc vel illud obtinetur &c. ita ergò in proposito, demonstratio quælibet à priori nihil aliud intēdit quā ostendere quod propria passio dicitur de subiecto in cōclusione, medium autē ad hoc est quidditas & natura subiecti, quę est causa proxima passionis.

Duplex medij consideratio.

Dupliciter verò medium considerari potest, vno modo formaliter, & alio modo materialiter siue entitatiuè.

Formaliter.

Tunc sumitur medium formaliter, quando sumitur in ratione medij & prout est causa propter quam aliquid inest alteri, medium enim inter duo ad minus mediat, & illa coniungit adinuicem. Ratio ergo causæ, est ratio formalis medij, siue in essendo, siue in cognoscendo, verbi gratia, hominem esse rationalem, est causa in essendo risibilitatis, hominem verò esse risibilem, est causa rationalitatis in cognoscendo.

Materialiter. *Tunc autem* consideratur medium materialiter, quando accipitur pro ipsâ entitate, cui conuenit esse medium, verbi gratia, rationalitas est medium materialiter sumptum, quando consideratur pro ipsa entitate, cui conuenit esse medium, hoc est, prout est quædam forma hominis, quæ dat esse homini & actuat ipsum hominem, & est principium omnium operationum ipsius hominis. Et similiter risibilitas tunc consideratur vt medium materialiter, quando accipitur pro aptitudine naturali hominis ad ridendum.

Hoc igitur supposito: dico, quod omnes quæstiones quatuor, scilicet an est, quid est, quale est, & propter quid est, nihil aliud inquirunt, nisi de medio demonstrationis, differenter tamen: nã si accipimus medium demonstrationis formaliter, & vt habet rationem causæ, tunc vnica tantum de illo est quæstio, scilicet propter quid, nam dum interrogo, propter quid homo risibilis est? idem est ac si dicas, quę est causa risibilitatis in homine? & respondeo risibilitas. Ecce rationalitas est medium formaliter sumptum, quod respondet quæstioni, propter quid. Aliæ verò tres quęstiones, scilicet an est, quid est, & quale est, non quærunt de medio formaliter, & sub ratione medij vel causæ, sed tantum materialiter sumpto, hoc est, quærunt de illo ente & de illa re, quæ appellatur medium,

Quæ quæstiones sint de medio formaliter sumpto.

dium,

dium, non tamen ſub ratione medij vel cauſæ, & idcircò quærunt ſecundariò de medio. Pono exemplum, nam ſi accipias hunc ſyllogiſmũ, Omne animal rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt animal rationale, ergò omnis homo eſt riſibilis: tunc in hoc ſyllogiſmo vt dictum eſt ſæpius, 4. ſunt-ſcibilia & quatuor etiam quæſtiones: nam poteſt eſſe primò quæſtio, an eſt ſubiectum huius demonſtrationis, ſcilicet homo, & dico quod homo exiſtens antecedit hanc ſcientiam & Demonſtrationem. Deinde poteſt eſſe quæſtio, quid eſt homo, & dico in minore propoſitione, omnis homo eſt animal rationale. Tertiò qualis eſt homo, & dico in concluſione, omnis homo eſt riſibilis. Vltimò propter quid eſt riſibilis, & dico in eadem minori propoſitione ſumptâ cauſaliter & vt eſt medium, quia homo eſt rationalis. Vnde omnes iſtæ quæſtiones quas hic feci, ſunt de medio demonſtrationis, ſcilicet de rationalitate hominis, tamen diuerſimodè: nam quæſtio propter quid interrogat de rationali vt eſt formaliter medium, & cauſa riſibilitatis in cõcluſione: quæſtio verò quale eſt principaliter ſeu formaliter interrogat de riſibilitate, ſed ſecundariò de rationali materialiter ſumpto, quia riſibilitas habet pro ſua radice & materia rationalitatem: ſimiliter quæſtio quid eſt formaliter interrogat de rationalitate materialiter ſeu entitatiuè cõſiderata, hoc eſt, prout eſt quædam forma quæ conſtituit ipſum ho-

hominem in esse essentiali hominis. Postrema tandem quæstio est An est, & ista de existentia hominis formaliter interrogat, sed secundariò de rationalitate materialiter, quia rationalitas dat existentiam homini vt postea in Physicis Deo iuuante dicemus. Et hæc doctrina est maximè notanda, nam potest applicari nõ modò ad Demonstrationem, verumetiam ad omnes scientias speculatiuas, verbi gratia, ad Logicam, Physicam &c. Accipe enim scientiam Logicam, tunc in hac scientia inueniuntur istæ 4. quęstiones, & quęlibet earum est de medio, obiectum enim Logicę est ens rationis & eius passiones sunt dicibilitas, oppositio &c. & medium per quod deuenimus in cognitionem harum proprietatum logicalium est definitio entis rationis, sicut medium ad cognoscendam risibilitatem est definitio hominis. Est autem ens rationis relatio quædam rationis quæ consequitur ad res existentes in intellectu per quamcunque operationem intellectus. Vnde si istud medium est in scientia & Demonstratione logica, procul dubio omnes quæstiones logicæ sunt de huiusmodi relationibus rationis, sicut de rationali diximus, licet etiam hoc fiat diuersimodè: nam quæstio Propter quid, interrogat de isto medio formaliter, verbi gratia, propter quid ens rationis est prædicabile de multis? vel propter quid prædicabilia multis cõueniũt? Respõdebis, quia sunt quędã rela-

Doctrina de quæstionib. omnibus scientijs inseruit.

Quomodo quatuor quæstiones in Logica inueniuntur.

relationes rationis &c. aliæ verò quæstiones interrogant de hoc medio materialiter sumpto, & quatenus eſt relatio rationis in ſe conſiderata, & non vt cauſa ad cognoſcendas & inferendas concluſiones, nam quæſtio quale eſt ens rationis, genus, vel prædicamentum, prædicabile, vel non, affirmatiuum vel negatiuũ? &c. interrrogat principaliter de concluſione logica, ſecundariò verò de relatione rationis, quæ eſt mediũ materialiter, & vt eſt relatio, non verò vt cauſa: ſimiliter quid eſt ens rationis, hoc eſt, genus vel argumentatio & cætera, interrogat de eadem relatione rationis, non tamen formaliter, & prout eſt medium, ſed in quantum eſt forma & definitio ipſius entis rationis. Poſtrema verò quæſtio eſt, an ſit ens rationis & hæc ſupponitur ante demõſtrationẽ & ſecundariò interrogat de relatione rationis materialiter etiã ſumpta, vnde ẽs rationis eſt obiectiuè in intellectu, vt iam multoties dictum eſt.

Concluſio. Omnis quæſtio ſcibilis eſt quæſtio medij.

Probatur. Nam omnis quæſtio ſcibilis interrogat de cauſa, ſcire enim eſt rem per cauſam cognoſcere, ſed cauſa quæ facit ſcire demonſtratiuè, nulla alia eſt niſi medium Demonſtrationis, ergò omnis quęſtio ſcibilis eſt quæſtio medij. *Maior* videtur vera, quia etiamſi accipiam⁹ quæſt. an eſt quę õninò dicitur ſimplex, tũc etiã in hac q̃ſtione sẽſus eſt huiuſmodi, an res habeat aliquã causã ꝑ quã exiſtat &c.

Resp.ad I. *Ad primum igitur dicendum* distinguo conse-quentiã, ergò non omnis quæstio est quæstio medij, formaliter & quatenus medium est causa, concedo, materialiter & quatenus est res, nego.

Resp. ad II *Ad secundum* distinguo Minorem, sed medium non intenditur principaliter in discursu demonstratiuo, non intenditur vt quod, concedo Minorẽ: vt quo, nego: nõ enim quæstio medij est quæstio principaliter intenta, sed quia per mediũ intẽditur aliquid principaliter, hoc est, conclusio.

Resp. ad III. *Ad tertium* distinguo similiter consequentiã, vt ad primum dictum est.

CAPVT II. III. ET. IV.

Quod definitio non potest demonstrari.

SVMMA TEXTVS.

P*Rima conclusio. Scire per definitionem & scire per Demonstrationem non sunt idem, ac proindè Definitio & Demonstratio diuersa significant.*

Ratio I. *Probatur primò.* Omne quod definitur est aliquid vniuersale, & affirmatiuum, sed non omne quod scitur per demonstrationem est affirmatiuum & vniuersale, ergo scire per demonstrationem & scire per definitionem nõ sunt idem. *Maior est euidens*: quia nihil definitur nisi species, species autem est aliquid

vni-

vniuersale. *Minor verò probatur.* Nam potest aliquis conficere syllogismum demonstratiuum in tertia & secunda figura, & tamen ibi nõ erit conclusio vniuersalis affirmatiua: nã in secunda, omnes conclusiones sunt negatiuę, & in tertia, omnes particulares.

Secundò probatur. Modus sciendi per definitionem & modus sciendi per Demonstrationem sunt instrumenta longè diuersa, quibus intellectus acquirit scientiam. Ergò scire per definitionem & demonstrationem non sunt idem. *Antecedens patet.* Tum quia cognoscere definiendo, est cognoscere sine discursu, cognoscere verò demonstrando est demonstratiuè discurrere, vt patet *Ratio II.*

Secunda conclusio. Definitio inquantum definitio non potest demonstrari de suo definito.

Probatur. Nam si definitio posset demonstrari de suo definito, ergò hoc erit vel per viã diuisionis vel per inductionem, aut etiam per sensum. Sed nullum ex his potest dici. Ergò definitio inquantum definitio nõ potest probari. *Minor probatur.* Non per viam diuisionis: nam sic ad probandum quod homo est animal rationale, duo deberent esse processus. v. g. omne animal aut est rationale, aut irrationale: sed homo est animal: ergò vel est rationale vel irrationale. *Tunc vltra:* Homo est animal rationale vel irrationale: sed nõ est animal irrationale ergò homo est animal rationale. Vbi secundus processus non est syllogisticus sed

hypotheticus à destructione vnius partis ad alterã partẽ. Deinde, nõ potest probari per inductionẽ, quia inductio solet fieri ex particularibus & ex ijs quę sunt in sensu, sed definitio nõ est nota sensui, quia sensus nihil cognoscit nisi accidentia, ergò definitio non potest probari de suo definito per inductionem vel per sensum. Et hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum vnius & eiusdem rei possit esse Definitio & Demonstratio?

Argum. I. *Videtur quod sic. Primò.* In qualibet Demonstratione nihil aliud scitur propriè & in rigore nisi passio quæ prædicatur de subiecto in conclusione: sed hæc eademque passio potest per se definiri: ergò vnius & eiusdem rei potest esse definitio & Demonstratio. *Maior est certa* ex definitione scientiæ: nam scire est rem per causam cognoscere, hoc est, propriam passionem per definitionem & naturã ipsius subiecti. *Minor* verò patet ex libr. 1. vbi dixerat Aristotel. quod inter alia præcognita, quæ cõducunt ad habẽdã demõstrationem, est etiam passio de qua præcognoscitur quid est, hoc est, definitio, ergò exinde apparet quod passio definitur & scitur.

Argum. II. *Secundò.* Idem est definibile & demonstrabile, ergo eiusdem est definitio & Demonstratio, *Antecedens probatur.* Nam Deus est definibilis, vt ait Arist. Lib. 12. Metaph. vbi definiendo Deum

Deum ait. Deus est ens optimum quo melius excogitari non potest. Sed idem Deus est demonstrabilis vt Aristot. in eodem Lib. 12. & in octauo Phys. testatur, vbi demonstrat quod primus motor sit, ergo idem est definibile & demonstrabile.

Tertiò. Risibilitas potest demonstrari de homine, sed eadem potest definiri, ergò vnius & eiusdem potest esse definitio & demonstratio. *Minor prob.* Nam risibilitas nihil aliud est nisi aptitudo hominis ad ridendum. *Argu. III.*

Respondeo. Quod ab hoc cap. incipit Aristoteles determinare de principijs demõstrationis, quo pacto à nobis cognoscantur: quantũ verò attinet ad præsentem difficultatem sciẽdum est: quod dupliciter aliquid scitur per demonstrationem: vno modo vt passio, alio modo vt conclusio, nam vtrumque ex his est id quod scitur, verbi gratia, dicendo. Omne animal rationale est risibile. Sed omnis homo est animal rationale. Ergò omnis homo est risibilis: nam per istam demonstrationẽ duo sciuntur, primũ est ipsa conclusio, & postea passio, h. e. risibilitas, nam exinde cognosco per hanc demonstrationẽ quod risibilitas est passio hominis, quia est passio animalis rationalis, non eodem tamen modo duo hęc sciuntur: nã passio eatenus demõstratur quia inest subiecto in cõclusione, & deinde affirmatiuè dicitur, cõclusio vero quia terminat processũ demõstratiuũ & infertur ex pręmissis demonstrationis. *Resolutio.* *Per Demonstrationẽ dupliciter aliquid scitur.*

Præ-

Præterea est aliud discrimen, quia passio scitur vt quid incomplexum, non autem conclusio.

Sensus quæsiti. Ex quo sensus *primus* dubij præsentis sic potest formari, quãdo enim quæritur, Vtrũ vni⁹ & eiusdem rei possit esse definitio & demonstratio? idem est ac si dicas, vtrum id quod scitur de aliquo per definitionem, possit etiam cognosci per demõstrationem? verbi gratia, scimus de homine per definitionem quod sit animal rationale, & per demonstrationem quod sit risibilis, vtrũ ergò animal rationale, quod definitiuè scitur de homine, possit de eodem sciri demonstratiuè? & hoc modo explicando dubium, non est ad propositum: manifestum est enim, quod definitio, hoc est, animal rationale est medium & causa ad demonstrandam passionem hominis de homine, scilicet quod homo sit risibilis.

Alter verò sensus potest esse talis: vtrum sub eadem ratione formali cognoscatur aliquid dum definitur, sub qua cognoscitur per demonstrationem?

Dico igitur: quod licet demonstratio attingat rem seu obiectum quod scitur, & similiter definitio rem definitam, hoc tamen fit sub ratione diuersa: Demonstratio enim quælibet pertingit ad suum obiectum sub hac formalitate, quia de illo concluditur propria passio, & per consequens finis demõstrationis est ostendere per discursum necessarium quod de aliquo subiecto determinato dicatur aliqua passio,

tio, & illi inhæreat. Cæterũ definitio attingit obiectum non quatenus illi aliquid inhæret, sed secundum se consideratum, verbi gratia, animal rationale attingit hominem, non quatenus est albus vel aliquid simile: sed in quantum homo.

Conclusio. Impossibile est eandem rem posse definiri & demonstrari.

Probatur. Definitio est principium demonstrationis, sed principia sunt indemõstrabilia, ergò non cuiuscunque est definitio, est demõstratio. *Minor patet*: quia principium demonstrationis est propositio immediata quâ non est altera prior.

Ad primum igitur dicendum: distinguo Minorem: sed hæc eademque passio potest per se definiri, eadem materialiter, concedo Minorẽ: eadem formaliter, nego, non enim sub eâdem ratione formali passio definitur sub qua ratione demonstratur, demonstratur enim vt prædicatum inhærens alteri cum quadam complexione: definitur autem simpliciter & sine complexione, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum: distinguo similiter anteced. idem est definibile & demonstrabile, sub eâdem ratione formali, nego antecedens: sub diuersis, concedo antecedens: & hoc intendit eius probatio. *Resp. ad II*

Ad tertium: distinguo Minorem, sicut ad primum. *Resp. ad III.*

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio possit demonstrari de suo definito?

Argum. I. V*Idetur quod sic. Primò.* Definitiones habēt suas causas, ergò possunt demonstrari de suis definitis. Conseq. videtur esse manifesta ex eo, quia demonstratio quælibet procedit ex causa siue in essendo siue in cognoscendo. *Antecedens verò probatur* ex illo axiomate communi, quo dicitur: quod omne aliud à Deo habet causam.

Argu. II. *Secundò.* Benè potest vna definitio demonstrari per aliam, ergo oppositum non est asserendum. *Anteced. prob.* nam ipsemet Aristoteles in secundo Libro de anima probat demonstrationem quod vna definitio animæ conueniat ipsi animæ, & hoc probat per aliā definitionem v. g. Anima est actus corporis physici &c. Ergo anima est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.

Argu. IV. *Tertiò* Authoritate eiusdem Aristotelis, qui docet inferius in hoc Libro, quòd per viam diuisionis potest aliquis inuestigare definitionem alicuius rei & eandem examinare.

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam in Articulo præcedente determinauimus ex Aristotele maximum esse discrimen inter ista duo, scilicet, inter Demonstrationem & definitionem quia

quia diuersâ ratione attingunt sua obiecta, idcirco nunc restat inquirere, an etiam possit in aliquo casu definitio demonstrari de suo definito, v.g. Vtrum si negaretur alicui, quod animal rationale sit definitio hominis, ille posset hanc definitionem ostendere per aliam Demonstrationem? &c.

Quid sit Definitio.

Aduerte igitur: quod definitio nihil aliud est nisi oratio quæ ostendit quidditatem & naturam alicuius rei, verbi gratia, animal rationale, est definitio hominis, quia explicat naturam intrinsecam hominis &c. Sed quoniam in conclusione demonstratiua duæ potissimum inueniuntur naturæ, scilic. subiectum & propria passio, idcirco duplex etiam in Demonstratione potest esse definitio: quædam est definitio subiecti & quædam passionis. *Illa* est definitio subiecti, quæ explicat naturam & essentiam quam habet intra se ipsum subiectum. *Illa* autem est definitio passionis, quæ explicat naturam & essentiam quam habet passio, verbi gratia, hæc conclusio est demonstratiua: ergò omnis homo est risibilis, in qua duo sunt entia realiter distincta, tanquam substantia & accidens, scilicet, homo & risibile, & quidem ista duo habent suas definitiones speciales, nam aliter definitur homo, & aliter risibile, est enim homo animal rationale, & risibile aptitudo naturalis hominis ad ridendum: quando

Duplex in demonstratione definitio.

ergò

ergò disputat Aristoteles in præsenti: vtrum definitio possit demonstrari de suo definito? non loquitur de definitione propriæ passionis respectu subiecti, hoc est, non debet intelligi, an definitio risibilitatis possit demonstratiuè probari de homine, certum est enim, quod potest propter hanc causam; quia definitio passionis & propria passio non sunt res distinctæ abinuicem, sed sunt idem conuertibiliter, ac proindè sicut propria passio demonstratur in conclusione de suo subiecto; ita similiter definitio ipsius: potest demonstrari, nam qui dicit quod homo est risibilis, idem est ac si diceret, quod homo habet inclinationem naturalem ad ridendum.

Cæterum si loquamur de definitione subiecti, tunc de illa præsens difficultas inquirit:

Definitio incompleta potest per aliam definitionem demonstrari.

Dico igitur: quod si definitio subiecti fuerit incompleta & imperfecta, tunc potest demõstrari per aliam definitionem eiusdem subiecti magis perfectam, possunt enim vnius & eiusdem rei esse plurimæ definitiones incompletę, quarum vna datur per causam materialem, & altera per causam formalem, verbi gratia, homo potest definiri hoc pacto. Est substantia animata, sensibilis: sed hęc definitio nõ est completa, quia tantum ponitur materiale hominis, nempe animal, quod est genus tantum, at verò dicendo, homo est animal rationale, est definitio completa ex genere & differentia, & non ex solo genere, & ex materiali & forma-

li, non autem ex materiali tantum, ac proinde loquendo de his definitionibus potest vna demonstrari de suo definito per alteram magis perfectam & notiorē, v. g. commodè potest probari hominem esse substātiam animatam, sensibilem, per hoc quia est animal rationale: nec sequitur aliquod inconueniens, vt omnes tenentur admittere, si autem loquamur de definitione subiecti completa & perfecta prout constat ex genere & differentia, impossibile est quod definitio in quantum definitio possit demonstrari de suo definito. Et hoc ita deducitur: nam si definitio inquantum est definitio completa & perfecta demonstratur de suo subiecto, certè & præmissæ propositiones in tali syllogismo deberent continere definitionem completam & perfectam eiusdem subiecti, nam si continerent incompletam, vel etiā effectum nō demonstraretur definitio in quātum est definitio, quia ex medio non in quantum est definitio non potest probari de subiecto definitio inquantum definitio, sed ex medio inquantum definitio, & consequenter erit petitio principij: si enim ad probandum quod animal rationale sit definitio hominis, acciperetur definitio hominis inquantum est animal tantum, quæ est incompleta & imperfecta, non erit sufficiens Demonstratio, sed dabitur in processu vniuersali aliqua præmissa falsa.

Definitio completa nō potest demōstrari de definito.

Conclusio, Impossibile est quod definitio cōpleta & per-

perfecta posit demonstratiuè probari de suo definito.
Probatur: Tum authoritate Philosophi, tū etiā ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum*, distinguo antecedens: definitiones habent suas proprias causas, si sunt incompletæ, concedo antecedens, & præsertim loquendo de causis formalibus: completæ, nego anteced. & licet Deus sit causa vniuersalis respectu quidditatis & nat. creatæ, non tamen formaliter intrinseca, quod requirebatur ad propositum dubij.

Resp. ad II *Ad secundum* distinguo antecedens, benè potest probari vna definitio per aliam, si illa fuerit definitio incompleta & imperfecta, concedo antecedens: completa & perfecta, nego antecedens, ad cuius probationem *Dico* quod Aristot. secundo de Anima probat definitionē materialem, scilicet, Anima est actus corporis physici & cætera. per definitionem formalem, scilic. est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.

Resp. ad III. *Ad tertium dico.* Quod argumētū hoc postulat aliam difficultatem, pro qua sit

ARTICVLVS III.

Vtrum definitio posit demonstrari de suo desinito per viam diuisionis?

Argum. I. VIdetur quod sic. Primò. Iste syllogismus est bonus. Omne animal est rationale vel irrationale. Sed homo non est animal irratio-

tionale. Ergò homo est animal rationale, sed in hoc discursu probatur definitio hominis de homine per syllogismum diuisiuũ. Ergò definitio potest probari de suo definito per viam diuisionis.

Secũdò. Quælibet definitio præsertim completa & perfecta constat ex genere & differentia, sed hæc duo, scilicet, genus & differentia possunt inuestigari per viam diuisionis, ergò quælibet definitio completa potest probari diuisiuè de suo definito. *Minor* colligitur ex Aristotele multis in locis, & præcipuè in secundo de Anima. vbi inuestigat definitionem animę modo prædicto, similiter in hoc Libro docebit paulo inferi⁹, quod per viã diuisionis facilè põt quispiã inuestigare definitionẽ rei.

Respondeo. Quod processus diuisiuus potest esse duplex. Vnus est syllogisticus & alter non syllogisticus. *Resolutio.*

Ille processus diuisiuus vocatur syllogisticus, in quo inuenitur pur⁹ syllogismus, ita dispositus quod illud cõmune quod diuiditur est pro medio, differentiæ autem seu membra ipsius naturæ communis disiunctim sumpta concluduntur de aliquo subiecto, quod tamen subiectum est quid inferius sub illo communi v.g. si quis formaret hũc processũ: Omne animal vel est rationale vel irrationale: sed homo est animal: ergo omnis homo vel est rationalis vel irrationalis: vbi mediũ est ille termin⁹ cõmunis, animal, & diuid. in suas differẽtias, sci- *Duplex processus diuisiuus.* *Syllogisticus.*

licet rationale & irrationale, & tandem huiuſmodi differentiæ concluduntur de homine diſiunctim conſideratæ, vt patet:

Non ſyllogiſticus.

Proceſſus autem diuiſiuus non ſyllogiſticus eſt, in quo ponitur ille diſcurſus prior, addēdo illi alterum, qui non infert duas ſimul differentias diſiunctim ſumptas, ſed vnam partem cum deſtructione alterius, v.g. ſi ego formarē ſyllogiſmum iam poſitum ex integro, & adderem illi aliquid vlterius, dicendo, ſed homo non eſt irrationalis, ergò homo eſt animal rationale. Vnde diſcurſus diuiſiuus non ſortitur ſuum propoſitum aut concluſionem in priori proceſſu, ſed tantum in poſteriori, & cōſequēter ſi aliquid concludit ſyllogiſticè, non concludit ad ſuum finem intentum, ſed oportet vt prius fiat quædam interiectio ſeu mora, vt dictum eſt. Vnde colligitur definitionem non poſſe demonſtrari de ſuo definito per viam diuiſionis ſyllogiſticè, de qua loquitur Ariſtoteles: quia definitio quælibet debet eſſe continua, ſiue enim accipias definitionem metaphyſicam, quæ conſtat ex genere & differentia, ſiue definitionem phyſicam quæ conſtat ex materia & forma, nō datur medium inter genus proximum & differentiam, inter materiā & formam, inter definitum & definitionem, ac proinde non poſſumus dicere, quod homo eſt, & animal rationale, ſed homo eſt animal rationale, quod tamen in prædicto diſcurſu ſyllogiſt. non prob. ſed ſolū petitur & queritur.

Definitio nō poteſt demōſtrari per viā diuiſionis ſyllogiſticè.

Con-

Conclusio. Definitio non potest demonstrari de suo definito per viam diuisionis.

Probatur. Si definitio posset demonstrari de suo definito per viam diuisionis, sequeretur quod conclusio in huiusmodi processu sequeretur ex præmissis necessariò, quod tamen est falsum vt apparet in exemplo adducto in corpore: nam postrema conclusio, scilicet, Ergò homo est rationalis, non infertur necessariò à priori, neque enim propter hanc causam homo rationalis est, quia non est irrationalis, sed è conuerso, quia homo rationalis est, nõ est irrationalis, nam esse irrationalem non est forma hominis, vt patet ad sensum.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem quæ subsumitur, sed in hoc discursu probatur definitio hominis de homine, quantum ad vim probatiuam absolutè, nego Minorem, quantum ad vim illatiuam conclusionis, concedo Minorem: habet enim discursus ille necessitatem consequentiæ secundũ Leges Sũmularum à disiunctiua ad alteram partem cũ destructione vnius partis, vim tamen probatiuam non habet, quia committitur petitio principij, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem ad cuius probationem admitto authoritatem primam & explico illam, iuxta modum quo explicata est in articulo præcedente ad secundum. Ad secũdã vero authoritatẽ, eodẽ modo est dicẽdum, nam licet per viam diuisionis possit facilè in- *Resp. ad II.*

uestigari definitio alicuius rei quātum ad vim illatiuam, non tamen probatiuam vt dixi.

CAPVT V. VI. ET VII.

Quomodo Definitio se habeat ad Demonstrationem.

SVMMA TEXTVS.

P*Rima conclusio. Definitio non potest probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuū, assumendo nimirum definitionem definitionis pro medio.*

Probatur. Si definitio posset probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuū. Ergò aut in illo altero syllogismo esset definitio ipsius definitionis, aut eius quod contrariatur definitioni, sed nullum ex his potest dici. Ergò nullo modo definitio potest probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuum. *Minor quo ad primam partem scilicet, quod non potest esse pro medio altera definitio definitionis. Probatur*. Supponendo in primis syllogismum definitiuum, per quem probatur, quod animal rationale est definitio hominis, sic: illa est definitio alicuius rei quę constat ex genere proximo & differentia specifica, sed animal rationale respectu hominis sic se habet, ergò animal rationale est definitio hominis. *Tunc argumentor*: In hoc syllogismo definitiuo

est

est petitio principij. Ergò talis syllogismus est ſinè inutilis. *Antecedens probatur.* Nam idem eodem probatur, & res significata per terminos conclusionis, nõ est quid diuersum à rebus significatis per terminos principiorum, si quis enim negaret hanc: scilicet, quod animal rationale est definitio hominis, negabit consequenter principium, quòd animal rationale habet se tanquam genus & differentia respectu hominis, ac proindè talis probatio non est licita.

Secunda verò pars conclusionis, probatur: scilicet, quod nõ põt probari definitio de suo definito per viã oppositionis, accipiẽdo pro medio definitionẽ oppositi. Nã si definitio aliqua posset hoc modo probari de suo definito, sequitur idem inconueniens quod prius, & esset petitio principij quam reijciunt Scholastici tanquam inutilem. *Consequentia prob.* Si quis enim formaret hũc syllogismum. Esse diuisibile & esse indiuisibile sunt diuersæ definitiones, sed esse diuisibile est definitio mali. Ergò esse indiuisibile est definitio boni. *Tunc sic argumentor:* In hoc syllogismo est etiam petitio principij, sicut in primo. Ergò similiter est inutilis. *Antec. probatur.* Nã idem probatur eodem, vt dictum est.

Secunda conclusio. Nullo modo potest efficaciter probari definitio inquantum definitio de suo definito.

Probatur, Neque per viam oppositionis &

cōtrarietatis, neq; per sensum aut inductionē, vt patet ex prædictis, ergò à sufficiēti diuisione nullo modo probatur,

Tertia conclusio. Potest tamen in aliquibus definitio probari de suo definito.

Probatur. Definitio materialis potest syllogisticè probari per suam formalē, ergò in hoc casu nullum sequitur inconueniens. *Antecedens patet* ex secundo de anima; vbi definitio per causam materialem probatur per aliam incōpletam quæ datur per causam formalem. Hęc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum definitio posſit demonstrari de suo definito assumendo definitionem definitionis pro medio.

Argum. I. VIdetur quod sic. Primò. Si quis vellet probare quod animal rationale est definitio hominis, conuenienter procederet dicendo. Ad hoc vt aliqua definitio sit bona, requiritur vt constet ex genere & differentia specifica, sed animal rationale est quid compositum ex genere & differentia specifica hominis, ergò animal rationale est definitio hominis. Imò possunt hic ea adduci quæ per totū fermè librum Porphyrij dicta sunt, ibi enim quando percōtabamur cum Philosophis de aliquo Prædicabili, an definitio illius sit conueniens, sæpè cōtendimus hoc probare quasi demonstratiuè di-

cêdo. Illa definitio est bona quæ explicat naturã definiti, & distinguit ipsum ab omni alio, sed definitio generis, speciei &c. est huiusmodi, ergò est conueniens & hoc est contra præsentem doctrinam.

Secundò. Hæc consequentia est bona per locum à definitione vt dicunt Dialectici. Definitio nihil aliud est nisi oratio quæ indicat per essentialia prædicata quid sit esse rei, sed animal rationale, est oratio indicans per essentialia prædicata quid sit esse hominis, ergò animal rationale est definitio hominis. *Argum. II.*

Tertiò. Si definitio non posset probari de suo definito assumendo definitionem definitionis pro medio, ergò definitio definitionis est frustrà, sed hoc est inconueniens, ergò & primum. *Sequela prob.* Nam si definitio definitionis non est frustrà, ergo deseruit ad cognitionem ipsius definitionis, ergò potest esse causa & ratio, per quam cognoscitur definitio, ergò potest esse medium. *Argu. III.*

Respondeo. Quod, vt iam sæpius dictum est, definitio sumpta in communi nihil est aliud nisi oratio explicatiua naturæ alicuius entis. Et quoniam dupliciter aliquid est ens, aut enim est ens entitate nominis, quod habet esse secundum nomen tantum, aut est ens entitate rei, quod habet esse secundum rem: idcircò duplex etiam potest esse definitio: quædam enim est definitio rei & quædam nominis, siue vt Aristoteles loquitur, quoddam est quid *Resolutio.* *Dupliciter aliquid est ens.*

ergò disputat Aristoteles in præsenti: vtrum definitio poßit demonstrari de suo definito? non loquitur de definitione propriæ passionis respectu subiecti, hoc est, non debet intelligi, an definitio risibilitatis poßit demonstratiuè probari de homine, certum est enim, quod potest propter hanc causam; quia definitio passionis & propria passio non sunt res distinctæ abinuicem, sed sunt idem conuertibiliter, ac proindè sicut propria passio demonstratur in conclusione de suo subiecto, ita similiter definitio ipsius: potest demonstrari. nam qui dicit quod homo est risibilis, idem est ac si diceret, quod homo habet inclinationem naturalem ad ridendum.

Cæterum si loquamur de definitione subiecti, tunc de illa præsens difficultas inquirit:

Definitio incompleta potest per aliam definitionem demonstrari.

Dico igitur: quod si definitio subiecti fuerit incompleta & imperfecta, tunc potest demōstrari per aliam definitionem eiusdem subiecti magis perfectam, possunt enim vnius & eiusdem rei esse plurimæ definitiones incompletę, quarum vna datur per causam materialem, & altera per causam formalem, verbi gratia, homo potest definiri hoc pacto. Est substantia animata, sensibilis: sed hęc definitio nō est completa, quia tantum ponitur materiale hominis, nempe animal, quod est genus tantum, at verò dicendo, homo est animal rationale, est definitio completa ex genere & differentia, & non ex solo genere, & ex materiali & forma-

li, non autem ex materiali tantum, ac proinde loquendo de his definitionibus potest vna demonstrari de suo definito per alteram magis perfectam & notiorē, v. g. commodè potest probari hominem esse substātiam animatam, sensibilem, per hoc quia est animal rationale: nec sequitur aliquod inconueniens, vt omnes tenentur admittere, si autem loquamur de definitione subiecti completa & perfecta prout constat ex genere & differentia, impossibile est quod definitio in quantum definitio possit demonstrari de suo definito. Et hoc ita deducitur: nam si definitio inquantum est definitio completa & perfecta demonstratur de suo subiecto, certè & præmissæ propositiones in tali syllogismo deberent continere definitionem completam & perfectam eiusdem subiecti, nam si continerent incompletam, vel etiā effectum nō demonstraretur definitio in quātum est definitio, quia ex medio non in quantum est definitio non potest probari de subiecto definitio inquantum definitio, sed ex medio inquantum definitio, & consequenter erit petitio principij: si enim ad probandum quod animal rationale sit definitio hominis, acciperetur definitio hominis inquantum est animal tantum, quæ est incompleta & imperfecta, non erit sufficiens Demonstratio, sed dabitur in processu vniuersali aliqua præmissa falsa.

Definitio completa nō potest demōstrari de definito.

Conclusio, Impossibile est quod definitio cōpleta & per-

perfecta posit demonstrative probari de suo definito, *Probatur.* Tum authoritate Philosophi, tũ etiã ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum,* distinguo antecedens: definitiones habent suas proprias causas, si sunt incompletæ, concedo antecedens, & præsertim loquendo de causis formalibus: completæ, nego anteced. & licet Deus sit causa vniuersalis respectu quidditatis & nat. creatæ, non tamen formaliter intrinseca, quod requirebatur ad propositum dubij.

Resp. ad II *Ad secundum* distinguo antecedens, benè potest probari vna definitio per aliam, si illa fuerit definitio incompleta & imperfecta, concedo antecedens: completa & perfecta, nego antecedens, ad cuius probationem *Dico* quod Aristot. secundo de Anima probat definitionẽ materialem, scilicet, Anima est actus corporis physici & cætera. per definitionem formalem, scilic. est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus.

Resp. ad III. *Ad tertium dico.* Quod argumẽtũ hoc postulat aliam difficultatem, pro qua sit

ARTICVLVS III.

Vtrum definitio posit demonstrari de suo definito per viam diuisionis?

Argum. I. VIdetur quod sic. *Primò.* Iste syllogismus est bonus. Omne animal est rationale vel irrationale. Sed homo non est animal irratio-

tionale. Ergo homo est animal rationale, sed in hoc discursu probatur definitio hominis de homine per syllogismum diuisiuũ. Ergo definitio potest probari de suo definito per viam diuisionis.

Secũdò. Quælibet definitio præsertim completa & perfecta constat ex genere & differentia, sed hæc duo, scilicet, genus & differentia possunt inuestigari per viam diuisionis, ergò quælibet definitio completa potest probari diuisiuè de suo definito. *Minor* colligitur ex Aristotele multis in locis, & præcipuè in secundo de Anima. vbi inuestigat definitionem animę modo prædicto, similiter in hoc Libro docebit paulo inferi⁹, quod per viã diuisionis facilè põt quispiã inuestigare definitionẽ rei.

Respondeo. Quod processus diuisiuus potest esse duplex. Vnus est syllogisticus & alter non syllogisticus. *Resolutio.*

Ille processus diuisiuus vocatur syllogisticus, in quo inuenitur pur⁹ syllogismus, ita dispositus quod illud cõmune quod diuiditur est pro medio, differentiæ autem seu membra ipsius naturæ communis disiunctim sumpta concluduntur de aliquo subiecto, quod tamen subiectum est quid inferius sub illo communi v.g. si quis formaret hũc procesũ: Omne animal vel est rationale vel irrationale: sed homo est animal: ergo omnis homo vel est rationalis vel irrationalis: vbi mediũ est ille termin⁹ cõmunis, animal, & diuid. in suas differẽtias, sci- *Duplex processus diuisiuus.* *Syllogisticus.*

 licet

licet rationale & irrationale, & tandem huiusmodi differentiæ concluduntur de homine disiunctim consideratæ, vt patet.

Non syllogisticus.

Processus autem diuisiuus non syllogisticus est, in quo ponitur ille discursus prior, addẽdo illi alterum, qui non infert duas simul differentias disiunctim sumptas, sed vnam partem cum destructione alterius, v.g. si ego formarẽ syllogismum iam positum ex integro, & adderem illi aliquid vlterius, dicendo, sed homo non est irrationalis, ergo homo est animal rationale. Vnde discursus diuisiuus non sortitur suum propositum aut conclusionem in priori processu, sed tantum in posteriori, & cõsequẽter si aliquid concludit syllogisticè, non concludit ad suum finem intentum, sed oportet vt prius fiat quædam interiectio seu mora, vt dictum est. Vnde colligitur definitionem non posse demonstrari de suo definito per viam diuisionis syllogisticè, de qua loquitur Aristoteles: quia definitio quælibet debet esse continua, siue enim accipias definitionem metaphysicam, quæ constat ex genere & differentia, siue definitionem physicam quæ constat ex materia & forma, nõ datur medium inter genus proximum & differentiam, inter materiã & formam, inter definitum & definitionem, ac proinde non possumus dicere, quod homo est, & animal rationale, sed homo est animal rationale, quod tamen in prædicto discursu syllogist. non prob. sed solũ petitur & queritur.

Definitio nõ potest demõstrari per viã diuisionis syllogisticè.

Con-

Conclusio. Definitio non potest demonstrari de suo definito per viam diuisionis.

Probatur. Si definitio posset demonstrari de suo definito per viam diuisionis, sequeretur quod conclusio in huiusmodi processu sequeretur ex præmissis necessariò, quod tamen est falsum vt apparet in exemplo adducto in corpore: nam postrema conclusio, scilicet, Ergò homo est rationalis, non infertur necessariò à priori, neque enim propter hanc causam homo rationalis est, quia non est irrationalis, sed è conuerso, quia homo rationalis est, nõ est irrationalis, nam esse irrationalem non est forma hominis, vt patet ad sensum.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem quæ subsumitur, sed in hoc discursu probatur definitio hominis de homine, quantum ad vim probatiuam absolutè, nego Minorem, quantum ad vim illatiuam conclusionis, concedo Minorem: habet enim discursus ille necessitatem consequentiæ secundũ Leges Sũmularum à disiunctiua ad alteram partem cũ destructione vnius partis, vim tamen probatiuam non habet, quia committitur petitio principij, vt dictum est. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem ad cuius probationem admitto authoritatem primam & explico illam, iuxta modum quo explicata est in articulo præcedente ad secundum. Ad secũdã vero authoritatẽ, eodẽ modo est dicẽdum, nam licet per viam diuisionis possit facilè inuesti- *Resp. ad II.*

uestigari definitio alicuius rei quãtum ad vim illatiuam, non tamen probatiuam vt dixi.

CAPVT V. VI. ET VII.

Quomodo Definitio se habeat ad Demonstrationem.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. *Definitio non potest probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuũ, assumendo nimirum definitionem definitionis pro medio.*

Probatur. Si definitio posset probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuũ. Ergò aut in illo altero syllogismo esset definitio ipsius definitionis, aut eius quod contrariatur definitioni, sed nullum ex his potest dici. Ergò nullo modo definitio potest probari de suo definito per alterum syllogismum definitiuum. *Minor quo ad primam partem scilicet, quod non potest esse pro medio altera definitio definitionis. Probatur*. Supponendo in primis syllogismum definitiuum, per quem probatur, quod animal rationale est definitio hominis, sic: illa est definitio alicuius rei quę constat ex genere proximo & differentia specifica, sed animal rationale respectu hominis sic se habet, ergò animal rationale est definitio hominis. *Tunc argumentor*: In hoc syllogismo definitiuo

est

est petitio principij. Ergo talis syllogismus est sinè inutilis. *Antecedens probatur.* Nam idem eodem probatur, & res significata per terminos conclusionis, nõ est quid diuersum à rebus significatis per terminos principiorum, si quis enim negaret hanc: scilicet, quod animal rationale est definitio hominis, negabit consequenter principium, quòd animal rationale habet se tanquam genus & differentia respectu hominis, ac proindè talis probatio non est licita.

Secunda verò pars conclusionis, probatur: scilicet, quod nõ põt probari definitio de suo definito per viã oppositionis, accipiẽdo pro medio definitionẽ oppositi. Nã si definitio aliqua posset hoc modo probari de suo definito, sequitur idem inconueniens quod prius, & esset petitio principij quam reijciunt Scholastici tanquam inutilem. *Consequentia prob.* Si quis enim formaret hũc syllogismum. Esse diuisibile & esse indiuisibile sunt diuersæ definitiones, sed esse diuisibile est definitio mali. Ergò esse indiuisibile est definitio boni. *Tunc sic argumentor:* In hoc syllogismo est etiam petitio principij, sicut in primo. Ergò similiter est inutilis. *Antec. probatur.* Nã idem probatur eodem, vt dictum est.

Secunda conclusio. Nullo modo potest efficaciter probari definitio inquantum definitio de suo definito.

Probatur, Neque per viam oppositionis &

cẽdo. Illa definitio est bona quę explicat naturã definiti, & distinguit ipsum ab omni alio, sed definitio generis, speciei &c. est huiusmodi, ergò est conueniens & hoc est contra præsentem doctrinam.

Secundò. Hæc consequentia est bona per locum à definitione vt dicunt Dialectici. Definitio nihil aliud est nisi oratio quæ indicat per essentialia prædicata quid sit esse rei, sed animal rationale, est oratio indicans per essentialia prædicata quid sit esse hominis, ergò animal rationale est definitio hominis. *Argum.* II.

Tertiò. Si definitio non posset probari de suo definito assumendo definitionem definitionis pro medio, ergò definitio definitionis est frustrà, sed hoc est inconueniens, ergò & primum. *Sequela prob.* Nam si definitio definitionis non est frustrà, ergo deseruit ad cognitionem ipsius definitionis, ergò potest esse causa & ratio, per quam cognoscitur definitio, ergò potest esse medium. *Argu. III.*

Respondeo. Quod, vt iam sæpius dictum est, definitio sumpta in communi nihil est aliud nisi oratio explicatiua naturæ alicuius entis. Et quoniam dupliciter aliquid est ens, aut enim est ens entitate nominis, quod habet esse secundum nomen tantum, aut est ens entitate rei, quod habet esse secundum rem: idcircò duplex etiam potest esse definitio: quædam enim est definitio rei & quædam nominis, siue vt Aristoteles loquitur, quoddam est quid *Resolutio.* *Dupliciter aliquid est ens.*

rei, & quoddam quid nominis.

Quid nominis. *Definitio* quid nominis, est oratio explicatiua naturæ nominis, sicut lapis deriuatur à læsione pedis, & hoc nomen homo, quia est ex humo &c.

Quid rei. *Definitio* autem quid rei est oratio explicatiua naturæ alicuius rei, sicut animal rationale explicat seu extra plicat essentiam hominis.

Differentia inter has definitiones. Inter has autem definitiones triplex differentia potest assignari ex Aristotele in Textu præsenti: *Primò* enim differunt, quia definitio quid rei est solius entis, definitio verò quid nominis potest esse entis & non entis, vnde chymæra & alia figmenta possunt habere quid nominis, non autem quid rei, benè enim definiretur chymæra: Est aliquid habens caput leonis, latera equi, caudam draconis, alas vespertilionis &c. fingendo, sed hæc definitio quid nominis explicat, & non quid rei, nam quid rei præsupponit an est rei, figmenta verò non sunt.

Differunt secundò: quia in omnibus scientijs propter hunc finem aliquid definitur vt habeamus quid rei illius, non verò quid nominis tantum. Vnde in Logica definitur homo, esse animal rationale, cōstans ex genere & differentia, non quod hæc dictio homo, idem significet, sed quia est ipsa res.

Tertia verò est differentia, quia vnius & eiusdem nominis, possunt dari plures definitiones, quæ explicant quid nominis, sed non

vnius rei,& præsertim loquendo de definitione perfecta & quidditatiua, vnius enim rei vnum est genus proximum & vna tantum differentia vltima constituens, ac proindè vna natura,& vna definitio,non plures.

Est igitur in præsenti difficultas: vtrum definitio quid rei cõpleta & perfecta possit probari de suo definito, hoc modo quòd sumatur pro medio illius demonstrationis, definitio definitionis,

Pro cuius resolutione dico: quod logicè loquẽdo duplex solet esse definitio definitionis. Primò enim sic potest definiri definitio logicè & per terminos secundæ intentionis: definitio nihil aliud est, nisi quoddam prædicatum totale & completum, quod dicitur in quid de aliquo. Altera definitio potest esse talis: definitio nihil aliud est, nisi quoddam prædicatum totale & completum,quod constat ex genere & differentia, verbi gratia, animal rationale est definitio hominis, quia est prædicatũ totale,quod dicitur in quid de homine, & similiter constat ex genere & differentia, quæ duo constituunt hominem. Si ergò posset probari definitio de suo definito per medium quod est definitio ipsius definitionis, non debitè ostẽderetur propositum,quia mediũ quo probaretur cõclusio, non esset diuersum à prædicato cõclusionis, ac proindè idẽ per seipsũ probaretur,&esset petitio principij seu causę,v. g. si quis negaret, ꝙ animal rationale

Duplex definitionis definitio.

nale sit definitio hominis, non posses vti pro medio definitione aliqua ex illis duabus, dicendo: Omne prædicatũ totale cõstans ex genere & differentia specifica alicuius rei est eius definitio, sed animal rationale est quoddam prædicatum totale & perfectum constans ex genere & differentia specifica ipsius hominis, ergò animal rationale est definitio hominis. Nam in hoc syllogismo committitur petitio principij, quia præmissæ & principia non sunt magis nota quam conclusio, ac proindè probatur definitio hominis supponendo definitionem, sicut & in moralibus si quispiam negaret loquelam, tunc negando loquelam, concederet loquelam, quia non posset negare nisi loquendo: & ita in præsenti, ille qui probat definitionem hominis per definitionem ipsius definitionis, probat definitionem per ipsam definitionem, & consequenter petit principium.

Conclusio. Definitio qualibet completa & perfecta non potest probari de suo definito, assumendo definitionem definitionis pro medio. Probatur. Tum authoritate Aristotelis in prima conclusione, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad 1. *Ad primum igitur dicendum* nego antecedens, ad cuius probationem *Dico*: quod illa probatio non valet neque est efficax, quia in illa cõmittitur petitio principij. Ad confirmationem

nem verò argumenti *dico*: quod licet in Prædicabilibus multoties adhibuimus nonnullas rationes, quibus ostendebatur quod definitiones Prædicabilium conueniunt suis definitis, illę tamen rationes non probabant sed potius examinabant definitiones prædictas, ac proindè magis fuerunt significatiuæ, quam scientificæ.

Ad secundum distinguo Maiorem. Hæc consequentia est bona &c. quantum ad vim illatiuam, concedo: quãtum ad vim probatiuam, nego, & de hoc est quæstio. *Resp ad II.*

Ad tertium nego sequelam Mai. nam exinde non licet inferre, quod definitio definitionis sit frustrà, imò verò est necessaria ad hoc vt per eam intellectus possit regulari in conficiendis definitionibus, vnde definitio definitionis non est necessaria ad probandam definitionem, & tamen necessaria ad regulandum vt patet; nam non possem ego scire hanc definitionem hominis esse bonam, homo est animal rationale, nisi scirem definitionem esse quoddam prædicatum totale constans ex genere & differentia. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio poßit probari de suo definito, sumendo definitionem alterius contrarij pro medio?

V*Idetur quod sic. Primò.* Iste discursus est cõueniens; Color disgregans visum est defini-

finitio albedinis, ergo color congregans visum est definitio nigredinis, sed hic probatur definitio nigredinis de ipsa nigredine per suum oppositum, ergò definitio potest probari de suo definito sumendo definitionem alterius contrarij pro medio. *Minor probatur.* nam sicut vnum definitum, scilicet album, cõtrariatur alteri definito, hoc est nigro, ita definitio vnius alteri definitioni.

Argu. II. *Secundò* authoritate Aristotelis in libro primo de Anima, vbi docet quod vnum contrarium, est principium cognoscendi reliquum, sicut rectum est index sui obliqui, *Tunc subsumo*: ergo definitio vnius contrarij est causa seu medium Demonstrationis ad cognoscendam definitionem alterius contrarij, cõsequẽs videtur esse manifestum.

Resolutio. *Duplex contrariorum consideratio.*

Respondeo. Quod contraria dupliciter considerari possunt. Primò quatenus abinuicem distinguuntur, secundò quatenus conueniunt in ratione communi contrarietatis, sicut homo & equus aliquando considerantur vt cõueniunt in definitione communi ipsius animalis, aliquando verò vt sunt species distinctæ abinuicem, si ergo consideremus contraria quatenus sunt abinuicem distincta tunc vnum non deseruit ad cognitionem alterius, sed benè potest cognosci sine altero, quia hoc modo contraria sunt quædam res disparatæ & diuersarum naturarum, alia enim est definitio & natura albi vt album est, scilicet color disgregans visum, & alia nigri, vt est mani-

Contraria considerata vt distincta, ad mutuam cognitionem non deseruiunt.

festum,ac proindè sciens albedinem per definitionem albedinis vt albedo est, non est necesse vt sciat distinctè nigredinem,quia mediũ ad acquirendum scientiam est definitio, non ergò loquitur Aristoteles in præsenti de contrarijs hoc modo sumptis,alias enim si definitio albi in quantum est album,& inquantum distinguitur specie à nigro posset probari per definitionem nigri vt nigrum est, conciperet intellectus plura vt plura sunt:quod implicat.

Verum si consideremus contraria non inquantum comparantur inter se,sed quatenus conueniunt in tertio, scilicet in ratione communi contrarietatis,tunc vnum potest esse ratio cognoscendi alterum, non vt est distinctũ specie,sed inquantum est contrarium, v.g. album & nigrũ,si concipiantur non secundum se,neque vt distincta abinuicem, sed quatenus conueniunt in tertio, hoc est, in ratione contrarij,tunc cognoscens album, inquantum est cõtrarium,& quatenus illi competit definitio contrarietatis, cognoscit nigrum non inquãtum nigrũ, sed vt est contrarium: nam simile cognoscitur per simile, & non per cõtrarium, album aũt quatenus est cõtrarium,nihil aliud est,nisi quædam qualitas quæ non potest esse simul cum nigredine in eodem subiecto: in qua definitione ponitur nigredo, vt patet, & in hoc sensu loquitur Aristot. in præsenti de cõtrario: vtrum videlic. possit aliquis probare quod

Contraria considerata vt cõueniũt vnum est ratio cognoscendi alterum.

quod definitio conueniat suo definito accipiendo pro medio suæ demonstrationis definitionem alterius contrarij vt est contrarium.

Definitio cõtrarij nõ est medium demonstrationis ad probandam definitionem definiti alterius.

Dico igitur, quod hoc est impossibile, propter hanc causam, quia principia & præmissæ quæ non solum inferunt, sed etiam probant aliquam conclusionem debent esse quid noti⁹ quam conclusio quia sunt causa conclusionis, causa autẽ est notior suo effectu: porrò si quis vellet probare definitionem aliquã de suo definito per viam oppositionis, non probat per aliud notius, sed æque ignotum sicut & ipsa conclusio; ac proinde quemadmodum infert definitionem vnius contrarij de suo subiecto in conclusione, ita similiter poterit inferre è conuerso, accipiendo conclusionem pro medio, nam sic definitio alterius contrarij, quæ erat medium, erit conclusio, v.g. per viam oppositionis non potest probari, quod albedo sit color disgregans visum, nã si accipias pro medio definitionem nigredinis, non est præmissa magis nota quã cõclusio, cõmittitur ergo petitio principij in huiusmodi probationibus.

Conclusio. Definitio non potest probari de suo definito per viam oppositionis accipiendo definitionem alterius contrarij pro medio. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I

Ad primum igitur dicendum. Distinguo Maiorem, iste discursus est conueniens, quantum ad vim illatiuã, concedo Maiorem: quantum ad

vim probatiuam, nego Maiorem: Vel aliter, est conueniens dialecticè loquendo, sed non posterioristicè.

Resp. ad II

Ad secundum admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Vnum contrarium est principium cognoscendi alterum, inquantũ sunt sibi contraria, concedo: inquantum sunt distincta, nego, vnde intellectus cognoscens album & nigrum esse sibi contraria vt sic, statim intelligit album & nigrum, non tamen quãtum ad vim probatiuam vnum cognoscitur per alterum.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Demõstratione potissima sit definitio Subiecti vel Paßionis?

Argum. I.

V*Idetur quod definitio paßonis. Primò.* Medium in Demonstratione potissima debet esse causa immediata ipsius passionis quæ concluditur de subiecto, sed definitio propriæ passionis est causa immediata ipsius passionis, ergò talis definitio est mediũ. *Minor prob.* Quia magis accedit definitio propria ad suum definitum quam aliena, v.g. risibile est passio hominis, & potest definiri per propriam definitionẽ dicendo, risibile est aptitudo hominis ad ridẽdum; & potest similiter definiri per definitionem subiecti, sed talis definitio erit aliena, dicendo, risibile est animal rationale,

Argu. II. *secundò*. Si definitio subiecti esset medium in Demonstratione potissima, sequeretur quod per eandem definitionem posset aliquis cognoscere plurimas passiones de subiecto. Sed hoc est inconueniens, vt patet. Ergò & primum. *Sequela prob.* Nam in vno & eodem subiecto inueniuntur aliquando plurimæ passiones sicut homo est admiratiuus, disciplinæ capax, risibilis &c *Minor verò probatur,* nam alias per vnum medium cognoscerentur diuersæ conclusiones.

Argu. III *Tertiò*. Illud est medium in demonstratione potissima, quod significat quid & propter quid, hoc est, quod significat quidditatem & naturam ipsius passionis & causam passionis. Sed definitio passionis & non subiecti est huiusmodi, & præcipuè quando illa definit. cōstat ex principijs subiecti, & etiam ex principijs ipsius passionis. Ergò definitio passionis est medium in demonstratione potissima.

Argu. IV. *Quartò*. Authoritate Aristotelis qui docet in hoc Textu, quod ratio primi termini est medium in demōstratione à priori, hoc est definitio maioris extremitatis. *Tunc sic argumētor:* secundum Aristotelem medium in Demōstratione potissima est definit. primi termini, seu maioris extremitatis: sed maior extremitas est propria passio vt patet dicēdo, Omne animal rationale est risibile, &c. ergò vt prius.

Resolutio.

Discrimen inter sētētiā S. Th. & Alb. Mag. *Respondeo*. Quod in hac difficultate duæ circumferuntur sententiæ. Prima est Alberti Ma-

Magni & secunda Sancti Thomæ. Inter has autem opiniones est tale discrimen, quia Albertus Magnus docuit, quod definitio propriæ passionis est medium in demonstratione potissima, intelligendo de definitione completa & perfecta, quæ nimirũ constat ex principijs subiecti & ex principijs passionis: at verò S. Doctor in capite præsenti existimat definitionẽ subiecti & nõ passionis esse medium.

Pro cuius intelligentia sciendum est. Quod processus in demõstratione potest esse duplex, vnus compositiuus, & alter resolutorius.

Duplex demõstrationis processus

Illa demonstratio vocatur processus compositiuus, in qua procedimus à causa ad effectũ & à principijs ad conclusionem: v.g. omne animal rationale est risibile, quia risibilitas est effectus rationalitatis.

Cõpositiuus

Illa verò demonstratio vocatur processus resolutorius, in qua procedimus ab effectu ad causam, & à conclusione ad præmissas, nã via resolutoria significat quãdã solutionẽ effectus in suã causã, vel cõclusionis in sua princ. v.g. õne risibile est rationale &c. in pręsẽti igitur nomine Demonst. potissimę intelligitur processus compositiuus, ex pręmissis immediatis, & prioribus &c. & ita stãdo in doctrina Ang. Præceptoris definit. est mediũ in huiusmodi demonst. nã si proceditur à causa ad effectũ & à præmissis ad cõclusio. oportet in tali demõst. cõclusionẽ resoluere in primã & ꝓximã causã, prima verò causa nõ est definitio passionis sed

Resolutorius

subiecti, ex eo quia definitio passionis non est completa & perfecta absque definitione subiecti, vt pote quæ ab illa dependet, nam risibile est aptitudo hominis ad ridendum, vbi ly Hominis ponitur tanquam subiectum. Vnde si vis concludere passionem de aliquo subiecto per definitionem ipsius passionis, certè eandem definitionem passionis concludes facilè de eodem obiecto per definitionem subiecti, dicẽdo, Omne aptum ad ridendum est risibile, sed homo est naturaliter aptus ad ridẽdũ, ergò õnis homo est risibilis. In quo processu si negaretur minor, in qua definit. passionis prędicatur de subiecto, assumas pro medio definitionẽ subiecti ad probãdũ quod minor præmissa sit vera: omne animal rationale habet aptitudinem ad ridendum, sed homo est animal rationale, ergò &c.

Præterea. Demonstratio potissima ex talibus principijs procedit, quorum nõ est alia causa, atq; adeò ex principijs veris, immediatis, & prioribus: manifestũ verò est quod ille processus, in quo mediũ est definitio subiecti, talis est naturæ; quia definitio subiecti conuenit subiecto sine medio, nec potest de illo probari per viam diuisionis, definitionis &c. vt hactenus per plures articulos dictum est. Cæterum si definitio passionis esset mediũ, tũc illa principia non essent hoc pacto immediata, quia posset probari de suo subiecto per definitionẽ ipsius subiecti, vt in exemplo adducto patuit.

Postre-

Postrema verò ratio quæ conuincit Thomistas est talis, quia nihil volumus demõstratiuè probare nisi quod propria Passio inest suo subiecto in cõclusione, seu Quale est subiectũ, aut ergò illud medium per quod est demonstratio est essentiale ipsi subiecto, aut accidentale: si primum, est definitio subiecti, & consequenter habeo intentum: si verò accidentale, inest subiecto per aliquã causã seu mediũ, de quo medio adhuc percontabor, an sit accidẽtale, vel essentiale, & ita vel erit processus in infinitũ penes media, quod superius ex Arist. satis improbatum est, vel tandẽ oportebit deuenire ad huiusmodi medium quod est essentiale ipsi subiecto, tanquam definitio subiecti.

Conclusio. Medium in Demonstratione potißima est definitio subiecti & non paßionis. Probatur ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum distinguo Minorem, sed definitio passionis est causa immediata passionis: hoc est, causa propria, concedo Minorẽ: causa propria & prima, nego Minorẽ. *Volo dicere*, quod principia intrinseca passionis seu definitio passionis, est quidẽ causa propria & intrinseca ipsius passionis in genere causæ formalis, sicut aptitudo hominis ad ridẽdum est causa propria risibilitatis, tamẽ principia intrinseca passionis seu definitio illi⁹ nõ est causa prima passionis, quia sola definitio subiecti est causa prima, propter quã risibilitas cõuenit homini, & hoc debuit argumẽtũ probare, si- *Resp. ad I.*

nale sit definitio hominis, non posses vti pro medio definitione aliqua ex illis duabus, dicendo: Omne prædicatũ totale cõstans ex genere & differentia specifica alicuius rei est eius definitio, sed animal rationale est quoddam prædicatum totale & perfectum constans ex genere & differentia specifica ipsius hominis, ergò animal rationale est definitio hominis. Nam in hoc syllogismo committitur petitio principij, quia præmissæ & principia non sunt magis nota quam conclusio, ac proindè probatur definitio hominis supponendo definitionem, sicut & in moralibus si quispiam negaret loquelam, tunc negando loquelam, concederet loquelam, quia non posset negare nisi loquendo: & ita in præsenti, ille qui probat definitionem hominis per definitionem ipsius definitionis, probat definitionem per ipsam definitionem, & consequenter petit principium.

Conclusio. Definitio qualibet completa & perfecta non potest probari de suo definito, assumendo definitionem definitionis pro medio. Probatur. Tum authoritate Aristotelis in prima conclusione, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego antecedens, ad cuius probationem *Dico*: quod illa probatio non valet neque est efficax, quia in illa cõmittitur petitio principij. Ad confirmationem

nem verò argumenti *dico*: quod licet in Prædicabilibus multoties adhibuimus nonnullas rationes, quibus ostendebatur quod definitiones Prædicabilium conueniunt suis definitis, illę tamen rationes non probabant sed potius examinabant definitiones prædictas, ac proindè magis fuerunt significatiuæ, quam scientificæ.

Ad secundum distinguo Maiorem. Hæc consequentia est bona &c. quantum ad vim illatiuam, concedo: quãtum ad vim probatiuam, nego, & de hoc est quæstio. *Resp. ad II.*

Ad tertium nego sequelam Mai. nam exinde non licet inferre, quod definitio definitionis sit frustrà, imò verò est necessaria ad hoc vt per eam intellectus possit regulari in conficiendis definitionibus, vnde definitio definitionis non est necessaria ad probandam definitionem, & tamen necessaria ad regulandum vt patet; nam non possem ego scire hanc definitionem hominis esse bonam; homo est animal rationale, nisi scirem definitionem esse quoddam prædicatum totale constans ex genere & differentia. *Resp. ad III.*

ARTICVLVS II.

Vtrum definitio posit probari de suo definito, sumendo definitionem alterius contrarij pro medio?

VIdetur quod sic. Primò. Iste discursus est cõueniens; Color disgregans visum est defini-

finitio albedinis, ergo color congregans visum est definitio nigredinis, sed hic probatur definitio nigredinis de ipsa nigredine per suum oppositum, ergò definitio potest probari de suo definito sumendo definitionem alterius contrarij pro medio. *Minor probatur.* nam sicut vnum definitum, scilicet album, cõtrariatur alteri definito, hoc est nigro, ita definitio vnius alteri definitioni.

Argu. II. *Secundò* authoritate Aristotelis in libro primo de Anima, vbi docet quod vnum contrarium, est principium cognoscendi reliquum, sicut rectum est index sui obliqui, *Tunc subsumo:* ergo definitio vnius contrarij est causa seu medium Demonstrationis ad cognoscendam definitionem alterius contrarij, cõsequẽs videtur esse manifestum.

Resolutio. *Duplex contrariorum consideratio.*

Respondeo. Quod contraria dupliciter considerari possunt. Primò quatenus abinuicem distinguuntur, secundò quatenus conueniunt in ratione communi contrarietatis, sicut homo & equus aliquando considerantur vt cõueniunt in definitione communi ipsius animalis, aliquando verò vt sunt species distinctæ abinuicem, si ergo consideremus contraria quatenus sunt abinuicem distincta tunc vnum non deseruit ad cognitionem alterius, sed benè potest cognosci sine altero, quia hoc modo contraria sunt quædam res disparatæ & diuersarum naturarum, alia enim est definitio & natura albi vt album est, scilicet color disgregans visum, & alia nigri, vt est mani-

Contraria considerata vt distincta, ad mutuam cognitionem non deseruiunt.

festum, ac proindè sciens albedinem per definitionem albedinis vt albedo est, non est necesse vt sciat distinctè nigredinem, quia mediũ ad acquirendum scientiam est definitio, non ergò loquitur Aristoteles in præsenti de contrarijs hoc modo sumptis, alias enim si definitio albi in quantum est album, & inquantum distinguitur specie à nigro posset probari per definitionem nigri vt nigrum est, conciperet intellectus plura vt plura sunt: quod implicat.

Verum si consideremus contraria non inquantum comparantur inter se, sed quatenus conueniunt in tertio, scilicet in ratione communi contrarietatis, tunc vnum potest esse ratio cognoscendi alterum, non vt est distinctũ specie, sed inquantum est contrarium, v.g. album & nigrũ, si concipiantur non secundum se, neque vt distincta abinuicem, sed quatenus conueniunt in tertio, hoc est, in ratione contrarij, tunc cognoscens album, inquantum est cõtrarium, & quatenus illi competit definitio contrarietatis, cognoscit nigrum non inquãtum nigrũ, sed vt est contrarium: nam simile cognoscitur per simile, & non per cõtrarium, album aũt quatenus est cõtrarium, nihil aliud est, nisi quædam qualitas quæ non potest esse simul cum nigredine in eodem subiecto: in qua definitione ponitur nigredo, vt patet, & in hoc sensu loquitur Aristot. in præsenti de cõtrario: vtrum videlic. possit aliquis probare quod

Contraria considerata vt cõueniũt vnum est ratio cognoscendi alterum.

quod definitio conueniat suo definito accipiendo pro medio suæ demonstrationis definitionem alterius contrarij vt est contrarium.

Definitio cõtrarij nõ est medium demonstrationis ad probandam definitionem definiti alterius.

Dico igitur, quod hoc est impossibile, propter hanc causam, quia principia & præmissæ quæ non solum inferunt; sed etiam probant aliquam conclusionem debent esse quid notius quam conclusio quia sunt causa conclusionis, causa autẽ est notior suo effectu: porrò si quis vellet probare definitionem aliquã de suo definito per viam oppositionis, non probat per aliud notius, sed æque ignotum sicut & ipsa conclusio, ac proinde quemadmodum infert definitionem vnius contrarij de suo subiecto in conclusione, ita similiter poterit inferre è conuerso, accipiendo conclusionem pro medio, nam sic definitio alterius contrarij, quæ erat medium, erit conclusio, v.g. per viam oppositionis non potest probari, quod albedo sit color disgregans visum, nã si accipias pro medio definitionem nigredinis, non est præmissa magis nota quã cõclusio, cõmittitur ergo petitio principij in huiusmodi probationibus.

Conclusio. Definitio non potest probari de suo definito per viam oppositionis accipiendo definitionem alterius contrarij pro medio. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I

Ad primum igitur dicendum. Distinguo Maiorem, iste discursus est conueniens, quantum ad vim illatiuã, concedo Maiorem: quantum ad vim

vim probatiuam, nego Maiorem: Vel aliter, est conueniens dialecticè loquendo, sed non posterioristicè.

Resp. ad II

Ad secundum admitto authoritatem Aristotelis & explico illam. Vnum contrarium est principium cognoscendi alterum, inquantũ sunt sibi contraria, concedo: inquantum sunt distincta, nego, vnde intellectus cognoscens album & nigrum esse sibi contraria vt sic, statim intelligit album & nigrum, non tamen quãtum ad vim probatiuam vnum cognoscitur per alterum.

ARTICVLVS III.

Vtrum in Demõstratione potißima sit definitio Subiecti vel Paßionis?

Argũm. I.

V*Idetur quod definitio paßonis. Primò.* Medium in Demostratione potissima debet esse causa immediata ipsius passionis quæ concluditur de subiecto, sed definitio propriæ passionis est causa immediata ipsius passionis, ergò talis definitio est mediũ. *Minor prob.* Quia magis accedit definitio propria ad suum definitum quam aliena, v.g. risibile est passio hominis, & potest definiri per propriam definitionẽ dicendo, risibile est aptitudo hominis ad ridẽdum; & potest similiter definiri per definitionem subiecti, sed talis definitio erit aliena, dicendo, risibile est animal rationale,

Argu. II. *secundò.* Si definitio subiecti esset medium in Demonstratione potissima, sequeretur quòd per eandem definitionem posset aliquis cognoscere plurimas passiones de subiecto. Sed hoc est inconueniens, vt patet. Ergò & primum. *Sequela prob.* Nam in vno & eodem subiecto inueniuntur aliquando plurimæ passiones sicut homo est admiratiuus, disciplinæ capax, risibilis &c. *Minor verò probatur,* nam alias per vnum medium cognoscerentur diuersæ conclusiones.

Argu. III *Tertiò.* Illud est medium in demonstratione potissima, quod significat quid & propter quid, hoc est, quod significat quidditatem & naturam ipsius passionis & causam passionis. Sed definitio passionis & non subiecti est huiusmodi, & præcipuè quando illa definit. cōstat ex principijs subiecti, & etiam ex principijs ipsius passionis. Ergò definitio passionis est medium in demonstratione potissima.

Argu. IV. *Quartò.* Authoritate Aristotelis qui docet in hoc Textu, quod ratio primi termini est medium in demōstratione à priori, hoc est definitio maioris extremitatis. *Tunc sic argumētor:* secundum Aristotelem medium in Demōstratione potissima est definit. primi termini, seu maioris extremitatis: sed maior extremitas est propria passio vt patet dicēdo, Omne animal rationale est risibile, &c. ergò vt prius.

Resolutio.

Discrimen inter sētētiā S. Th. & Alb. Mag.

Respondeo. Quod in hac difficultate duæ circumferuntur sententiæ. Prima est Alberti Ma-

Magni & secunda Sancti Thomæ. Inter has autem opiniones est tale discrimen, quia Albertus Magnus docuit, quod definitio propriæ passionis est medium in demonstratione potissima, intelligendo de definitione completa & perfecta, quæ nimirū constat ex principijs subiecti & ex principijs passionis: at verò S. Doctor in capite præsenti existimat definitionē subiecti & nō passionis esse medium.

Pro cuius intelligentia sciendum est. Quod processus in demōstratione potest esse duplex, vnº compositiuus, & alter resolutorius. *Duplex demōstrationis processus*

Illa demonstratio vocatur processus compositiuus, in qua procedimº à causa ad effectū & à principijs ad conclusionem: v.g. omne animal rationale est risibile, quia risibilitas est effectus rationalitatis. *Cōpositiuus*

Illa verò demonstratio vocatur processus resolutorius, in qua procedimus ab effectu ad causam, & à conclusione ad præmissas, nā via resolutoria significat quādā solutionē effectus in suā causā, vel cōclusionis in sua princ. v.g. ōne risibile est rationale &c. in pręsēti igitur nomine Demonst. potissimę intelligitur processus compositiuus, ex pręmissis immediatis, & prioribus &c. & ita stādo in doctrina Ang. Præceptoris definit. est mediū in huiusmodi demonst. nā si proceditur à causa ad effectū & à præmissis ad cōclusio. oportet in tali demōst. cōclusionē resoluere in primā & ꝓximā causā, prima verò causa nō est definitio passionis sed *Resolutorius*

Postrema verò ratio quæ conuincit Thomistas est talis, quia nihil volumus demõstratiuè probare nisi quod propria Passio inest suo subiecto in cõclusione, seu Quale est subiectũ, aut ergò illud medium per quod est demonstratio est essentiale ipsi subiecto, aut accidentale: si primum, est definitio subiecti, & consequenter habeo intentum: si verò accidentale, inest subiecto per aliquã causã seu mediũ, de quo medio adhuc percontabor, an sit accidẽtale, vel essentiale, & ita vel erit processus in infinitũ penes media, quod superius ex Arist. satis improbatum est, vel tandẽ oportebit deuenire ad huiusmodi medium quod est essentiale ipsi subiecto, tanquam definitio subiecti.

Conclusio. Medium in Demonstratione potissima est definitio subiecti & non passionis. Probatur ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum distinguo Minorem, sed definitio passionis est causa immediata passionis: hoc est, causa propria, concedo Minorẽ: causa propria & prima, nego Minorẽ. *Volo dicere*, quod principia intrinseca passionis seu definitio passionis, est quidẽ causa propria & intrinseca ipsius passionis in genere causæ formalis, sicut aptitudo hominis ad ridẽdum est causa propria risibilitatis, tamẽ principia intrinseca passionis seu definitio illi⁹ nõ est causa prima passionis, quia sola definitio subiecti est causa prima, propter quã risibilitas cõuenit homini, & hoc debuit argumẽtũ probare, si- *Resp. ad I.*

quidē demōstratio procedit nō tantum ex veris, & immediatis, sed etiā ex primis & priorib.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego sequelam Maioris, nam definitio subiecti est proprium medium respectu primæ passionis. at verò respectu sequētium semper vna præcedens est causa respectu alterius, atque adeò est medium ad cognoscendum ipsam.

Resp. ad III. *Ad tertium* distinguo Maiorem, illud est medium in Demonstratione potissima quod significat quid & propter quid, eodem modo, nego Maiorem: diuersimodè, transeat; Vnde medium in Demōstratione potissima debet significare quid subiecti, & propter quid passionis, & talis est definitio subiecti, & non aggregatum ex principijs subiecti & passionis, quia alias nō esset principium simpliciter, nā principia quæ se tenent ex parte subiecti, sunt verè causa, at verò omne illud quod se tenet ex parte passionis habet causam, vt est manifestum.

Resp. ad IV. *Ad quartum* admitto authoritatem Aristotelis & explico illam: Ratio primi termini est medium in demōstratione potissima, si est terminus primus primitate positionis tātū, nego Maiorem: si est primus primitate causalitatis, concedo Maiorem: nam Maior extremitas est terminus primitatis, quia prius ponitur, at verò subiectum & definitio ipsius est terminus causalitatis, quia ponitur vt causa: de hoc satis.

CAP.

CAPVT IIIX. ET IX.

Quod Demonstratio fiat per omne genus causæ.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Demonstratio potest esse per quatuor genera causarum, accipiendo videlicet pro medio causam materialem, formalem, efficientem, aut finalem.

Probatur. Scire est rem per causam cognoscere propter quam illa res est, sed hoc potest fieri per quodlibet genus causæ, ergò Demonstratio potest fieri in quolibet genere. *Minor probatur* exemplariter: nam per causam materialem ita potest quispiam demonstrare. Omne materiale est corruptibile: sed omne lignũ est materiale. Ergò omne lignum est corruptibile. Per causam verò formalem tanquam per medium ita potest demonstrari conclusio, dicendo. Omne rationale est risibile. Sed omnis homo est rationalis. Ergò omnis homo est risibilis. Per causam etiam efficientem dicẽdo. Illi qui faciunt rem iniustam in aliquos, sunt debellandi ab illis. Sed Athenienses & Scythæ faciunt rẽ iniustam in aliquos principes, & in aliquas prouincias. Ergò sunt ab illis debellãdi: vbi facere aliquid iniustum, est medium. Tandem per causam finalem, vt patet, quia dum quæritur: propter quid Petrus deambulat post cænã? respondebis, vt se ipsum saluet, nam deambulatio est causa efficiẽs digestionẽ cibi, & digestio est causa finalis deambulationis, nã propter hunc finem aliquis deambulat,

vt digerat, & propter hunc finem aliquis digerit, vt sit sanus, & consequenter sanitas est finis digestionis sic arguendo: quicunq; dat operam ne cibus supernatet stomacho, & non emineat in ore stomachi, conseruat sanitatem: sed ille qui deambulat post cænam dat operã huiusmodi: ergò quicunque deambulat post cænam conseruat sanitatem. In qua demõstratione non supernatare cibum in ore stomachi, est causa propter quam finis, id est, conseruatio sanitatis, conuenit deambulanti post cænam.

Secunda conclusio. In his quæ sunt simul cum suis causis, potest esse Demonstratio à priori ad posterius, & à causa ad effectum: in illis verò effectibus qui non sunt simul, non potest, sed tantum ab effectu ad causam.

Probatur prima pars: Nam illa consequentia est bona: est interpositio terræ inter Solem & Lunam, ergò est ecclypsis Lunæ, & tamen interpositio terræ est causa: similiter, est aqua vehementer condensata, ergò est crystallum.

Secunda verò pars patet in hoc exemplo. Petrus sanatus est, ergò Petrus accepit medicinã, & presertim si per artem medicine est sanatus. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum per quodlibet genus causæ posit fieri Demonstratio?

Argum. 1. VIdetur quod non. *Primò.* Causa materialis est verè causa, vt dicunt Physici: sed hæc non

non poteſt aſſumi pro medio alicuius demō-ſtrationis,ergò non per quodlibet genus cauſæ poteſt fieri demonſtratio. *Minor probatur*. Nā omnis demonſtratio procedit ex principijs notioribus quam ſit ipſa concluſio: ſed materia eſt minus nota, & minus ens, quia eſt ens in pura potentia: ergò cauſa materialis non poteſt aſſumi pro medio alicuius Demō-ſtrationis.

Secundò. Cauſa efficiens non poteſt eſſe medium in aliqua demonſtratione, ergò vt prius. *Antecedens prob.* Si cauſa efficiens poſſet aſſumi pro medio alicuius Demonſtrationis. Ergò ſola ſubſtantia demonſtraretur à Philoſophis,& non propria păſſio de ſubiecto,quod eſt cōtra ſuperus dicta. *Conſequẽtia probatur*. Nā medium & extrema demonſtrationis debent eſſe eiuſdem generis,ſed cauſa efficiens eſt de genere ſubſtantiæ, ergò etiam extrema concluſionis demonſtratiuæ, atque adeò prædicatum erit de genere ſubſtantiæ, & ſic non erit propria paſſio. *Argu. II.*

Tertiò. Demonſtratio procedit ex præmiſſis prioribus: ſed finis non eſt prior quam illa res cuius eſt finis, imò verò eſt poſterior, ergò demonſtratio non poteſt fieri per cauſam finalem tanquam per medium, *Minor patet* in multis, nam finis deambulationis eſt ſanitas,quæ tamen poſterior eſt quā deambulatio, Fruſtra enim quiſpiā deābularet propter ſanitatẽ, ſimiliter finis demonſtrationis eſt ſcire *Argu. III*

conclusionem & tamen hoc posterius est quā demonstratio, quia nemo scit propter eum finem vt demonstret, sed è conuerso, ideo aliquis demonstrat vt sciat: sic finis belli est pax &c.

Resolutio. *Respondeo.* Quod postquam Aristoteles in præcedentibus satis disputauit de ipsa definitione, quomodo se habeat ad Demonstrationem: definitio autem præsertim quidditatiua pertinet ad causam formalem, idcircò in hoc Textu vult docere de causis rerum, quonam modo se habeant ad demonstrationem, hoc est, quo pacto possit esse demonstratio de conclusione per aliquam causam.

Quomodo agere de causis ad Logicum pertineat. *Vbi aduertendum est:* quod tractare de quatuor generibus causarum pertinet ad Logicū, & etiam ad Philosophum naturalem, sed diuersa ratione: nam Physicus cōsiderat de causis, vt causæ sunt, hoc est, quatenus sunt principia essendi, v.g. materiam & formam hominis speculatur Physicus, vt principiant & causant hominem intrinsecè, efficiens verò & finis sunt principia & causæ extrinsecæ. Cæterum Logicus considerat de causis non vt sunt principia essendi, neque vt sunt causæ formalissimè, sed quatenus sunt principia cognoscēdi, hoc est, vt sunt medium ad concludendum aliquid per demonstrationem, demonstratio enim est syllogismus faciens scire cōclusionē, scire aūt est rem per causā cognoscere, ac proinde materiam hominis, scilic. corporeitatem, con-

considerat Logicus propter hãc causam, vt per illã tanquam per medium concludat aliquam passionem de subiecto: v.g Omne cõpositum ex contrarijs est corruptibile. Sed omnis homo est huiusmodi. Ergò &c. Quærim⁹ igitur in dubio præsenti, Vtrũ mediũ in demonstratione à priori possit esse non tantũ causa formalis, sicut in præcedente Articulo disputauimus, sed etiam causa materialis, efficiẽs, aut finalis?

Quatuor causarum genera.

Dico igitur: quod, sicut in Physicis Deo iuuãte dicemus ex Aristotele, quatuor tantum sunt causarum genera. Vnũ est causa materialis, ex qua res est, vt corpus & terra sunt materia hominis. Alia est causa formalis, secũdum quam res est, vt anima rationalis in homine, est forma hominis, quia homo secundum animam animatur & viuit. Alia est causa efficiẽs, à qua res est, vt homo generans hominem, est causa effectiua, quia ab homine est homo, & ab igne ignis &c. non enim à corpore est aliquis homo, vel ab anima, sed ex corpore & anima, sicut è conuerso, ex homine non est homo, sed ab homine, prȩsertim si Ex sumatur pro materia hominis. Postrema verò est causa finalis, cuius gratia res est, sicut finis domus est defendere ab iniurijs cȩli, quia propter hãc defẽsionẽ cõsurgit domus, & finis deãbulationis est sanitas &c.

Non omnia habent quatuor causas simul.

Nec debes existimare quod omnes res habeãt istas quatuor causas simul, nã ad sensũ est euidens, quod entia immaterialia, v. g. angeli, & animæ

animæ humanæ, non habent causam materialem, nec potest quispiam quærere ex quo sit anima hominis, vel ex quo sit quispiam Angelus: nam homo est ex aliquo, scilicet ex materia: sed anima ex nihilo. Entia vero mathematica non habent aliam causam prȩter formalem, vt linea, superficies &c. & præsertim si considerentur sub illa ratione formalissima sub qua considerantur à Mathematico, hoc est, prout sunt abstracta à materia secundum esse definibile, & non secundum esse reale. In summa omnes istæ causæ, si sumantur seorsim, possunt esse medium in demonstratione: nam ad hoc vt aliquid sit medium alicuius demonstrationis, requiritur omninò, vt sit talis naturæ quod respondeatur ad interrogationem factam per propter quid, cum mediũ inquantum est medium dicat propter quid seu causam formalem, vt dixi antea in hoc Lib. secundo cap. I. Artic. 3. in corpore, *Tunc vlterius*: sed quodlibet genus causȩ est huiusmodi, nimirũ potest responderi ad interrogationem factam propter quid, vt patet; si enim quæritur, propter quid homo est corruptibilis? dices causam materialem, quia est compositus ex contrarijs: & propter quid Petrus est homo & est risibilis? quia est rationalis: propter quid Frãciscus deambulat, post cænam? vt nimirum habeat sanitatem. Patet ergò quod causa quȩlibet potest responderi ad interrogationem factam per propter quid, & consequenter quȩlibet

Omnes quatuor causæ possunt esse medium Demõstrationis.

libet causa potest esse medium demonstrationis: quæ autem causæ pertineant ad aliquas scientias, vt puta ad demonstrationes, logicas, physicas, &c. non est præsentis negotij disputare, sed spectat partim ad Physicum, partim ad Metaphysicum.

Conclusio. Demonstratio potest fieri per quodlibet genus causæ tanquam per medium. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quę dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum nego Minorem; ad cuius probationem distinguo Minorem, sed materia est minus nota, si sumatur absolutè & secundum se, concedo Minorem: nam hoc pacto non est principium notificandi. Si sumatur cum habitudine ad determinatam formam, nego Minorem. Vnde materia & forma eò modo sunt principia cognoscendi cõclusionem, sicut sunt principia essendi. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego antecedens, ad cuius probationem nego conseq. ad cuius itidem probationem distinguo Maiorem, medium & extrema demonstrationis debent esse eiusdem generis, hoc est, generis scibilis, concedo Maiorem: generis prædicamentalis, nego Maiorem: nam ad hoc vt aliquid sit mediũ in scientia debet contineri sub eadem ratione formali illius sciẽtiæ, hoc est sub eadẽ abstractione, non aũt est necesse vt contineatur sub eodem prædicamento; nam Logicus scit accidentia vt puta quantitatem, qual. &c. & simi- *Resp. ad II.*

liter

liter substantiam, corpus, animal &c. per vnicum medium quæ est definitio entis rationis, quod medium seu definitio eiusdem est generis scibilis, & eiusdem abstractionis cuius sunt extrema: nimirum substantiæ, quantitates &c. prout considerantur à Logico.

Resp. ad III. *Ad tertium* distinguo Minorem: sed finis non est prior quam illæ res quæ ordinantur ad finem, si finis consideretur secundum esse quod habet in intentione agentis, & prout habet rationem principij & causæ, nego Minorem: si consideretur secundum esse quod habet in executione operis, & prout est quid principiatum & causatum, concedo Minorem: vnde licet finis deambulationis, scilicet sanitas, sit posterior in executione deambulationis, erat tamen prior in intentione, quando nimirum intendebat quis deambulare, prius enim sanitatem intendebat.

ARTICVLVS II.

Vtrum in illis effectibus qui simul sunt cum suis causis, valeat demonstratio à causa ad effectum, in illis verò qui non sunt simul, non valeat?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò contra primam partē.* Hęc consequentia non valet, domificator est, ergò domus est: sicut lector est, ergò & lectio, sed hic arguitur à causa quæ simul est cum suo effectu, nā lectio simul est cū lectore, & domus cum domificatore, ergò in illis effectibus

ctibus qui simul sunt cum suis causis, non licet procedere à causa ad effectum.

Secundò. Omnis causa efficiēs præcedit suum effectū ac per cōsequens producit successiuè, ergò nulla causa efficiens potest esse simul cū suo effectu, & sic quæstio videtur supponere falsum. *Argum. II.*

Tertiò contra secundam partem. Nam ferrum est causa armorum, quæ causa non est simul cum armis, sed prius est ferrum & deindè arma: similiter lapides respectu ędificij, & lignū respectu mensæ, sed hæc cōsequētia est bona. Ferrū est, ergo arma possunt esse, similiter lapides sunt, ergo potest esse domus: Ergò in illis effectibus qui non sunt simul cum suis causis licet argumentari à causa ad effectum, & à priori ad posterius. *Argu. III.*

Respondeo. Quod postquam dictum est in Articulo pręcedēte quatuor tantum esse causas, ex quibus demonstrationes possunt procedere, nunc tandem Aristoteles progreditur vlterius dicendo, quòd inter ipsas causas quędam sunt simul cum suis effectibus, quædam vero non. Et vt intelligas de qua causa sit sermo, oportet adnotare, quod causa quęlibet, siue illa sit materialis, siue efficiens &c. dupliciter considerari potest: vno modo materialiter, & alio modo formaliter. *Resolutio.* *Duplex causarum consideratio.*

Tunc sumitur causa materialiter, quādo accipitur pro illa re, quæ est causa, & cui conuenit esse causam, sed non considero inquantum est *Materialiter.*

causa,

causa, sicut calidum materialiter sumptum, nihil aliud significat nisi corpus cui conuenit calor; sed non considerando inquantum est sub calore; verbi gratia, Petrus tunc est causa efficiens respectu domus vel mensę, materialiter sumendo causam, quando ego considero rationem formalem rei, & non rationem causæ, hoc est, quid sit Petrus secundum suam naturam, similiter & albedo est causa formalis ipsius albi materialiter sumendo causam, quãdo nimirum concipio albedinem; prout est color disgregans visum, & non quatenus extenditur in pariete &c. & hoc pacto non accipit Aristoteles causam in præsenti.

Formaliter. *Tunc* autem sumitur formaliter, quando accipitur pro illa re quæ est causa, & inquantum stat sub definitione & natura ipsius causę, sicut album, formaliter importat corpus, cui cõuenit albedo; & sub hac ratione inquantum illi conuenit, & Petrus est causa efficiens respectu domus vel mensæ sumendo causam efficientem formaliter, inquantum habet formam artis qua potest efficere domum vel mensam. Et hoc modo loquitur Aristoteles de causa.

Quæ causæ sint simul cum effectibus; *Dico igitur* quod illæ causæ sunt simul cum effectibus, quę ita se habent, quod positis illis, ponitur effectus secundum exigentiam, & sublatis illis, aufertur effectus secundum exigentiam eiusdem temporis, ad eum modum, quod si causa est formaliter, effectus est formaliter, si causa sit, effectus sit, si causa fuit causans effe-

effectus fuit productus &c. verbi gratia, si quis interrogaret, cur nunc est dies? dices causam quia nunc est sol lucens, & cur sit dies? quia oritur sol & cætera. vnde propter hāc causam nō valet. Domificator est, ergo domus est, quia non infertur consequentia secundum exigentiam temporis, ita enim potius debuit inferri. Domificator est, ergo domus potest esse, quia domificator ille dicitur, qui potest ædificare, & lector, qui potest legere: sed ille qui de facto ædificat, est domificans.

Effectus qui est simul cū causa, per eam demōstrari potest.

Ex quo infero quod illi effectus, qui sunt simul cum suis causis secundum exigentiam temporis, possunt probari per suas causas, benè enim sequitur, Domificans est, ergò domus est: Domificatio est, ergò potest esse domus. Illi autem effectus non sunt simul cum suis causis (intellige formaliter considerando causas) qui non sunt pro eo tempore quo causa est causans formalissimè, sed hoc contingit dupliciter: Aut enim illi effectus non sunt simul cum suis causis, sed tamen sunt in determinato tempore à natura, verbi gratia, quando pater generat filium, pro tunc non est filius vsque ad tempus quo animatur fœtus, scilicet post sexagesimum diem, quia ita determinatum est à natura. Alij verò sunt effectus qui non sunt simul cum causis, nec in tempore à natura determinato, v.g. dum aliquis incidit lapides & ponit in fundamēto, incipiunt esse causa domus, & tamē nō sequitur, quod postea

 sit

sit omninò domus futura &c. De his ergò effectibus loquendo qui non sunt simul cum causis, nec primo nec secundo modò, manifestum est, quod quamuis generatio procedat à causa ad effectum, & à priori ad posterius, tamen demonstratio procedit ab effectu ad causam, siue à posteriori ad suum prius, v.g. Domus est, ergò fundamenta sunt, ergò sunt lapides incisi &c.

Conclusio. In illis effectibus qui simul sunt cum suis causis, licitum est demõstrare effectum per causã, in iis verò qui non sunt simul, non est licitum. Prob. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quę dicta sunt in corpore.

Resp. ad I. *Ad primum igitur dicendum* nego Minorem nã vt dictũ est, domificator est simul cũ domo, quæ potest esse, non autem quę modo est.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego antecedens, scilicet quod omnis causa efficiens producat suum effectũ cum successione, nam quædam sunt causæ efficientes quę successiuè producũt, sicut est domificans, scribens &c. in quibus potest quis argumentari ab esse causæ, ad fieri ipsius effectus, & non simpliciter, sicut dicendo. Domificans est, ergò domus est, non absolutè sed tantum in fieri, hoc est, modò efficitur & habet fieri &c. quædam vero causæ efficiunt absque successione, & in instanti, sicut illuminatio aeris à sole, & in his, argumẽtamur ab esse causæ ad esse effectus simpliciter, dicendo, Sol illuminãs est, ergò aer est illuminat⁹. Imò vero

Domi-

Domificans est,ergò domificatio est:ab esse enim cuiuslibet causæ quæ simul est cũ effectu valet argumentatio ad esse actionis absolutè loquendo.

Ad tertium nego conseq.nam in hoc argumẽto non accipitur effectus & causa secundum exigentiam temporis, vt dictum est. *Resp. ad III.*

CAPVT X. ET XI.

Quo pacto debeat inuestigari definitio alicuius rei.

SVMMA TEXTVS.

PRima conclusio. Per viam diuisionis facilè potest quispiam inuenire definitionem alicuius rei.

Probatur. Nam species sola est quæ definitur, sed per viã diuisionis facilè cognoscitur species, ergò per viam diuisionis potest inueniri definitio. *Maior* est certa, quia definitio quidditatiua constat ex genere & differentia; species autem ponitur sub determinato genere, & constituitur in actu per vltimam differentiam vt in libro Prędicabilium ex Porphyrio dictũ est. *Minor verò prob.* Nã tũc cognoscimus speciẽ, quando genus ipsius cognoscimus: sed nõ põt cognosci genus nisi cognoscamus quomodo diuidatur in species, ergò species cognoscitur per viã diuisionis: vnde nõ põt quis scire quid sit homo definitiuè, nisi cognoscẽdo ꝙ animal potest diuidi per rationale & irrationale, & ita rationale animal est homo, & sic de albedine

& colore, de definitione sciētiæ sub qualitate, est iudicandum.

Secunda conclusio. Per viam compositionis facilè potest quispiam inuestigare definitionem, hoc est, quando proceditur à singularibus ad vniuersale, v g. à Petro ad hominem, & ab homine ad animal &c.

Probatur. Nam omnis nostra cognitio procedit ab ijs quæ sunt nobis faciliora & magis nota. Sed facilius est cognoscere definitiuè minus vniuersale, quam magis vniuersale. Ergò per viam compositionis facilè potest quispiã inuestigare definitionem rei, & ita facilius est definire speciem quam genus modo compositiuo: nã illud magis facilius definitur, quod est magis vnum, species autem specialissima est quid magis vnum quam genus, quia genus quodlibet diuiditur per differentias essentialiter oppositas, quæ sunt inæqualiter perfectæ, ac proindè penes genera latent multa: species verè specialissima non potest ita diuidi, & cõsequenter in specie non latent multa, vnde qui cognoscit sensibile in homine, vel in equo, perfectius cognoscit, quam cognoscendo sensibile in animali.

Tertia conclusio. Non tantum oportet nos scire quomodo definitio alicuius rei sit inuestiganda, sed etiam debemus inuestigare propter quid, seu medium cuiuslibet conclusionis.

Hæc conclusio ita persuadetur: nam si vis inuestigare medium alicuius conclusionis, hoc est causam passionis proprię, tunc oportet ha-

bere

bere præ oculis omnes diuisiones à genere generalissimo vsque ad indiuidua, & deindè oportet considerare quę sunt propria cuilibet generi, v.g. quæ cõueniunt substantiæ inquãtum est substantia, & animali inquantum est animal, & ea quæ sunt propria auibus in quãdam sunt aues &c. Deinde istis iam habitis facilè poteris concludere propriam passionem alicuius generis, de sua specie, v.g. si velles scire propter quid conueniant nonnulla accidentia homini vel equo, vtpote somnus, & vigilia, tunc assignabis causam, quia animalia sũt, nam homo est quędam species animalis, equus similiter, & per consequens quia animali proprium est dormire aut vigilare, erit etiã proprium homini & equo: quemadmodum carere dentibus in superiori mandibula est quędam proprietas quæ conuenit quibusdã speciebus propter hanc causam, quia sunt animalia cornigera, nam materia horum dentium conuertitur in cornua, ita vt possit formari talis discursus, Omne animal cornigerum caret dentibus in superiori mandibula. Sed omnis ceruus est animal cornigerum. Ergò caret dentibus in superiori mandibula. Hæc de Textu.

ARTICVLVS PRIMVS

Vtrum aliquis possit inuestigare definitionem alicuius rei per viam diuisionis?

VIdetur quod nõ. Primò. Impossibile est quod intellectus humanus præsertim cõiũctus cor- *Argum. I.*

corpori, possit intelligere definitionem alicuius rei & eandem inuestigare. Ergò præsens quæstio præsupponit falsũ. *Antec.prob.* Nã si aliquis posset exactè intelligere definitionẽ rei alicuius, ergò cognosceret omnia entia simul cognitione naturali, quod tamen est falsum, quia nec angeli hoc beneficium habent. *Conseq.prob.* Quia si intellectus humanus cognoscit definitionem alicuius rei, ergò cognoscit genus & differentiam per quam illa res differt ab omni alio ente, ergò necessariò cognoscit omne aliud ens, non enim potest cognosci differentia alicuius rei ab omnibus alijs, nisi & illa cognoscantur, nec ego possum scire an homo differat à lapide & equo, nisi cognouero quid sit lapis, & quid sit equus &c.

Argu. II. *Secundò.* Si definitio potest inuestigari per viã diuisionis, ergò licebit petere principiũ, quod est contra Dialecticos: ille enim qui petit principium, nihil euidenter demonstrat. *Cõseq.prob.* Nam principium petere est idem per se ipsum probare, v.g. quod Petrus habeat indumentum ex eo quia habet vestem: sed sic est, quòd ille qui diuidit aliquod genus in suas species vt possit definitionem inuestigare alicuius speciei, probat idem per seipsum: nam si quærit differentiam specificam sub illo genere, quærit definitionem quã iam habet, ergò vt prius.

Argu. III. *Tertiò.* Dictum est supra ex Aristotele in hoc lib. ca. 4. conclusione 2. quod definitio nõ potest demonstrari de suo definito per viã diuisio-

ſionis,neq; p inductionẽ,aut ſenſũ &c.Sed hic videtur oppoſitũ dic̃i.Ergò nulla eſt doctrina.

Reſpondeo.Quod ad hoc vt ſciamus quomodo per viam diuiſionis ſit inueſtiganda definitio alicuius rei, oportet aduertere, quod cum quis vult definire ſpeciem ſpecialiſſimam,aut etiam ſubalternam, debet inprimis attendere in quonam prædicamento illa ſpecies reponatur, & hoc facilè deprehendet diuidendo quodlibet Prædicamentum à generaliſſimis vſque ad indiuidua, poſtea oportet inueſtigare per effectus communes predicamentorum, differentias proprias, procedendo per genera intermedia vſque ad illam rem quæ eſt definienda v. g. ſi tu velles ſcire,quo pacto debeas definire hominem, tunc neceſſe eſt inprimis attendere,in quonam Prædicamento reperiatur,&hoc exinde cognoſces,ſi rationes formales cuiuslibet Prædicamenti percurreris, de quibus iam ſupra dictum eſt: nam ratio formalis quantitatis eſt extenſio partium, & ratio formalis ſubſtantiæ eſt eſſe ens per ſe completum & perfectum, & ſic de alijs. Et quoniam homo eſt ens per ſe completum & non eſt iñ alio tanquam in ſubiecto, idcircò ſtatim colliges ipſum eſſe ſubſtantiam. Quo habito inquirendum eſt vlterius per genera intermedia, an ſit corpus vel non, & quia corpus eſt ſubiectum trinæ dimẽſionis,& hoc totũ inuenitur in homine,ſequitur ipſum eſſe corporeũ:tandẽ oportet inueſtigare,an ſit ani-

Reſolutio.

Modus per viam diuiſionis definitionem inueſtigandi.

matū vel non, vt quia res animata per se mouetur, & habet intra se principium sui motus actiuum, colliges hominem esse animatum. Rursus videndum erit vtrum animal vel non, & quia animal est sensitiuum, rectè dicetur homo animal, & non planta. Cum igitur post animal non detur processus ad alia genera intermedia, sed duntaxat ad differētias animalis, quæ sunt rationale & irrationale, rectè infertur hominem esse rationalem, per hoc quia ratione vtitur, & consequenter definitio hominis completa ex genere proximo & differentia proxima erit huiusmodi: homo est animal rationale. Sic de linea, quæ continetur sub quantitate, & de scientia quæ est qualitas, est iudicandum. Et hoc est quòd docet Aristoteles in Textu præsenti, nimirum quòd ad inuestigandam definitionem alicuius rei, vtilis est diuisio generis in species.

Duplex vsus processus diuisiui.

Sed aduerte. Quod vti processu diuisiuo cōtingit dupliciter. *Primo modo* probādo illatiuè. *Secundo* modo collectiuè tantum.

Probans illatiuè.

Illa est diuisio probans illatiuè, quando quis diuidit prædicamentum in sua inferiora, vt exindè possit probare definitionem de aliquo definito, hoc est, de specie illius generis: & hoc pacto non est intelligendus Aristoteles, dixerat enim superius in hoc libro cap. 4. conclusione secunda, & nos in Artic. 3. quòd definitio non potest probari de suo definito per viam diuisionis.

Ille

Ille autem vocatur processus diuisiuus collectiuè tantum, quando quispiam diuidit prędicamentum in sua inferiora, vt exindè colligat definitionem inferioris sub illo prædicamento, non tamen vt probet illam: & ita accipitur in prąsenti diuisio, iuxta quem modum ipsemet Philosophus in secũdo de Anima volens inuestigare definitionem Animæ, vsus est processu diuisiuo collectiuè, nã ibi primò diuidit ens in decem prædicamenta, scilicet in substantiam, quantitatem &c. & postquam ostendit animam esse substãtiam, procedit vlterius diuidẽdo substantiã in materiã, formã, & cõpositũ, & cum anima non sit substantia tanquam matęria substantiæ, tandem colligit definitio. animæ dicẽdo; est forma & actus corporis physic organici, in pot. vitã habentis. *Collectiuè.*

Conclusio Definitio cuiuslibet rei benè potest inuestigari per viam diuisionis.

Probatur. Definitio perfecta constat ex genere & differentia. Sed potest cognosci genus & differentia per viam diuisionis, hoc est, descẽdẽdo à generalissimis vsq; ad indiuidua. Ergò vtile est hoc pacto inuestigare definitionẽ.

Ad primum igitur dicendum nego antec. ad cuius probationem nego consequentiã: nõ enim est necesse vt ille qui cognoscit exactè definitionem alicuius rei, comprehendat omnia entia, sed tantum vnum: quia videlic. cognoscit vnicum genus & vnicam differentiam, per quam differt res essentialiter ab omni alio.

Resp. ad II *Ad secundum* nego conseq. ad cuius probationem nego Minorem, nam hic non sumitur diuisio illatiuè & probatiuè simul, sed tãtum collectiuè, vt dictum est.

Resp. ad III. *Ad tertium* eodem modo est dicendum, negando Minorem: superius enim loquebatur Aristoteles de diuisione quantum ad vim probatiuam & illatiuam simul, vt patet.

ARTICVLVS II.

Vtrum per vnicum medium possint Demonstrari plurimæ conclusiones?

Argum. I. V*Idetur quod non. Primò.* Dictum est supra quod medium in demonstratione potissima est definitio subiecti. Sed vbi sunt diuersæ conclusiones, debent esse diuersa subiecta & definitiones, ergò etiam diuersa media. Maior est manifesta in hoc libro cap. 6. Art. 3. per totum. Minor etiam patet ex Libro 1. vbi docuit Aristoteles, quod diuersitas scientiarum & cõclusionum desumitur ex principiis, hoc est ex diuersis medijs & rationibus formalibus.

Argu. II. *Secundò.* Demonstratio procedit ex principijs proprijs, ergò etiam ex medio proprio. Ergò si alicubi sunt plures conclusiones, plura etiam debent esse media. Omnes consequentiæ sunt euidentes.

Argu. III. *Tertiò.* Omnis demonstratio procedit ex aliqua causa siue in essendo siue cognoscendo: sed plures cõclusiones demõstratiuę nõ possũt habe-

habere simul vnam causam. Ergo nec vnicum medium, ac proinde quot sunt conclusiones demonstratiuę, tot erunt media.

Respondeo. Quod quia in artic. pręcedēte docuit Aristot. quo pacto debeat inuestigari definitio alicuius rei, quæ definitio est verè medium demonstrationis, idcircò bono ordine inquirendum est, an etiam plurium conclusionum debeant esse plura media. *Resolutio.*

Pro cuius resolutione sciendum est. Quod omnes conclusiones quotquot sunt, in duplici ordine collocantur: nam quædam sunt omninò disparatæ, quædam verò sunt inuicem subordinatæ. *Duplices sunt conclusiones.*

Illæ conclusiones vocantur disparatæ, quarum passiones seu prædicata ita se habēt, quod vna passio nō ponitur sub altera, imò nec potest poni: vel etiā quādo subiecta illarū cōclusionū ita se habēt, quod vnū eorum nō ponitur sub altero, v.g. dicēdo, Ergò omnis homo est risibilis, & similiter Ergo omnis equus est hinnibilis & cætera. nam istæ conclusiones sunt disparatæ, tam ex parte subiecti quam ex parte prædicati, & de huiusmodi conclusionibus loquendo manifestum est, quod vnico medio demonstrari non possunt, & hoc ita ostendo: dictum enim est supra, quod medium demonstrationis si sumatur formaliter, nihil aliud importat, nisi veram & propriam causam conclusionis, ac proinde conclusio quæ infertur, est eius effectus, quærendo enim *Disparatæ.*

enim de conclusione propter quid sit talis, v. g. propter quid homo est risibilis in conclusione, respondemus per medium, dicēdo quia est rationalis, vbi esse rationale est medium ad esse risibile: si ergo medium formaliter sumptum est causa, sequitur procul dubio quod vbi sunt disparatæ conclusiones quarum non est idem subiectum aut prædicatum, erunt etiam passiones diuersæ, atq; adeò diuersæ causæ & diuersa media: si enim quispiam interrogatur, propter quid ignis sit calidus? non reddit eandem causam quę adhibetur in quæstione illa, quâ quęritur, propter quid homo sit risibilis, &c.

Subordinatæ.

Illæ autem vocantur conclusiones subordinatæ, quæ ita se habēt quod subiectum vnius continetur sub alterius subiectò, & similiter prædicatum vnius continetur sub altero, vel saltim fluit ex illo: verbi gratia, homo est animal rationale, & homo est risibilis, non sunt disparata, sed potius subordinata essentialiter, non subordinatione tenente se ex parte subiecti, quia idem est revera subiectum vtriusque, sed ex parte prædicati, nam prædicatum conclusionis secundæ fluit ex prædicato primæ, hoc est, ex rationalitate.

Medium vnum genere potest esse multarum cōclusionum vnius generis

Hoc igitur supposito dico: quod si darentur aliquæ conclusiones quę inter se distinguerentur specie, & tamen essent eiusdem generis, tunc possent probari per vnicum medium, quod est vnū genere, verbi gratia, Omnis homo

mo respirat. Omnis equus respirat &c. Istæ conclusiones distinguuntur specie ex parte subiecti, quia subiectum vnius aliam sortitur definitionem & naturam à subiecto alterius, & tamen vnum est medium secundum genus, per quod possunt probari huiusmodi conclusiones, scilicet habere pulmonem. Similiter ceruus est longę vitæ, anser est longæ vitę &c. sunt conclusiones differentes specie, quæ tamen per vnicum medium cognoscuntur, scilicet, habere contemperatos humores. Et ita licet istæ species comparatæ inter se sint omninò disparatę, prout tamen comparantur in aliquo communi genere, seu in aliqua communi natura, possunt per vnicum medium cognosci, vt patet.

Conclusio. Plurimæ conclusiones quæ sibi inuicem subordinantur, possunt per vnicum medium cognosci.

Probatur. Illa quæ sibi inuicem subordinantur, sunt quodammodò vnum, verbi gratia, Petrus, homo, & animal, sunt vnum in corpore, corpus verò animatum & angelus sunt vnum in prædicamento substantiæ. Sed dantur aliquæ conclusiones inuicem subordinatæ in aliqua ratione communi. Ergò huiusmodi conclusiones, sunt quodammodò vnica conclusio, ergò possunt habere causam vnam, hoc est, vnum mediũ per quod cognoscãtur.

Ad primum igitur dicendum: distinguo Minorem, sed vbi sunt diuersæ conclusiones debẽt esse diuersa subiecta. Si fuerint diuersæ, hoc est *Resp. ad I.*

dispa-

disparatę, cõcedo Minorem: subordinatę, nego Minorem: nam sic erunt quodammodo vnica conclusio, propter vnitatem medij.

Resp. ad II *Ad secundum* eodem modo dicendum est: distinguo enim conseq. secundam, ergo si alicubi sunt plures conclusiones, plura etiam debent esse media, si sunt plures disparatæ, concedo conseq. subordinatæ, nego consequentiam.

Resp. ad III. *Ad tertium*: distinguo Minorem. Sed plures conclusiones demonstratiuæ non possunt habere simul vnam causam: si sunt disparatæ, concedo: subordinatæ, nego vt dictum est.

CAPVT XII. ET XIII.

De cognitione principiorum.

SVMMA TEXTVS.

Prima conclusio. Causa & causatum simul sunt secundum consequentiam, & vnius effectus est tantum vna causa.

Probatur prima pars. Causa potest demõstrari per suum effectum, & similiter effectus per causam. Ergò ista duo consequuntur se inuicem, nec vnũ est sine altero. *Antec*. est manifestũ in hoc discursu; Omne rationale est risibile. Sed omnis homo est rationalis. Ergò &c. vbi à causa risibilitatis proceditur ad risibilitatẽ, & vice versâ dicendo. Omne risibile est rationale. Sed omnis homo est risibilis &c. vbi ab effectu rationalitatis proceditur ad rationalitatem.

Secun-

Secunda verò pars conclusionis probatur: scilicet quod vnius effectus est tantum vna causa. Ecclypsis lunæ est verè vnus effectus. Sed vna est tantum causa immediata ecclypseos, scilicet, interpositio terrę inter solem & lunam, similiter vna est causa immediata risibilitatis, nempe rationalitas. Ergò vnius effectus est tãtum vna causa.

Secunda conclusio. Cognitio primorum principiorum non est nobis connaturalis, sed acquisita. Probatur. Si cognitio principiorum inesset per naturam. Ergò non darentur huiusmodi homines qui non cognoscerent prima principia, quod tamen est falsum: multi enim ignorant scientiarum principia, v.g. multi ignorãt has propositiones. Si ab æqualib. æqualia demas &c. Impossibile est idem simul esse & non esse &c. Cum hoc tamen stat, quod licet cognitio ista principiorum non sit connaturalis intellectui humano, nihilominus prouenit ex aliqua cognitione connaturali, scilicet ex sensitiua, & hoc videtur esse manifestum, ex eo, quia ad hoc vt aliquis cognoscat principium alicuius scientiæ & demonstrationis, requiritur omninò vt prius habeatur cognitio sensitiua de illo obiecto, deindè oportet vt retineatur in memoria, tandem vt de illo sit experimentum. Et hoc supposito consequens est vt ratio humana conferat hæc singula, ad inferendam vnam propositionem maximè veram & maximè certã, quę est demonstrationis principium,

pium, verbi gratia, qui intendit hoc princi[p
cognoscere, Omnis ignis est calidus, necess[ari
est vt cognoscat prius per sensum, quod i[ste
ignis est calidus, & ille similiter &c. & opor[tet
vt sit certus de hac re, nec possit admittere i[n-
stantiam. Postquam verò habuerit experime[n-
tum, facit vnam propositionem immediat[am
& per se notam dicendo. Omnis ignis est c[a-
lidus, sic dicendum est de Socrate cholerico, [&
iracũdo, & similiter de alijs indiuiduis in ea[n-
dem complexione, de quibus sufficienter enu[-
meratis verificatur hæc vniuersalis, dicendo
Omnis cholericus est iracundus, propter cali[-
di sanguinis succensionem, & hæc propositio
principium est.

Tertia conclusio. Cognitio principiorum non est eadem cum cognitione ipsius conclusionis.

Probatur. Nam cognitio illa per quam principia cognoscuntur vocatur Intellectus, cognitio autem conclusionis Scientia.

Præterea. Cognitio principiorum certior est cognitione conclusionis, quia credimus conclusionem esse veram propter præmissas seu principia, & quemadmodum præmissæ sunt causa conclusionis, ita intellectus principium scientiæ.

Præterea. Scientia conclusionis acquiritur per syllogismum demonstratiuum, cæterum principia non possunt demonstratiuè probari, quia non habent aliquid prius aut notius, sed ipsamet sunt prima, & sunt notissima. Hęc

de

de Textu vtriusque capitis, atque adeò totius Logicæ sufficiat dixisse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum effectus & causa simul sint secundum consequentiam?

Videtur quod non. *Primò.* Causa ex qua prouenit iris, nulla est alia nisi repercussio vehemens. Sed non semper est iris quando est repercussio, nā alias sequeretur, quod sonus quilibet vocaretur iris, cū etiā sonus causetur ex vehemēti repercussione, quod est ridiculū. Ergò causa nō est simul cum suo effectu secūdum consequentiam. *Argum. I.*

Secundò. Omnis demonst. procedit ex causa siue in essēdo siue in cognoscēdo, vt dictū est in lib. 1. c. 2. ergò causa & effectus nō sūt simul nec vnū demōstratur de altero. *Conseq prob.* Nā alias posset esse aliqua duo quorū vnū demōst. per alterum in eodem genere causæ, quod tamen est impossibile *Argum. II*

Tertiò authoritate Arist. in hoc Textu, dicit enim quod illa arbor quæ habet folia lata, cito defluit, hoc est, lata folia in qualibet arbore sūt causa propter quā arbores citò defluūt in terrā. *Tūc subsumo,* sed ista duo nō sūt simul, nēpe habere lata folia, & citò defluere, ergò causa, & effectus nō sunt simul. *Minor prob.* Nam prius tēpore arbor habet folia lata, & postea defluit. *Argu. III.*

Respondeo. Quod postquam Aristot. in textu *Resolutio*

præcedente docuit quo pacto debeamus inuenire definitionem alicuius rei, & consequẽter medium Demõstrationis potissimæ: nunc tandẽ bono ordine mouet vnicã difficultatẽ circa eandem definitionẽ seu mediũ, Vtrũ videlic. effectus & causa sint simul, adeò vt quotiescunq; effectus est, etiam causa sit intelligẽdo nomine effectus conclusionem, per causam verò medium Demonstrationis: vnde nõ quęrit hic Arist. Vtrum effectus tunc sit, quando est causa, sed è conuerso: an ex quolibet effectu possit demonstrari sua causa.

Dupliciter potest intelligi causam esse simul cũ effectu.

Pro cuius resolutione sciendum est. Quod causã esse simul cum effectu dupliciter potest intelligi: vno modo secundũ simultatẽ tẽporis, & alio modo secundum simultatẽ cõsecutionis.

Simultate temporis.

Illa sunt simul tempore, vt in Postprædicamentis dictum est, quæ in eodem tempore generantur & corrumpuntur, v.g. homo & risibile sunt simul tempore secundum existentiam, quia non magis durat Petrus homo, quam Petrus risibilis: sic de igne & caliditate, de equo & hinnibili est iudicandum; & hoc pacto accipiendo simultatem causæ & effectus, non est de illa sermo in præsenti: manifestum enim est quod non omnis causa est simul tempore cum suo effectu, sicut generatio prolis non est simul cum ipsa prole, nec fundamẽtum domus cum domo vt in cap. 9. huius Libri artic. 2. dictum est.

Simultate cõsecutionis.

Illa verò sunt simul secundum consecutionem

nem quæ se mutuo cōsequuntur, & mutuo se inferunt, illa autem mutuo se inferunt tāquam conuertibilia, quæ se habent vt effectus & causa per se primo, & vniuersaliter conueniens tali effectui, hoc est, quando ille effectus adæquatur suæ causæ, verbi gratia, dicēdo, Iste homo est vituperabilis, ergò agit contra rationem, & è conuerso: nam facere quippiam cōtra rationem, est causa proxima propter quam aliquis est vituperandus: similiter, Istud animal est rationale, ergo risibile, & de hac simultate cōsecutionis siue illationis loquitur hic Arist. secundum quam benè valet consequentia de vno ad alterum conuertibiliter: nam causa adęquata illa dicitur, quę talē producit effectū, vt etiam non possit totaliter ab alia causa produci, nisi ab hac, ac proinde etiamsi ponantur plures aliæ causæ, & intendant concurrere ad productionem illius effectus, nullo pacto producēt, v.g. etiāsi corporeum, animatum, sēsibile, &c. cōcurrant ad productionē risibilitatis in homine, nunquā faciēt hominē esse risibilem, quia esse risibilē non respicit huiusmodi prædicata, tanquam causam propriam & adæquatam: sed solam duntaxat rationalitatem.

Conclusio. Causa adæquata suo effectui, est simul cū effectu secundum consequentiam. Probatur. Tum authoritate Philosophi, tum etiam ex his quę quæ dicta sunt in corpore.

Resp. ad I.

Ad primum igitur dicendum, distinguo Minorem, sed non semper est iris quando est repercussio,

 cussio,

cussio, si sumatur repercussio sub eadem ratio-ne formali sub qua est causa iridis, nego Mi-norem: si autem æquiuocè & sub ratione alia transeat Minor. vnde sonus & iris licet cau-sentur per repercussionem, sed non eâdem ra-tione, sonus enim ex repercussione alicuiu corporis & obstaculi repellentis, iris autem ex repercussione radiorum solis, quando inci-dunt in nubem roridam.

Resp. ad II. *Ad secundum* nego consequentiam, ad cuius probationem distinguo assumptum: si cau-sa & effectus simul sunt poterunt esse aliqua duo quorum vnum demonstrabitur per alte-rum, eâdem specie demonstrationis, *nego: di-uersimodè*, transeat; quando enim effectus de-mõstratur per causã sibi adæquatã est demõ-stratio propter quid, siue à priori: quando verò demõstratur causa per effectũ, est demõstratio quia, siue à posteriori, vt sæpius dixi.

Resp. ad III. *Ad tertium* admitto authoritatem Aristote-lis & explico illam, arbor quę habet folia lata, citò defluit, ad eum sensum quod latitudo prædicta sit causa proxima casus foliorũ, ne-go: quod sit causa remota, concedo, nam pro-xima causa propter quã folia alicuius arboris citò defluunt, est hæc quia videlicet cõgelatur humidum in folijs, ac proindè deficit virtus ad retinẽdũ folium: vnde etiam videmus quod folia lauri, etiamsi sint lata, nõ tamen cadunt, quia propter calorem non congelantur.

ARTI-

ARTICVLVS II.

Vtrum in intellectu humano inueniatur aliquis habitus primorum principiorum?

VIdetur quod non. *Primò.* Nam si daretur aliquis habitus seu qualitas in intellectu, per quam cognoscimus prima principia, sequeretur quod ille habitus deberet appellari virtus quædam intellectualis, nam ita habitus intellectuales appellantur, cuiusmodi sunt scientia, ars &c. *Tunc subsumo* Sed cognitio illa per quam cognoscimus prima principia non potest appellari hoc nomine. Ergò vt prius. *Minor prob.* Nam omnis virtus versatur circa difficile. Habitus autē primorum principiorum seu qualitas illa per quam cognoscimus principium, non habet pro obiecto aliquid difficile, quia vt experiētiâ cōstat, facillimum est attingere prima principia, v.g. Quodlibet est vel non est, Omne totum est maius suâ parte &c. *Argum. I.*

Secundò. Propter hunc finem inuenitur aliquando habitus in intellectu vel etiā in voluntate, vt nimirum potentia determinetur circa aliquod obiectum, ad eum sensum, vt promptè & delectabiliter operetur. Sed intellectus non determinatur per habitum ad hoc vt cognoscat prima principia. Ergo non oportet in intellectu ponere talem habitum. *Minor pro.* Nam intellectus noster ex natura sua est de- *Argum. II.*

terminatus ad cognitionem illius rei quæ e maximè cognoscibilis: sed nihil est magis co gnoscibile quam principia demonstrationis ergo intellectus est naturaliter determinatu ad cognitionem huiusmodi principiorum.

Argu. III. *Tertiò*. Authoritate S. Thomæ qui docet ex presse secunda secundæ quæstione 8. articul. 1 ad primum. Quod est quoddam lumen natu rale nobis inditum, per quod statim cognosci mus prima principia. ergo non per habitum.

Resolutio. *Respondeo*. Quod in illis naturis, quæ ope rantur aliquid, possumus considerare duo, vi delicet ipsam operationem, & similiter prin cipium operationis: verbi gratia, ignis calefa ciens, habet inprimis calefactionem respectu alicuius corporis, aut tabulę, & pręterea habet principium istius calefactionis, scilicet calo rem: similiter homo & habet aliquãdo risum, & habet principium ridendi scilicet risibili tatem, quę est quædam qualitas per quam in clinatur naturaliter ad ridendum &c. si ergò huiusmodi principia operandi nõ insunt à na tura sed per acquisitionem, tunc vocantur ha bitus, & operatio procedens actus, v.g. scien tia quæ residet in intellectu, est principium o perationis, hoc est, cognitionis scientificæ, vt nimirum aliquis per eã cognoscat suum obie ctum scibile definiendo illud, diuidendo, vel proprietates inuestigando &c. ipsa verò co gnitio obiecti scibilis, est actus scientiæ, vt patet.

Duo in naturis operationis considerari possidet.

Est

Est igitur nunc difficultas, Vtrum quādo cognoscimus principia Demonstrationis quæ sunt propositiones immediatę, intellectus noster determinetur ex sua nat. ad huiusmodi cognitionē, sicut ignis inclinatur ad calefactionē mediāte calore: an vero oporteat ponere in intellectu qualitatē seu habitū, per quē disponi debeat ad cognitionē huiusmodi principiorū.

Pro cuius resolutione Dico primò. Quod in potentia intellectiua residet quædam qualitas seu virtus, quæ determinat ipsam potentiam ad hoc vt cognoscat principia, & hæc qualitas vocatur à Philosophis intellectus, non prout intellectus idem sonat quod potentia animæ rationalis, distincta à voluntate, sed prout est habitus seu qualitas in potentia intellectiua existens, distincta realiter à potentia, quo habitu mediante cognoscitur aliquid esse verum, non per viam discursus sed ex solis terminis, verbi gratia, ad cognoscendum hanc propositionem, quodlibet est vel nō est, non oportet vt construas discursum, per quem possis inuenire causam propositionis, sed inspiciendum est, quid termini significent, videlicet esse, non esse & cætera. quo habito, sine discursu cognoscitur principium.

Dico secundò, quod huiusmodi qualitas est naturaliter nobis congenita, prouidit enim Deus homini à principio, vt possit commodè & sine errore procedere ad reliquas sciētias: *Habitus primorum principiorū est nobis congenitus.*

 quod

quod si aliquando deprehendas in doctrin Angelici præceptoris, habitum principiorum acquiri à nobis, intelligendum est de actu seu operatione ipsius habitus, & non de ipso habitu formalissimè: nam operatio huiusmodi habitus acquiritur in nobis per cognitionem sensitiuam, & per inductionem à singularib. postquam enim videro quod homo totus maior est suâ manu, aut domus pariete, statim intellectus prorumpit in cognitionem actualẽ propositionis vniuersalissimæ, dicendo, Omne totum est maius suâ parte: non tamen acquirit ipsum habitum, quia confertur cum substantia animæ, & habet se ad modum cuiusdam propriæ passionis, nec minuitur, nec augetur, nec corrumpitur.

Duplices sunt habitus.

Ex quo infero: omnes habitus quotquot sunt, in duplici ordine posse collocari, nam quidam sunt principiorum practicorum, & quidam speculatiuorum, qui duo habitus distinguuntur inter se tanquã duę species specialissimæ.

Habitus principiorũ practicorũ.

Habitus enim principiorum practicorum vocatur Synderesis, & speculatiuorum Intellectus: Præterea habitus principiorum practicorum, demonstrat quid agendum sit, v.g. bonum est appetendum, malum fugiẽdum, Deus colendus, &c.

Habitus principiorũ speculatiuorum.

Cæterum habitus principiorum speculatiuorum demonstrat quid sit speculandum, v.g. hanc propositionem esse veram sine discursu: Omne totum est maius suâ parte, Si ab æqua-

qualibus demas æqualia, quæ remanēt sunt æqualia.

Conclusio Virtus illa per quam cognoscimus prima principia est quidam habitus existens in intellectu, & non est ipse intellectus.

Probatur. Intellectus si sumatur pro potentia habet se ad opposita, vt expresse docet Aristotel, nono Metaph. 5. potest enim indifferenter apprehendere verum & falsum. *Tunc subsumo.* Sed illa qualitas superaddita non inclinat ad cognitionem falsam, sicut nec synderesis ad actionem malam, vt patet. Ergò virtus illa per quam cognoscimus prima principia non est potentia intellectiua, sed habitus disponēs intellectum ad benè & faciliter intelligendum, ipsa verò potentia requiritur ad intelligēdum simpliciter. Minor patet ex his quæ dicta sunt in corpore.

Ad primum igitur dicendum nego Minorem, ad cuius probationem, distinguo Maiorem. Virtus versatur circa difficile quod est difficile virtuti, nego Maiorem: difficile subiecto non habenti virtutem, cōcedo Maiorem. Vnde cognoscere prima principia non est facile sine habitu principiorum, sicut calefacere sine calore, at verò quādo quispiā possidet habitum principiorum, non est difficile. *Resp. ad I.*

Ad secundum nego Minorem, ad cuius probationem distinguo Maiorem, intellectus humanus ex sua natura est determinatus ad cognitionem illius rei, quæ est maximè cognos- *Resp. ad II*


 cibilis

cibilis, est determinatus sine aliquo habitu, nego Maiorem: aliâs, concedo Maiorem, vt patet.

Resp. ad III. *Ad tertium* admitto authoritatem S. Thomæ & explico illam, quando enim dicit Doctor Sanctus, est quoddam lumen naturale per quod cognoscimus prima principia, nihil aliud intelligit nisi habitum primorum principiorum, qui optimè vocatur lumen naturale; quia est determinatio luminis naturalis, licet actus seu operatio desumatur à sensibilibus.

Hæc igitur super Libros Posteriorum Aristotelis, imò super vniuersam Logicam prout exigebat Textus scripsisse sufficiat ad laudem Angelici Doctoris, cuius doctrinam in reliquis partibus Philosophiæ tenaciter sequi intendo. Faxit Deus, vt istæ enodationes, in quibus clarissimam veritatem oratorijs fucis nunquam obduxi, cedant in communem studentium vtilitatem.

BENEDICTVS DEVS.



INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A

Prim

Qua-

FINIS.












IHS

